Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/summasummaesthom0001rpat

SUMMA SUMMAE
S. THOMAE
SIVE
COMPENDIUM THEOLOGIAE

R. PATRIS CAROLI RENATI BILLUART

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM,
S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PROVINCIALIS

JUXTA MENTEM, ET IN QUANTUM LICUIT JUXTA ORDINEM
S. THOMAE IN SUA SUMMA AB EODEM AUCTORE EDITUM
CUM ADDITIONIBUS, ET NOTIS

TOMUS I.

CONTINENS TRACTATUS
DE LOCIS THEOLOGICIS, DE DEO UNO, DE SS. TRINITATIS MYSTERIO,
DE ANGELIS, ET DE OPERE SEX DIERUM

PRIMA PARS

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
B497
Alma, California

ROMAE MDCCCXXXIV.

EDEBAT CRISPINUS PUCCINELLI.

29084

EX·BIBLIOTHECA
FF·PRAED·CONV·S·M·MAGD
APVD·S·MAXIMINVM

SUMMA

S. THOMAE

SIVE

COMPENDIUM THEOLOGIAE

R. PATRIS CAROLI RENATI BILLUART

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM,

S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PROVINCIALIS

JUXTA MENTEM, ET IN QUARTUM LIBRUM JUSTA ORDINEM
S. THOMAE IN SUA SUMMA AB EODEM AUCTORE EDITUM
EUM ADDITIONIBUS, ET NOTIS

TOMUS I.

CONTINENS TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS, DE DEO UNO, DE SS. TRINITATIS MYSTERIO
DE ANGELIS, ET DE OPERE SEX DIERUM

PRIMARIUS

Property of
Clark
Please return to
Graduate Theological
Union Library

RATIO OPERIS

Doctissimus Carolus Renatus Billuart Ordinis Praedicatorum *summam theologicam hodiernis academiarum moribus accommodatam*, jam ab ipso editam, in gratiam et commodum studiosorum Adolescentum, ne amplitudine molis, et rerum, obruerentur, in *Compendium* redegit, quod *Summam Summae S. Thomae* inscripsit. Verum cum hoc secundo, ac breviori opere Moralem Theologum instituendum prae animo maxime habuerit, ab Iis, qui omnimodam Theologiae scientiam adipisci nituntur ad veritates dogmaticas satis explanandas plura desiderantur. Huic defectui consultum videri poterat Institutionibus Theologicis ejusdem Billuart, auctis tamen, et illustratis, quae anno 1824. excudi coeperunt Florentiae Typis Calasanctianis, at cum opus repente abruptum omnium fraudaverit expectationem, si tandem liceat studiosae consulere Juventuti, iterum suscipitur, quod, Deo auspicante, perfectum iri confidimus. Ejusdem autem tota forma, et ratio haec erit, ut Compendium Auctoris denuo Typis committatur cum necessariis additionibus ex majori ejusdem opere fideliter depromptis interposita tantum aliqua nota sequentibus signis [ ] interclausa, ad majorem explicationem Tyronibus accommoda. Accedit tamen initio operis aliqua notio censurarum, seu qualificationum, quibus erroneae propositiones configi solent, nec non propositionum ad haec usque tempora damnatarum Catalogus, quae additio pene necessaria visa est. Praeterea cum Auctor Tractatum de Locis Theologicis omittat, ad Melchiorem Canum, qui primus hanc Theologiae partem in ordinem redegit, Lectorem studiosum mittens, hinc idem tractatus post Theologiam in genere juxta Theologorum morem instituitur, qui ta-

men quoad quinque prima loca, quae sunt irrefragabilis Auctoritatis, ex his, quae Auctor in tractatu de Regulis Fidei fuse, luculenterque disserit, coalescit, quae vero de quinque posterioribus addenda sunt, ex alio probato Theologo desumantur. Neque ad operis complementum omittuntur etiam alii tractatus theologici, qui in eodem Auctoris compendio desiderantur. Ita studiosus lector opus completum habebit, quod si diligenter mente, manuque revolvat, ad inquirendam et confirmandam veritatem, ad Fidem ab erroribus, et Haereticorum calumniis vindicandam, strenuum facilemque modum inveniet.

DE PROPOSITIONUM

ERRONEARUM CENSURIS THÈOLOGICIS

Cum pluribus Censuris theologicis theses saepius notari soleant, ut earumdem Censurarum vis a Tyronibus percipiatur, paucae illarum notiones breviter praemittuntur.

Censurae vocabulum, quod olim apud Romanos obtinuit ad significandam correptionem, et reformationem, quae a Censoribus fiebat, tractum postmodum fuit a Theologis ad duplicem significationem magis sibi propriam. Et primo ad significandam poenam spiritualem ab Ecclesiasticis Judicibus propter enorme crimen Personis contumacibus inflictam, et dicitur Censura Ecclesiastica, cujusmodi est Excommunicatio, Suspensio, et Interdictum. Secundo ad indicandam qualificationem, seu sententiam, quae notam censoriam inurit doctrinae theologicae erroneae, illiusque Auctori. Sententia ipsa censuram inurens, dicitur Censura activa, ipsa nota, quae inuritur, dicitur Censura passiva Haec secunda significatio est praesenti Instituto accomodata, unde de ea agitur, et praesertim de Censura activa.

Censura itaque in isto sensu definiri potest. Judicium, seu sententia, per quam nota prava, et maligna inuritur cuidam Doctrinae, tanquam Fidei, aut veritati alicui dogmaticae, bonisque moribus, aliquo saltem modo nocivae; vel alicui Personae, ejusmodi Doctrinae Auctori, vel Propagatori. Hinc censura cadit primario in ipsam doctrinam iis verbis expressam, sub quibus a censura notatur, quamvis cadat etiam in ipsa verba, cum ex S. Hieronymo ex verbis inordinate prolatis incurratur Haeresis. Secundo potest vibrari censura in ipsum pravae Doctrinae Auctorem, et Defensorem, ut patet plurimis exemplis, quibus repleta est historia Ecclesiastica.

Duplex est Censura: *Judicialis* una, quae habet vim sententiae authenticae, latae a legitimis Judicibus Ecclesiasticis. *Doctrinalis* altera, quae per modum prudentis judicii irrogatur ab iis, qui judiciali potestate ecclesiastica non pollent, attamen pro sua rerum theologicarum peritia, pari prudentiae conjuncta, idonei sunt ad discernendum in istis rebus verum a falso, rectum a pravo, adeoque specialem in his determinandis auctoritatem merentur, et habent apud homines prudentes. Hinc.

Sequitur primo dari in Ecclesia Christi legitimam potestatem ferendi censuram judicialem de pravitate doctrinae, ad fidem, moresque pertinentis juxta promissiones Christi — Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem soeculi — Portae Inferi non praevalebunt adversus eam.

Sequitur secundo Potestatem legitimam ferendi censuram judicialem competere in primis Romano Pontifici. Ipsi enim tanquam Petri Successori, et supremo omnium Christianorum Pastori, et Doctori tradita est a Christo plena potestas pascendi, et regendi universalem Ecclesiam; unde Ei in primis competit potestas sanae Doctrinae pabula Fidelibus monstrandi, quibus salubriter pascantur, et noxia indigitandi, quibus abstineant.

Sequitur tertio Potestatem censoriam judiciariam in Doctrinas pravas jure suo exercere etiam Episcopos, tum in Concilio generali, seu particulari legitime congregatos, tum singulos seorsim in suis Dioecesibus. Non est tamen eorum censura prorsus irrefragabilis, nisi accedat Auctoritas summi Pontificis illam ratam habentis.

Sequitur quarto censuram doctrinalem ferri a Theologis Doctoribus in unum corpus (quod sacrae facultatis nomen obtinuit) adunatos, attamen cum plena subjectione ad potestatem altiorem judiciariam primorum Ecclesiae Pastorum, et Doctorum, praesertim summi Pontificis Doctorum Doctoris.

Quoad vero privatorum Doctorum censuras ante oculos habenda est clausula Decreti Innocentii XI., quo 65 propositiones proscripsit. Verba clausulae haec sunt. „ Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii qui„ cumque imposterum se abstineant, et ut paci, et charitati consulatur, idem „ Ssmus in virtute S. Obedientiae praecipit, ut tam in libris imprimendis, ac „ Manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Praedicationibus caveant „ ab omni Censura, et Nota, nec non a quibusvis conviciis contra eas Propo„ sitiones, quae adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Se„ de recognitis, super iisdem propositionibus judicium proferatur. „ Et merito immaturae ejusmodi, vel nimis acutae censurae temere prolatae improbantur. ac prohibentur, cum animos Doctorum offendant, et jurgia, ac scandala inter Scholasticos, et Magistros soleant procreare.

Duo tamen hic observant Auctores. Primum est, aliud esse sententiam aliquam ex fidei principiis eruere, ac stabilire, imo sic arguendo asserere, illam esse istis principiis conformem, et oppositam opinionem pariter asserere probabiliter eisdem principiis, vel alicui veritati catholicae, ex illis deductae, refragari, aliud asserere priorem illam sententiam esse certo de fide, vel oppositam esse haereticam, vel haeresi proximam, et ita de Censuris reliquis. Primum passim, et inculpate praestant Theologi probi, et eruditi qui quaestiones pertractant, quae in Scholis catholicis utrinque libere, ac innoxie disceptantur, alterum quoad ejusmodi quaestiones haud immerito sibi nefas esse ducunt, qui Pontificis Decreti reverentiores sunt, ipsiusque etiam aequitatis amantiores. Secundo cum pluribus Theologis observandum est, quod levissimum Censurae theologicae genus sit, si propositio aliqua dicatur proprie temeraria, unde inserunt non esse Censuram siquis oppinionem aliquam dicat esse improbabilem.

Triplici modo doctrinae perversae damnari solent ab Ecclesia. Primus modus est, cum una vel plures propositiones singillatim exprimuntur, et illi, vel harum singulis sua apponitur determinata Censura una, vel multiplex; Quae tunc dicitur Censura categorica, specifica, ac praecisa. Ad hunc modum revocatur ille, quo post enumeratas propositiones varias una, vel multiplex censura asseritur unicuique earum convenire, ut Innocentius XI. damnavit 65. Propositiones, et *unamquamque ipsarum ut minimum tanquam scandalosas, et in praxi perniciosas.*

Secundus modus ferendi Censuras est cum plures propositiones singillatim referuntur, non tamen sua singulis determinata censura applicatur, sed plures, in unum veluti cumulum congestae, pronunciantur illis propositionibus respective convenire. Haec censura dicitur cumulata, sive in Globo. Hic observandum est, quod propositiones sive singillatim, sive in globo possint affici censura dupliciter. 1.° *Sicut jacent*, hoc est in sensu, quem habent verba secundum se, et ut separata a contextu, etiamsi forsan alium sensum habeant in mente Scriptorum, qui eamdem propositionem exararunt, sed eam per antecedentia, et consequentia modificarunt. 2.° *In sensu ab illarum Auctoribus intento*, qui duplex spectari potest. *Personalis*, quem Auctor in mente habuit, quando scripsit; *Litteralis* qui exprimitur verbis propositionis ab illo conscriptae secundum obvium sensum, quem ex sua institutione ferunt, et secundum receptam in Ecclesia significationem acceptis. Porro cum Ecclesia damnat aliquam propositionem in sensu ab Auctore intento, eam damnat secundum sensum litteralem.

Tertius modus inurendi Censuram pravae Doctrinae est cum nulla relata propositione integer liber damnatur, velut continens propositiones, vel Doctrinam

pravam, venenosam, et Christianis nocivam. Ecclesia autem sic damnans librum, quandoque simul ejus condemnat Auctorem, quandoque non.

Ad eruendam veritatem in damnatis propositionibus indaganda est per artem dialecticam genuina, ac praecisa damnatae propositionis contradictoria. Ad hanc indubitato amplectendam obligat censura judicialis. Et quidem cum Pontifex proscribit assertionem velut haereticam, virtualiter saltem declarat ejus contradictoriam esse de fide certam; Si notet velut erroneam, ejus contradictoriam similiter declarat esse conclusionem theologicam, et sic de caeteris. In figenda autem vera, ac pracisa contradictoria propositioni damnatae (id quod non semper ita est expeditum) plura veniunt attendenda. An propositio proscripta sit directa vel reflexa, an absoluta vel modalis, an universalis, particularis, aut indefinita, ac simplex, vel composita, et si composita, an sit damnata in sensu copulativo, et, ut ajunt, *complexe*, an in divisivo, et (ut ajnnt) *divisive*. Advertendnm tandem ex Benedicto XIV. *Inst. Eccles.* 72. quod ubi damnatur aliqua propositio, et ratio damnationis aeque militat pro propositione affini, hanc pariter declarari falsam, et omnino improbabilem. Profert in exemplum binas propositiones; Alteram damnatam ab Innoc. XI. ordine 17. – *Satis est actum fidei semel in vita elicere* - Alteram proscriptam ab Alex. VII. ordine 34 – *In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.* – Quis enim (inquit) non videat dissonantiam fere eamdem contineri, quod quis semel, aut quod bis tantum in vita actum fidei eliciat? Idem esse ait in Eo, qui recitaret officium paschale Dominica Passionis.

His praenotatis, explicantur diversae Censurarum species, quibus damnatae propositiones solent ab Ecclesia notari, seu qualificari.

1 Inter notas, quibus propositiones designantur, quas Ecclesia proscribere solet, primum locum tenet *Haeretica*. Est autem haeretica propositio illa, quae aperte opponitur veritati revelatae, et ab Ecclesia fidelibus ad credendum propositae. Propositio itaque illa, quae destruit fidem, quam habere debemus de re aliqua ab Ecclesia nobis, ut a Deo revelata, proposita, haeretica dicenda est. Haec itaque propositio: *Animae Iustorum, quibus nihil luendum superest, nonnisi post alterum Christi adventum caelesti beatitudine donabuntur*, haeretica nunc est, quia revelationi jam ab Ecclesia per suam definitionem fidelibus explicatae et inculcatae adversatur. Ante definitionem erat utique falsa, ac revelationi contraria, sed cum nondum definita esset ab Ecclesia, cui depositum est divinae revelationis concreditum, ac jus pascendi, sive docendi traditum cum infallibili promissione de futura assistentia, ne unquam erret, ac errare possit cum veritates revelatas exponit ac definit, haeretica dici non poterat.

2 Altera nota est *Schismatica*, quae propositionem denotat Ecclesiae unitatem destruentem, hujusmodi est propositio quaelibet, quae sine haeresi, vel ad schisma inducere, vel parere illud valeat. Ad schisma vero inducunt propositiones, quae fideles a debita legitimis Pastoribus, et praesertim Romano Pontifici, qui centrum est unitatis, obedientia, et subjectione retrahunt.

3 *Erronea* propositio dicitur, quae veritati opponitur, quae licet in se revelata non sit, tamen per legitimam consecutionem ex una revelata, et altera lumine naturae nota eruitur. Hujusmodi esset propositio haec *Christus non est risivus*, quae opponitur conclusioni ex duabus istis praemissis deductae, *Homo est risivus*, *Christus autem est homo*, quarum prior lumine est naturae nota, altera de fide.

4 *Suspecta de haeresi* propositio dicitur, quae licet catholici, et haeretici sensus sit capax, ratione tamen sui, vel personae loquentis, aut temporis, locique circumstantiarum, prudens motivum ac fundamentum praefert existimandi illam haereticam esse. Hujusmodi fuit apud Arianos propositio, qua dicebant *Verbum* ὁμοιούσιον Patri, hoc est similis cum Patre substantiae, quae licet sensum catholicum habe-

re posset, dum significat Verbi naturam Patri omnino similem, tamen ut ab Arianis prolata, qui eamdem ad naturae divisionem, et accidentariam tantum similitudinem significandum usurpabant, jure meritoque pro suspecta habebatur, ac rejecta fuit. Ita etiam suspecta foret apud Nestorianos propositio, qua Deipara *Christi mater* appellatur, et in Sociniani persona haec alia *Deus unus est*, quia illa ratione personae loquentis ad excludendam divinam maternitatem, altera ad excludendam personarum trinitatem coarctata prudenter existimari posset.

5 *Sapiens haeresim* propositio dicitur, quae licet propositioni revelatae immediatae non opponatur, tamen ita cum revelatione pugnare videtur, ut in auctore qui eam scripsit haeresim redolere videatur; sive quod illa propositio ambigua, ex modo loquendi auctoris sensum haereticum praeseferre videatur, sive quod ita dèductis ex revelatione conclusionibus juxta communem theologorum ratiocinandi rationem adversetur, ut haeresim sapiat, sive haereticum auctoris animum designet; sive denique, quod fundamentum praebeat probabiliter judicandi, vel propter verba, vel propter materiam, vel propter alia adjuncta aliquam aliam esse apud auctorem haeresim, ex qua propositio illa procedat.

6 *Haeresi proxima* est propositio, quae haereticae maxime affinis est, hoc est ea, quae doctrinae opponitur, quae licet certo de fide non habeatur, a plerisque tamen gravi cum fundamento *de fide* dicitur. Nam sicut ea propositio fere, sive proxime de fide dicitur, quae plerisque attentis argumentis revelationis, ac Ecclesiae definitione licet non adeo aperte de fide apparet; ita haeresi proxima appellatur, quae a plerisque gravi ratione ductis haeresis videatur, tunc enim jure, quasi haeresis, seu proxima haeresi dicitur.

7 *Errori proxima* est, quae ita erroneae sit propositioni affinis, sicuti affinem esse diximus haeresi huic proximam propositionem. Itaque, qui conclusionem negaret, quae plerisque ex una praemissa de fide, et altera evidenter nota deducta diceretur, quamvis aliqui evidentem esse consecutionem negarent, errori proximam propositionem doceret. Tripliciter autem esse potest errori proxima propositio. Primo quando negat conclusionem, quae evidenter sequitur ex una praemissa naturali lumine certa, et ex altera, quam plerique gravi ratione ducti, de fide praedicant, etsi aliqui id negent. Secundo, cum negata conclusio infertur ex una, quam jam constet esse revelatam, et altera quam evidentem per illationem plerique asserant, licet nonnulli hanc in illa evidentiam non agnoscant. Tertio denique proxima dicitur errori; dum neget conclusionem, quae ex praemissa de fide, deducta sit, et altera, quam plerique licet non omnes evidentem habeant.

8 *Male sonans* propositio est ambigua, quae potest quidem habere orthodoxum sensum, sed passim et quidem frequentius in sensu haeretico accipitur; ut si quis diceret, *fidem justificare*, *Christum immensum*, *ac ubique esse*. Addunt etiam alii, etiamsi propositio aeque catholicum, et haereticum sensum habeat, si absque ulla explicatione adhibeatur, pro male sonante haberi potest. Aliis autem placet hanc ita explicare, ut ea sit, quae circumspecto sermoni opponatur in argumento cum Haerèticis controverso, cujusmodi sane est haec propositio, hominum resurgentium corpora *lucidissima futura sunt, et spiritualia*, cum circumspecto sermoni opponatur in argumento cum Haeretico Burnetio controverso, qui non carnea, sed aethere a futura illa esse, contendit, idque eadem illa proposi tione declarat.

9 *Piarum aurium offensiva* dicitur, quae non solum male sonat, sed praeterea animum verae fidei, pietatique deditum offendit, indecens aliquid, aut pietate, et religione indignum proferendo. Potest autem id duplici modo contingere. Primo cum id quod dicitur, licet in se verum sit, humana tamen attenta infirmitate, atque consuetudine, offensionem parit: hinc si quis quidpiam e Breviario expungendum esse credens. diceret: *Ecclesia nobis fabulas, et apocrypha narrat*, piorum procul dubio aures offenderet. Secundo id accidit, dum res alioquin

verae indecentibus verbis designantur, ut si quis necessariae Christi actiones humanae, atque sanctissima ipsius membra obscoenis nominibus explicaret. Sunt autem nonnulli, qui hujusmodi propositionum genus, eas tantum complecti opinentur, quae Dei Sanctorumque cultui adversentur, sed non video, cur in alia quoque materia propositiones fieri non possint, quae piorum aures offendant.

10 *Blasphema* propositio est, quae convicium, et irreverentiam secumfert contra Deum, vel in se ipso, aut in sanctis ejus. *Sicut enim Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis suis effecit: ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, ex consequenti redundat in Deum*, inquit S. Thom. 2. 2. quest. 13. art. 1. Propositio haec aliquando contra fidem est, et haereticalis dicitur, hujusmodi ea esset, qua videns malos bonis affluere, Deum injustum diceret, quem fides infinite justum ostendit; quandoque vero aliquid falsi contra Deum pronunciat, vel aliquam ei injuriam affert: fidei autem non adversatur, sed virtuti religionis dumtaxat, ac tunc simplex blasphemia nominatur.

11 *Impia* propositio est, quae quidpiam asserit, quod pietatem imminuat, et gratitudinem debitam sive Deo ut supremo omnium Patri, sive parentibus, consanguineis, superioribus, et benefactoribus.

12 *Injuriosa* dicitur, non quae Deo, et Sanctis cum ipso in Caelis regnantibus contumeliosa, et dehonorativa sit, cum tunc sit blasphema, sed quae alicui, vel statui, vel personae extra Deum injuriam inferat Hinc quae Religioso Ordini, Principibus, ac Ecclesiastica dignitate praefulgentibus injuriam afferunt, hac solent censura notari, atque damnari.

13 *Scandalosa* propositio vocatur, quae dat occasionem ruinae spiritualis, fovendo, et inclinando ad peccatum, sive a virtutis exercitio avertendo. In materia omnium virtutum propositio fieri potest, quae ad vitium incitet, avocetque homines a virtute, sed antonomastice *scandalosa* propositio dicitur, quae in materia ad fidem pertinente errandi occasionem praebeat, vel male sentiendi.

14 *Seditiosa* propositio videtur, quae homines a debita Principibus obedientia retrahit, vel ad excitandos in republica tumultus ducere possit.

15 *Perniciosa* nuncupatur, quae, omni quoque amoto scandalo, damnum ac spiritualem perniciem fidelibus afferre potest, vel debilitando, aut minuendo media ad salutem, et perfectionem pertinentia, vel removendo quod pietatem fovere, et excitare posset.

16 *Temeraria* appellatur, quae insolenter, et audacter nulla doctorum auctoritate asseritur, sive, ut alii malunt, ea est, quae in re theologica temere dicitur, urgente contra ratione solida, atque auctoritate. *Negative temeraria* dici potest quae in theologia sine auctoritate, et solida ratione pronunciatur; *positive* vero, si auctoritati Theologorum, et Patrum opponatur; cujusmodi est, inquit Canus, quae negat Deiparam cum anima, et corpore in caelum assumptam.

17 *Captiosa* est ea, quae sub specie veritatis, aut pietatis in errorem inducit. Talis erat haec Arianorum propositio in Concilio Ariminensi: *Si quis dixerit filium Dei esse creaturam, ut sunt caeterae creaturae, anathema sit.*

18 *Verbo Dei contraria* dicitur, quae veritati quidem revelatae opponitur, sed quae nondum Ecclesiae judicio definita sit.

19 *Falsa* juxta nonnullos ea est, quae obiecto ita sit dissona, ut haec dissonantia fidei, vel moribus noxia sit; sed alii eam falsam vocant, quae cum damnata propositione connexionem habeat, quacumque illa fuerit censura notata. Quamobrem ab erronea differt, quia haec cum expresse haeretica connexa esse debet.

20 *Divine pietati derogans* a blasphema specie non dissidet; cum enim, qua quidpiam divinae detrahit pietati propositio Deo injuriam irroget, palam est, a blasphema specie non dissidere.

I.

Propositiones Beguardorum et Beguinarum *damnatae an.* 1311, *in Conc. Gen. Viennensi a clem. V.* (Ad nostrum 3. *de haeret.*)

1 Homo in vita praesenti tantum, et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit. Nam si quis semper posset proficere, posset aliquis Christi perfectior inveniri.

2 Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet.

3 Illi qui sunt in praedicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanae subjecti obedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur: quia *ubi Spiritus Domini ibi libertas.*

4 Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi, ut eam obtinebit in vita beata.

5 Quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.

6 Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

7 Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale, actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est maxime cum tentatur excercens.

8 In elevatione Corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, et altitudine suae contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.

II.

Aliae duae propositiones in eodem Concilio damnatae ut haereticae.

1 Anima rationalis seu intellectiva non est forma corporis humani per se et essentialiter. (*Clem.* Fidei Catholicae *de Summa Trinitate*).

2 Exercere usuras non est peccatum. (*Clement.* Ex gravi *de usuris.*)

III.

Tres errores Joannis de Poliaco *Doctoris Parisiensis damnati an.* 1320. *ab Joanne XXII. in extrav.* Vas electionis 2. *de haereticis.*

1 Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.

2 Stante *omnis utriusque sexus* edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri (quem dicit esse parochialem curatum.) Imo nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.

3 Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones. immo nec Deus, quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, quem dicit esse (ut praemittitur) proprium Curatum.

IV.

Propositiones damatae ut haereticae *an.* 1322. *ab Joan. XXII. in ejus extrav.* Cum inter nonnullos 4. *de verb. signif.*

1. Redemptor noster ac Dominus Jesus Christus, ejusque Apostoli in speciali non habuerunt aliqua, nec in communi.

2. Redemptori nostro ejusque Apostolis iis, quae ipsos habuisse scriptura sa-

cra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competiit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerunt, aut ex ipsis alia acquirendi.

V.

Quinque propositiones Marsilii Patavini et Joannis de Janduno *damnatae ab Joanne XXII. an.* 1327. *in Const.* Licet juxta.

1. Quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati *Matthaei*, quod ipse solvit tributum Caesari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suae pietatis, sed necessitate coactus.

2. Quod beatus Petrus Apostolus, non fuit plus caput Ecclesiae, quam quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus anctoritatis, quam habuerunt alii Apostoli, et quod Christus nullum caput dimisit Ecclesiae, et nullum fecit vicarium suum.

3. Quod ad Imperatorem spectat corrigere Papam, et punire, ac instituere, et destituere.

4. Quod omnes Sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive Sacerdos simplex quicumque, sunt aequalis auctoritatis, et jurisdictionis ex institutione Christi; sed quod unus habet plus alio, hoc est secundum quod Imperator concessit plus, vel minus, et sicut concessit, revocare potest.

5. Quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem, quantumcumque sceleratum, potest punire punitioue coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem.

Damnatae sunt ut sacrae Scripture contrariae, et fidei catholicae, haereticae, seu haereticales, et erroneae.

VI.

Articuli 45. Joannis Wicleffi de Anglia, *damnati in Conc. Constant. Sess.* 8., *quorum damnatio confirmata est a Martino V. in Constitutionibus* Inter cunctas *et* In eminentis *an.* 1418.

1. Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3. Christus non est in eodem Sacramento identice, et realiter in propria praesentia corporali.

4. Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, et inutilis.

8. Si Papa sit praescitus, et malus, et per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Caesare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Graecorum sub legibus propriis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possesiones.

11. Nullus Praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo, et qui sic excommunicat fit ex hoc haereticus, vel excommunicatus.

12. Paelatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipso traditor est Regis, et Regni.

13. Illi, qui dimittunt praedicare, vel audire Dei Verbum propter excommunicatio-

nem hominum, sunt excommunicati, et in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono, vel Presbytero praedicare Verbum Dei absque auctoritate Sedis Apostolicae, sive Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Praelatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, ex habitu, non solum actu, delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimae sunt purae eleemosynae, et possunt Parochiani propter peccata suorum Praelatorum ad libitum suum eas auferre.

19. Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus.

20. Conferens eleemosynam Fratribus est excommunicatus eo facto.

21. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, et inhabilior ad observationem mandatorem Dei.

22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, et non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa, et praesuntuose asserta, pro quanto sic generaliter et indistincte loquitur: et secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio praesciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.

29. Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, et Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, et tantum posunt Ecclesiae, sicut diabolus.

30. Excommunicatio Papae, vel cujuscumque Praelati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31. Peccant fundantes Claustra, et ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare Clerum est contra regulam Christi.

33. Silvester Papa, et Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine Mendicantium sunt haeretici, et dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inabiles sunt ad observanda divina praecepta, et per consequens ad perveniendum ad regnum Coelorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet Domini saeculares, et caeteri laici.

37. Ecclesia Romana est Synagoga Satanae, nec Papa est proximus, et immediatus Vicarius Christi et Apostolorum.

38. Decretales Epistolae sunt apocryphae, et seducunt a fide Christi, et Clerici sunt stulti, qui student eis.

39. Imperator, et Domini seculares sunt seducti a Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio Papae a Cardinalibus, a Diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.

Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.

42. Fatuum est credere Indulgentiis Papae, et Episcoporum.

43. Juramenta illicita sunt, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus, et commercia civilia.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum Religiosum, omnes sunt haeretici.

45. Omnes Religiones indifferenter inductae sunt a diabolo.

Damnati sunt alii ut notorie haeretici, et a SS. Patribus reprobati, alii ut non Catholici sed erronei, alii ut scandalosi et blasphemi; quidam ut piarum aurium offensivi; nonnulli autem ut temerarii, et seditiosi.

VII.

Articuli 30. Joannis Hus de Boemia *ab eodem Conc, Const. damnati Sess* 15., *quorum damnationem itidem confirmavit Martinus V. iisdem Constitutionibus.*

1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas: *et infra sequitur*: Universalis Ecclesia tantum est una, sicut tantum unus est numerus omnium praedestinatorum.

2. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quosdam actus actibus Ecclesiae malignantium consimiles.

3. Praesciti non sunt partes Ecclesiae, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod praedestinationis charitas, quae ipsam ligat, non excidet.

4. Duae naturae divinitas, et humanitas, sunt unus Christus.

5. Praescitus, etsi aliquando est in gratia secundum praesentem justitiam, tamen numquam est pars S. Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

6. Sumendo Ecclesiam pro convocatione praedestinatorum, sive fuerint in gratia, sive non, secundum praesentem justitiam, isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput Ecclesiae S. Catholicae.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viventes Sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem Sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis, et sacris rebus Ecclesiae, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, et Ordinibus.

9. Papalis dignitas a Caesare inolevit, et Papae perfectio, et institutio a Caesaris potentia emanavit.

10. Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel alio, quod esset caput Ecclesiae particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanae Ecclesiae particularis.

11. Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex, sit caput cujuscumque particularis Ecclesiae Sanctae, nisi Deus eum praedestinaverit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur et morum conformitas, et instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus, et manifestus successor Apostolorum Principis Pe-

tri, si vivit moribus contrariis Petro ; et si quaerit avaritiam, tunc est Vicarius Judae Iscarioth. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, et manifesti successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, et consilia Domini Nostri Jesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, saeculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, et Scribas, et Pharisaeos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum saeculari judicio tradiderunt, et quod tales sint homicidae graviores, quam Pilatus.

15. Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiae, praeter expressam auctoritatem Scripturarum.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, et agit quidquam, tunc agit vitiose; et si est virtuosus, et agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viventes secundum legem ejus, et habentes Scripturae notitiam, et affectum ad aedificandum populum, debent praedicare non obstante praetensa excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Praelatus mandat Sacerdoti sic disposito non praedicare, non debet subditus obedire.

18 Quilibet praedicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit, et illud mandatum debet exequi, praetensa excommunicatione non obstante.

19 Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, et interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt censurae, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maxime usurpabit.

20. Si papa est malus, et praesertim si est praescitus, tunc, ut Judas Apostolus, est diabolus, fur, et filius perditionis, et non est caput Sanctae militantis Ecclesiae, cum nec sit membrum ejus.

21. Gratia praedestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiae, et quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel Praelatus malus, et praescitus est aequivoce pastor, et vere fur, et latro.

23. Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium, et tortores, et praecones dicerentur sancti, immo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Christo contrarie, etiamsi ascenderet per ritam, et legitimam electionem, secundum Constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet, quam per Christum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam : nam Judas Iscariotes rite, et legitime est electus a Deo Christo Jesu ad Episcopatum, et tamen ascendit aliunde in ovile ovium.

25. Condemnatio 45. art. Johannis Wicleff per Doctores facta est irrationabilis, et iniqua, et male facta, et ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum, aut est haereticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso, quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus, et manifestus Successor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in officio Ecclesiastico : unde sive Electores bene, vel

male elegerint , operibus electi debemus credere , nam eo ipso , quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum Ecclesiae , habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

27. Non est scintilla apparentiae , quod oporteat esse unum caput in Spiritualibus regens Ecclesiam , quod semper cum Ecclesia ipsa militante conversetur , et conservetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus , per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, melius suam Ecclesiam regularet.

29. Apostoli , et fideles Sacerdotes Domini stremue in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam , antequam Papae officium foret introductum : sic facerent , deficiente per summe possibile Papa usque ad diem judicii.

30. Nullus est Dominus civilis , nullus est Praelatus , nullus est Episcopus , dum est in peccato mortali.

Iisdem censuris notati sunt quibus articuli Wicleff ut supra.

VIII.

Propositio damnata ab eodem Conc. Const. Sess. 15., *quam condemnationem ratam habuit Martinus V. Sess.* 45., *iterumque damnavit Paulus V. an.* 1615. *Const.* Cura Dominici gregis.

1. Quilibet tyramnus potest, et debet licite, et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum , vel subditum , etiam per clancularias insidias , et subtiles blanditias , vel adulationes , non obstante quocumque praestito juramento , seu confoederatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscumque.

Damnata est tamquam haeretica , scandalosa , erronea in fide et in moribus , et ad fraudes, deceptiones, mendacia , proditiones , perjuria vias dans.

IX.

Propositiones damnatae in Concilio Basileensi Sess. 22. , *quam damnationem , ut censent gravissimi Theologi , confirmavit Eugenius IV., et Nicolaus V. eius Successor.*

1. Non omnes fideles justificati sunt membra Christi , sed soli electi finaliter in perpetuum regnaturi cum Christo.

2. Secundum ineffabilem praescientiam Dei sumuntur membra Christi , ex quibus constat Ecclesia: quae tamen non constat nisi ex eis, qui secundum propositum electionis vocati sunt.

3. Non sufficit Christo uniri vinculo charitatis, ut aliqui efficiantur membra Christi , sed requiritur alia unio.

4. Humana natura in Christo vere est Christus.

5. Humana natura in Christo est persona Christi.

6. Ratio suppositalis determinans humanam naturam in Christo non realiter distinguitur ab ipsa natura determinata.

7. Natura humana in Christo procul dubio est persona Verbi , et Verbum.

8. In Christo natura assumpta est realiter persona assumens.

9. Natura humana assumpta a Verbo ex unione personali est veraciter Deus naturalis , et proprius.

10. Christus secundum voluntatem creatam tantum diligit naturam humanam unitam personae Verbi , quantum diligit naturam divinam.

11. Sicut duae personae in divinis sunt aequaliter diligibiles , ita duae naturae in Christo , humana et divina , sunt aequaliter diligibiles propter personam communem.

12. Anima Christi videt Deum tam clare, et intense, quamtum clare, et intense Deus videt seipsum.

13. Christus quotidie peccat, et ex quo fuit Christus quotidie peccavit.

Damnatae sunt tamquam erronae in fide.

X.

Propositiones Petri Oxomensis, seu de Osma damnatae a Sisto IV. an. 1479. *in Const.* Licet ea.

1. Confessionem peccatorum in specie ex universalis Ecclesiae realiter statuto, non divino jure compertam fore.

2. Peccata mortalia quoad culpam, et poenam alterius saeculi absque confessione sola cordis contritione; pravas vero cogitationes sola displicentia deleri.

3. Quod Confessio secreta sit, necessario non exigi.

4. Non peracta poenitentia confitentes absolvi non debere.

5. Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere, et super his, quae universalis Ecclesia statuit, dispensare non posse.

6. Sacramentum quoque Poenitentiae, quantum ad collationem gratiae, naturae, non autem institutionis novi, aut veteris Testamenti existere.

Quas propositiones falsas, Sanctae Catholicae Fidei contrarias, erroneas, et scandalosas, et ab Evangelica veritate penitus alienas, ac SS. Patrum Decretis, et aliis Apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam haeresim continere *Summus Poatifex declaravit.*

XI.

Duae propositiones damnatae ut haereticae *a Leone X. an.* 1513. *in Conc. Lateranen. Sess.* 8.

1. Anima intellectiva est mortalis.

2. Anima intellectiva est unica in cunctis hominibus.

Subjungit autem Summus Pontifex. Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem, veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, et ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus: omnesque hujusmodi erroris assertionibus inhaerentes, veluti damnatissimas haereses seminantes, per omnia, ut detestabiles, et abominabiles haereticos, et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos, et puniendos fore decernimus. Insuper omnibus, et singulis philosophis in universitatibus studiorum generalium, et alibi publice legentibus, districte praecipiendo mandamus, ut cum philosophorum principia, aut conclusiones, in quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explanaverint, quale hoc est de animae mortalitate, aut unitate, et mundi aeternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianae omni conatu manifestam facere, et persuadendo pro posse docere, ac omni studio hujusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resolvere.

XII.

Errores Martini Lutheri *damnati a Leone X. an.* 1520 *in Constit.* Exurge

1. Haeretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novae legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, et Christum simul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu coeli.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere poenam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes poenitentiae, contritionem, confessionem, et satisfactio-

nem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus.

6. Contritio, quae paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem; haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus huc usque data praestantius: de cetero non facere, summa poenitentia; optima poenitentia, nova vita.

8. Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi, remittente Sacerdote, credat sibi remitti, immo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati, et gratiae donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi: *quodcumque solveris* etc. (Matth. 16.) Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12, Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In Sacramento Poenitentiae, ac remissione culpae, non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos; imo ubi non est Sacerdos, aeque tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset.

14. Nullus debet respondere Sacerdoti, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiae accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod praemiserint orationes suas, et praeparatoria: omnes illi ad judicium sibi manducant, et bibunt: sed si credant, et confidant se gratiam ibi consecuturos, haec sola fides facit eos puros, et dignos.

16. Consultum videtur, quod Ecclesia in Communi Concilio statueret Laicos sub utraque specie communicandos; nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt haeretici, sed schismatici.

17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi, et Sanctorum.

18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum: et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt.

19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccetis actualibus debitae apud divinam justitiam.

20. Seducuntur credentes, Indulgentias esse salutares, et ad fructum spiritus utiles.

21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo, et impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica; his qui meliora operantur.

23. Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.

24. Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

25. Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus.

26. Verbum Christi ad Petrum : *Quodcumque solveris super terram* etc. (Matth. 16.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

27. Certum est in manu Ecclesiae, aut Papae prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Ecclesiae sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut haeresis contrarium sentire, praesertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium universale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta est enervandi authoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et judicandi eorum decreta, et confidenter confitendi, quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt christianissimi, verissimi, et evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

31. In omni opere bono justus peccat.

32. Opus bonum optime factum, est veniale peccatum.

33. Haereticos comburi, est contra voluntatem spiritus.

34. Praeliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

35. Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium.

36. Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo : et dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quae sit in Canone.

38. Animae in Purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem omnes: nec probatum est ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendae charitatis.

39. Animae in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem, et horrent poenas.

40. Animae ex Purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41. Praelati Ecclesiastici, et principes Saeculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.

Praefati omnes, et singuli articuli, seu errores damnati sunt tamquam respective haeretici, aut scandalosi, aut falsi, aut piarum aurium offensivi, vel simplicium mentium seductivi, et veritati Catholicae obviantes.

XIII.

Propositiones Michaelis Baji *damnatae a S. Pio V. in Const.* Ex omnibus *an.* 1567. *interumque a Greg. XIII. in Const.* Provisionis nostrae *an.* 1579., *et ab Urbano VIII.* In eminenti *an.* 1641.

1. Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium.

3. Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia.

4. Vita aeterna homini integro, et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturae ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo, et primo homini continetur naturalis justitiae constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita aeterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primae creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturae Sacrae non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi, nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, et Angelo, forsitan, neu improbanda ratione, possunt dici gratia: sed quia secundum usum Sacrae Scripturae, nomine gratiae, ea tantum munera intelligntur, quae per Jesum Christum male merentibus, et indignis conferuntur; ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio poenae temporalis, quae, peccato dimisso, saepe remanet, et corporis resurretio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, et juste in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae, justo Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur.

12. Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni coelestis meritorium.

13. Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, et inhabitantem Spiritum Sanctum: sed eo solum, quod obedit divinae legi.

16. Non est vera legis obedientia, quae fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, et Poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiae, et Temperantiae, quae Christus fecit, ex dignitate personae operantis, non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.

21. Humanae naturae sublimatio, et exaltatio in consortium divinae naturae, debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam supernaturali, et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe, et charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, et otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum,

excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum rejicienda est; hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia,

26. Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, et latrones, qui Christum, viam, et ostium veritatis, et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in via justitiae (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiae ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, et sincera, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catachumenus juste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum Sacris Litteris, et plurimis veterum testimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola Philosophia per elationem praesumptionis humanae, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quae est operum justitia, non autem in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinae naturae consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus poenitentibus, ante Sacramentum absolutionis, et in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quae a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, et vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missae non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat.

46. Ad rationem, et definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis questio est, sed causae, et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione, ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, et legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quae homo invitus patitur, sunt prohibita praecepto, *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quae inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum auctorem, et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, et reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obbligatio ad poenam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator poenitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens, et inspirans, vivificat eum, et resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

60. Per passiones Sanctorum, in Indulgentiis communicatas, non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, divinae legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, et omnibus circumstantiis rectum est, et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni aeterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiae; alterius, quae fit per spiritum charitatis inhabitantem: alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, et in eo charitatem diffundentis, qua divinae legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentia, et vitae novae propositum, et inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, et palmes vivus

in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiae Christi injuriam facit, qui ita sentit, et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem, et inspirationem gratiae, quae per eam justificatos faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum, conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martirii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde et Job, et Martyres, quae passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, praeter Christum, est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiae, sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti praecepto, *Non concupisces*; Unde homo consentiens, et non consentiens, transgreditur praeceptum, *Non concupisces*, quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiae carnalis in diligente est, non facit praeceptum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosae justificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari, et institui sine justitia naturali.

Quas quidem Sententias (*subjungit S. Pius V.*) stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent: in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective .... damnamus ... deque eisdem, et similibus posthac, quoquo pacto, loquendi, scribendi, et disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus .... beneficiis, et officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quaecumque decernimus, vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, a quo nullus, Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare.

Posteriora verba sic interpunxerunt quidam discipuli Baii. Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento; haereticas, erroneas, etc. damnamus: *Ex qua interpunctione inferebant nullam determinate dici posse damnatam, sed tantum aliquas indeterminate, ideoque posse singulas defendi in sensu ab assertoribus intento: sed Urbanus VIII. in Generali Congr. an.* 1644. *produxit ex Archivio Bullam*, In eminenti,

in qua inserta est Const. S. Pii V., et comma ponitur post to possent; *eranique interpunctiones, ut supra retulimus.*

XIV.

Propositio damnata a Clem, VIII. 20. *Junii an.* 1602, *et quidem tam complexive, quam divisive, ut patet ex Decr. Pauli V.* 14. *Jul.* 1605.

Licet per literas, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

Ad minus ut falsa, temeraria, et scandalosa.

Vetuit Pontifex sub poena excommunicationis latae sententiae sibi reservatae, ne deinceps ista propositio in publicis, privatisque lectionibus, concionibus, et congressibus doceatur, neque unquam, tamquam aliquo casu probabilis, defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.

XV.

Propositio asserens aequalitatem SS. Petri et Pauli damnata ab Inn. X. 29. *Januarii an.* 1647.

S. Petrus, et S. Paulus sunt duo Ecclesiae Principes, qui unicum efficiunt. *Vel*: sunt duo Ecclesiae Catholicae Coriphaei, ac supremi Duces, summa inter se unitate conjuncti. *Vel*: sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. *Vel*: sunt duo Ecclesiae Summi Pastores, ac Praesides, qui unicum caput constituunt.

Quae propositio ita explicata, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum, et S. Paulam, sine subordinatione, et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, et regimine universalis Ecclesiae, *damnata est* ut haeretica.

XVI.

Quinque propositiones Cornelii Jansenii *damnatae ab Inuocentio X. an* 1653. *in Const.* Cum occasione; *iterumque ab Alex. VII. an.* 1656. *in Const.* Ad Sanctam.

1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, et conantibus, secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Haeretica, anathemate damnata, blasphema, impia, temeraria.

2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae, numquam resistitur.

Haeretica.

3. Ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Haeretica.

4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Haeretica, et falsa.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Falsa, temeraria, scandalosa; et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.

Mandat Summus Pontifex omnibus Christi fidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant ..... sub censuris, et poenis contra haereticos, et eorum fautores in jure expressis.

XVII.

Propositiones damnatae ab Alex. VII. 30. Januarii an. 1659.

1. Concil. Trident. non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Saecularium confessiones audire possint, neque ex illius Concilii authoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum non sit, praeterquam in decisionibus Fidei, neque etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

Est falsa, temeraria, scandalosa, in haeresim, et schisma inducens, Sacro Concilio Tridentino, et Sedi Apostolicae injuriosa.

2. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt, ad Confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare. Quinimo Ordinum mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur; etsi ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa fuisset.

Complexe accepta est falsa, temeraria, scandalosa, et erronea.

3. Regulares Ordinum mendicantium, semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo authoritas ipsis indulta non fuerit.

Quoad primam partem est falsa, et saluti animarum perniciosa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum, et Sedis Apostolicae injuriosa.

4. Nullus in foro conscientiae Parochiae suae interesse tenetur, nec ad annuam Confessionem, nec ad missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, Fidei rudimenta, morumque doctrinam, quae ibi in Catechesibus annunciantur, et docentur.

Quoad primam, et secundam partem simpliciter accepta est erronea, et temeraria: suppositis vero privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram. Et quoad tertiam partem de auditione verbi Dei servetur dispositio sacri Concilii Tridentini.

5. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, vel Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus poenis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Suppositis itidem privilegiis Apostolicis, nullam meretur censuram; verum ista non est praedicanda, nec publice docenda, prout nec praecedens quarta.

6. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus Saecularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad praedicandum in Adventu, et Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi, decretum Judicum Saecularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset.

Est falsa, erronea, et in haeresim, ac schisma inducens.

Hanc ergo qualificationem, et declarationem a cunctis tenendam, sequendam, et in praxi observandam esse, Sanctitas Sua declaravit, et mandavit sub poenis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de haeresi suspectos respective impositis.

XVIII.

Propositiones 45. damnatae ab Alexandro VII., videlicet 28. Decr. 24. Sept. 1665, et aliae 17. Decr. 18. Mart. 1666.

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi praeceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3, Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18 Julii in Concistorio Sacrae Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit poenitenti cartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9, Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam caussam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem, gravia crimina de se, vel de sua Religione, spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice, et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio, a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit poena.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens. commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam,

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27, Si liber sit alicujus junioris, et moderni, debet opinio censeri probabilis. dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla caussa non recipiat, legem a Principe promulgatam.

29. In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici praecepto pro die praesenti, et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo V., hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illo, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum Legatum, pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Damnatae ut minimum tamquam scandalosae.

Decrevit praeterea, ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit,

defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

XIX.

Propositiones 65. *damnatae ab Innocentio XI.* 2. *Mart.* 1679.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamtumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari; et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale, et secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, si res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Caussa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, et studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato liegis a similibus solet exigi; non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in cathedram, vel praebendam contra eorum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeviae inito, cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non

majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquod exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium; sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturae prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum, ascendere per fenestras ad stuprandum Virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, et Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, et non vult omittere, quinimmo directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Supradictas propositiones, et unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, et in praxi perniciosas *damnavit Sum. Pontifex. Decrevit praeterea etc. ut supra Alex. VII. sub. num. XVIII.*

XX.

Propositiones duae ab eodem Pontifice damnatae 23. *Nov.* 1679. *ut* temerariae ad minimum, et novae.

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

XXI.

Propositio damnata in Decreto S. Congr. Gen. Inquis. 18 *Nov.* 1682., *auctoritate Inn. XI. edito.*

Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravaminae poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo gravius gravamen ejusdem poenitentis ex non usu sequeretur.

Dicta propositio quatenus admittit usum dictae scientiae cum grevamine poenitentis, *damnata est* etiam cum dicta explicatione, sive limitatione.

Item in eodem decreto prohibitum est, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere sub poenis arbitrio S. C. infligendis, *ac praeterea mandatum est, ut ab ea in praxim deducenda Confessarii prorsus abstineant.*

XXII.

Propositiones 68., *quae praetextu Orationis quietis a* Michaele de Molinos *docebantur, damnatae ab Innoc. XI. die* 20. *Nov.* 1687 *Const.* Coelestis Pastor.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare; et haec est via interna.

2. Velle operari active est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens; et ideo opus est seipsum in Deo totum, et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes, et veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad suum principium redit, et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, et Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duae res unitae,

sed una tantum , et hac ratione Deus vivit , et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa , in qua non cognoscitur , nec lumen , nec amor, nec resignatio , et non oportet Deum cognoscere ; et hoc modo recte proceditur .

7. Non debet anima cogitare, nec de praemio, nec de punitione, nec de Paradiso , nec de Inferno , nec de morte , nec de aeternitate .

8. Non debet velle scire , an gradiatur cum vuluntate Dei , an cum eadem voluntate resignata maneat , nec ne ; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum , nec proprium nihil , sed debet ut corpus exanime manere .

9. Non debet anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva , etiam reflexio ad suas humanas actiones, et ad proprios defectus .

10. Si propriis defectibus alios scandalizet , non est necessarium reflectere , dummodo non adsit voluntas scandalizandi , et ad proprios defectus non posse reflectere , gratia Dei est .

11. Ad dubia, quae occurrunt , an recte procedatur, necne, non est opus reflectere .

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit , de nulla re debet curam habere , nec de Inferno , nec de Paradiso , nec debet desiderium habere propriae sanctitatis , nec propriae salutis , cujus spem expurgare debet .

13. Resignato Deo libero arbitrio , eidem Deo relinquenda est cogitatio , et cura de omni re nostra, et relinquere, ut faciat in nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat , quia petere est imperfectio , cum sit actus propriae voluntatis, et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae , et illud Evangelii , *Petite et accipietis* , non est dictum a Christo pro animabus internis , quae nolunt habere voluntatem . Immo hujusmodi animae eo perveniunt , ut non possint a Deo rem aliquam petere .

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere , ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent , quia utrumque est actus propriae voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quaerere pro poena , propriis peccatis debita , quia melius est divinae justitiae satisfacere , quam divinam misericordiam quaerere ; quoniam illud ex puro Dei amore procedit , et istud ab amore nostri interessato ; nec est res Deo grata , nec meritoria , quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura, et cogitatione animae nostrae non est amplius habenda ratio tentationum: nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa , nulla adhibita industria; et si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur , quia est natura.

18. Qui in oratione utitur immaginibus , figuris , speciebus , et propriis conceptibus , non adorat Deum in spiritu , et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo , quo ratio argumentatur , aut intellectus comprehendit , non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre , et per cogitationes , quando Deus animam non alloquitur , ignorantia est. Deus numquam loquitur , ejus locutio est operatio ; et semper in anima operatur , quando haec suis discursibus , cogitationibus , et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura , et universali , cum quiete , et oblivione cujuscumque cogitationis particularis , ac distinctae attributorum Dei, ac Trinitatis , et sic in Dei praesentia manere ad illum adorandum, et amandum , eique inserviendum , sed absque productione actuum , quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio haec per fidem non est actus a creatura productus , sed est co-

gnitio a Deo creaturae tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse, et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, et Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impurae, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, et resignatione tollerentur, non impediunt orationem fidei: immo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinae voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, et dormiatur, nihilominus fit oratio, et contemplatio actualis: quia oratio, et resignatio, resignatio, et oratio idem sunt; et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illae viae: Purgativa, Illuminativa, et Unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quaerit Deum, sed seipsum; et male agit, cum eam desiderat, et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Taedium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, et frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exerceat internas, quae non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur praeparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia in ista continetur amor, qui modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Male agit anima, quae procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum; quoniam animae internae omnes dies sunt aequales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca aequalia sunt.

34. Verbis, et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quae in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; et quo magis Deo se resignant, experiuntur, se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare.

35. Non convenit animabus hujus viae internae, quod faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione, et activitate, alias non essent mortuae; nec debent elicere actus amoris erga B. Virg., Sanctos, aut Humanitatem Christi, quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, et possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, et poenitentiae, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhaesionem.

40. Beata Virgo nullum umquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, et vult ad nos humiliandos, et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Daemon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, et sine mentis offuscatione, movendo physice illorum manus, et alia membra contra earum voluntatem, et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiae ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et feminae, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus praeteritis saeculis Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit sanctos ministerio Daemonum, qui caussando in eis praedictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Daemonis violentia.

45. S. Paulus hujusmodi Daemonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit; *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, et ad eam ad veram transformationem, et unionem perducendam, nec alia superest via: et haec est via facilior, et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones, et actus obscoeni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Daemon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia Daemonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo *mundas habebat ad Deum preces* (sic interpretando locum ex capite 16 Job.)

50. David, Jeremias, et multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthaeis, conjugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quae alias erant prohibita, et peccata fuissent: de Juditha, quae Holoferni mentita fuit: de Eliseo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Daemonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiae etiam impurae absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quae protestantur, se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, et videre quod sint animae, quae proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali, cogitatione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia, et certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitae ordinariae in hora mortis se delusos invenient, et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil, nec ulla sentitur inquietudo sicut corpus mortuum, nec anima amplius commoveri sinit.

56. Duae leges, et duae cupiditates, animae una, et amoris proprii altera tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illae duae leges, et duae cupiditates: nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessaiis, et a casibus conscientiae, a Theologia, et Philosophia.

60. Animabus provectis, quae reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt, ut sint mortuae, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia praeservante, quantam in Sacramento reciperent, et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63, Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi; primo quia non habet fidem adeo puram; secundo quia non est adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam salutem; quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae Religiosorum ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus, et Director intrant.

66. Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullae, nec Santi, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Praepositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio; quia Ecclesia non judicat de occultis, et propriis animabus praejudicant his deceptionibus, et simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad praccipiendum, ut manifestentur Epistolae Directoris quoad internum animae, et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae etc.

Damnatae sunt tamqnam haereticae, suspectae, erroneae, scandalosae, blasphemae, piarum aurium offensivae, temerariae, Christianae disciplinae relaxativae, et eversivae, et seditiosae respective, *cum prohibitione de iisdem, et similibus omnibus, et singulis quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim deducendi, sub poena privationis ipso facto omnium dignitatum, beneficiorum etc., ac inhabilitatis ad quaecumque, et excommunicationis eo ipso incurrendae.*

XXIII.

Propositiones duae damnatae ab Alex. VIII. 24. Aug. 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpetrative; *Hunc homo non tenetur amare, neque in principio. neque in decursu vitae suae moralis.*

Haeretica.

2. Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: theologicum vero, et mortale est tsausgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

Scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea.

Decretum est insuper quoad hanc secundam propositionem ut supra ab Alex. VII. sub. N. XVIII.

XXIV.

Propositiones 31. *damnatae ab eodem Pontifice 7. Decemb.* 1690.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale, et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, et solis fidelibus.

5. Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni operae peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut coelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aeternae mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei, propter se non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutoni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, et praescriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factae, pleraeque vel sacrilegae sunt, vel invalidae.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, et incongrua poenitentia, seu satisfactione ob quaestum, seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendum praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quae fiebat a B. M. V. in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiquerit Purificatione, et quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc.* praetermissis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

Damnate sunt respective ut temerariae, scandalosae, male sonantes, injuriosae, haeresi proximae, haeresim sapientes, erroneae, schismaticae, et haereticae.

Insuper decretum est ut supra ab Alex. VII. sub N. XVIII.

XXV.

Theses 23. *extractae ex Libro.* Explication des maximes des Saints sur la Vie interieure, par M. Francois de Salignac Fenelon, Archevêque de Cambray, *et damnatae ab Innocentio XII.* 12 *Martii* 1699. *Const.* Cum alias.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitae contemplativae, sive unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris, et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animae, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, praecautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctae indifferentiae anima non habet amplius desideria voluntaria, et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suae gratiae fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctae indifferentiae nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, et beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suae gratiae.

6. In hoc sanctae indifferentiae statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem aeternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum : sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, et beneplacitum Dei ; ut rem, quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio ; seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremae probationes, in quibus haec abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus aemulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam aeternum.

8. Omnia sacrificia, quae fieri solent ab animabus, quam maxime disinteressatis circa earum aeternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animae invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quae non est intimus conscientiae fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens : *Deus, Deus meus ; ut quid dereliquisti me* ? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad aeternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis, et intimis, spem perfectam, quae est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae sui proprii interesse, et justae condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quaedam separatio partis superioris animae ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caeca,et involuntaria perturbatione ; nam totum , quod est voluntarium et intellectuale est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinnguntur . . . Ista compositio actuum discursivorum , et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis , adeoque perfectae , ut fiat habitualis , ita ut quoties anima actu orat , sua oratio sit contemplativa , non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem , ejusque actus methodicos.

17. Animae contemplativae privantur intuitu distincto sensibili , et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis . . . . Primo , in fervore nascente earum contemplationis. . . . . Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in estremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctae , non cogitando , quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur,quam facere id, quod Deus vult , amplius et amor zelotipus simul efficit , ne quis amplius sibi virtutem velit , nec unquam sit adeo virtute praeditus , quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu , quod anima passiva , et disinteressata , nec ipsius amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, et sua felicitas, sed solum quatenus est id , quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animae transformatae sua peccata detestari , et condemnare se , et desiderare remissionem suorum peccatorum , non ut propriam purificationem , et liberationem , sed ut rem , quam Deus vult , et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti Mystici excluserunt a statu animarum trasformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis haec doctrina (*de puro amore*) esset pura , et simplex perfectio Evangelica, in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum , nisi exercitia amoris interessati , eorum gratiae proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem , et tunc evadit unicum principium , et unicum motivum omnium ac tuum, qui deliberati, et meritorii sunt.

Damnatae sunt sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione *tamquam* temerariae, scandalosae , male sonantes , piarum aurium offensivae , in praxi perniciosae, ac etiam respective erroneae.

XXVI.

Propositiones 101. Paschasii Quesnel *excerptae ex Opere.* Le Nouveau Testament en Francois, avec de reflexions morales sur chaque verset etc... *ac aliter* Abregé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres , des Epitres de S. Paul , des Epitres Canoniques , et de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacres, etc. *Damnatae a Clem. XI. in const.* Unigenitus 8 *Sept.* 1713.

1. Quid aliud remanet animae, quae Deum , atque ipsius gratiam amisit , nisi peccatum , et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia , hoc est generalis impotentia ad laborem , ad orationem , et ad omne opus bonum ?

2. Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis , necessaria est ad omne opus bonum ; absque illa non solum nihil fit , sed nec fieri potest.

3. In vanum , domine , praecipis , si tu ipse non das quod praecipis.

4. Ita Domine . omnia possibilia sunt ei , cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5, Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiae suae, exhortationes, et gratiae exteriores non inserviunt , nisi ad illud magis obdurandum.

6. Discrimen inter foedus Judaicum , et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati , et implementum legis a peccatore , relinquendo illum in sua impotentia ; in isto vero Deus peccatori dat , quod jubet , illum sua gratia purificando.

7. Quae utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriae infirmitati imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est , admitti ad foedus , in quo Deus nobis donat , quod petit a nobis ?

8. Nos non pertinemus ad novum foedus , nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae , quae operatur in nobis id , quod Deus nobis praecipit.

9. Gratia Christi est gratia suprema , sine qua confiteri Christum numquam possumus , et cum qua nunquam illum abnegamus,

10. Gratia est operatio manus omnipotentis Dei , quam nihil impedire potest , aut retardare,

11. Gratia non est aliud , quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis , et facientis quod jubet,

12. Quando Deus vult salvare animam , quocumque tempore , quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam salvam facere , et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14. Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari sue gratiae, oportet ut se dedat, accurrat , humiliet , et adoret Salvatorem suum.

15. Quando Deus mandatum suum, et suam aeternam locutionem comitatur unctione sui spiritus , et interiori vi gratiae suae , operatur illa in corde obedientiam , quam petit.

16. Nullae sunt illecebrae , quae non cedant illecebris gratiae , quia nihil resistit Omnipotenti.

17. Gratia est vox illa Patris , quae homines interius docet , ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad eum non venit , postquam audivit vocem exteriorem Filii ; nullatenus est doctus a Patre.

18. Semen verbi , quod manus Dei irrigat , semper affert fructum suum.

19. Dei gratia nihil aliud est , quam ejus Omnipotens voluntas : haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20. Vera gratiae idea est , quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat , et omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus , et omnia sibi submissa sunt.

21. Gratia Jesu Christi est gratia fortis , potens , suprema , invincibilis , utpote quae est operatio voluntatis Omnipotentis , sequela , et imitatio operationis Dei incarnantis , et resuscitantis Filium suum.

22. Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiae , et gratiae , quae omnes ita gratuitae, atque ita dependentes a Deo sunt , sicut ipsa originalis operatio.

23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suae gratiae, eam significans per illam, quae creaturas e nihilo producit, et mortuis reddit vitam.

24. Justa idea , quam Centurio habet de omnipotentia Dei, et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suae voluntatis , est imago ideae, quae haberi debet de omnipotentia suae gratiae in sanandis animabus a cupiditate.

25. Deus illuminat animam, et eam sanat aeque ac corpus sola sua voluntate; jubet, et ipsi obtemperatur.

26. Nullae dantur gratiae, nisi per fidem.

27. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiter.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest, electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantum oportet bonis terrenis, et sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropiandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, et mysteria, ut facit Sanctus Paulus, dicens: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.

35. Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae, et integrae.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, et status innocentiae, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset; ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos santificando in Jesu Christo, est omnipotens, et digna filio Dei.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se praecipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis non potest venire, nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

42. Sola gratia Christi reddidit hominem aptum ad sacrificium Fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.

43. Primus effectus gratiae Baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44. Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, et actiones omnes nostrae nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; et hic fons est charitas: quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebrae, nisi aberratio, et nisi peccatum, sine Fidei lumine, sine Christo, et sine charitate?

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

50. Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, et semine; sed haec fides non est absque amore, et fiducia.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, et Jesum Chistum.

54. Sola charitas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.

57. Totum deest peccatori, quando ei deest spes, et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58. Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.

59. Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiae non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63, Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judaeus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

65, Moyses, et Prophetae, Sacerdotes, et Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66, Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiae, sed per fidem, et per amorem, sicuti filii.

67, Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, et precibus.

69. Fides, usus, augmentum, et praemium fidei, totum est donum purae liberalitatis Dei.

70. Numquam Deus affligit innocentes, et afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71, Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Ecclesiae Christianae est, quod sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos coeli, et omnes Electos, et justos terrae, et omnium saeculorum.

73. Quid est Ecclesia, nisi coetus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri saeculi?

74. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra.

75, Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, et persona; Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, et Justi omnium saeculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam filio Dei, et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, et Christum pro capite.

78. Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, et Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79. Unde et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria Sacrae Scripturae.

80. Lectio Sacrae Scripturae est pro omnibus.

81. Obscuritas sancta Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari foeminis, lectione Sacrorum Librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses.

84. Abripere e Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere Christianis lectionem Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis Filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi Apostolicae, et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae, et contritionis, et incipiendi, ad minus satisfacere justitiae Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum, et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89. Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiae.

90. Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem praesumpto totius corporis.

91. Excommunicationis injustae metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiae per charitatem affixi sumus.

92. Pati potius in pace excommunicationem, et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93. Jesus quandoque sanat vulnera, quae praeceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94. Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores.

95. Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, et supra communem captum fidelium; neque satis advertitur,

quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiae, et irae Dei in filios suos.

96. Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariae Praedicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinae gratiae.

97. Nimis saepe contingit, membra illa, quae magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiae sunt, respici, atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum.

98. Status persecutionis et poenarum, quas quis tolerat, tamquam haereticus, flagitiosus, et impius, ultima plerumque probatio est, et maxime meritoria, utpote quae facit hominem magis conformem Jesu Christo.

99. Pervicacia, praeventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitae, v. g, bonos libros, instructiones, sancta exempla etc.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, tempus hoc adveuit ... Haberi, et tractari a Religionis Ministris tamquam impium, et indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, et zelo quodam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excaecatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus, sacrificare Deo impium, et sacrificamus diabolo Dei servum.

101. Nihil spiritui Dei, et doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, et idiotis, et efficere, ut nomen, et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Omnes, et singulae propositiones *damnatae sunt* respective tamquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensivae, scandalosae, perniciosae, temerariae, Ecclesiae, et ejus praxi injuriosae, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosae, seditiosae, impiae, blasphemae, suspectae de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis, et haeresibus, ac etiam schismati faventes, erronae, haeresi proximae, pluries damnatae, ac demum etiam haereticae; variasque haereses, et potissimum illas, quae in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes.

Mandavit insuper summus Pontifex omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem sua Constitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a Jure statutis poenis ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

XXVII.

Quinque de duello propositiones damnatae a Benedicto XIV. in Const. Detestabilem 9 *Nov.* 1752.

1. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad Officia militaria ineptus haberetur; indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur; vel promotionis, alias sibi debitae ac promeritae, spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux, vel Officialis Militiae, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare, et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnatae sunt ut falsae, scandalosae, ac perniciosae.

Insuper decretum est ut supra ab Alex. VII. n. XVIII.

XXVIII.

Propositiones damnatae a Pio VI. in Const. Auctorem 28 *Aug.* 1794.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

1. Propositio, quae asserit *postremis hisce Saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad Religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Jesu Christi;*

Haeretica.

De Potestate Communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc Pastoribus communicetur.

2. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus Ministri pro salute Animarum;*

Sic intellecta ut a Communitate Fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici Ministerii, ac regiminis potestas.

Haeretica.

De Capitis Ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

3. Insuper quae statuit *Romanum Pontificem esse Caput Ministeriale;*

Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in Persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem Ministerii accipiat, qua velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae Caput pollet in universa Ecclesia,

Haeretica.

De potestate Ecclesiae quoad constituendam, et sanciendam exteriorem disciplinam.

4. Propositio affirmans; *abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae, ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione, et corde*, tum etiam, *multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis;*

Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda, et sancienda,

Haeretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendae, aliter quam per media, qnae pendent a persuasione;

Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia, et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus poenis coercendi, atque cogendi,*

Ex Bened. XIV. in Brevi *Ad assiduas* anni 1755. Primati, Archepiscopis, et Epipis Regni Polon.

Inducens in Systema alias damnatum ut haereticum.

§. Jura Episcopis praeter fas attributa.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae Dioecesis*;

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque Dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem, et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices, et Concilia Generalia pro universa Ecclesia,

Schismatica, ad minus erronea.

7. Item in eo, quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem Ecclesiasticae disciplinae Constitutionem*, idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini Dioecesis, majori gloriae Dei, et majori aedificationi Fidelium*;

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio, et arbitratu statuere, et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque Provincia locum habent, sine venia, et interventu Superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt, aut probatae, et vim legis obtinent,

Inducens in Schisma, et Subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item quod et sibi persuasum esse ait, *Jura Episcopi, a J. C. accepta pro gubernanda Ecclesia, nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit, horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum, ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suae Ecclesiae*;

In eo quod innuit, jurium Episcopalium exercitium nulla Superiori Potestate praepediri, aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit, minus id expedire majori bono suae Ecclesiae,

Inducens in Schisma, et Subversionem hierarchici regiminis, erronea.

§. Jus perperam tributum inferioris Ordinis Sacerdotibus in Decretis fidei, et disciplinae.

9. Doctrina, quae statuit, *reformationem abusuum circa Ecclesiasticam disciplinam in Synodis Dioecesanis ab Episcopo, et Parochis aequaliter pendere, ac stabiliri debere: ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus, et jussionibus Episcoporum*,

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Arianae, a Calvino innovatae.

10. Item doctrina, qua Parochi, aliive Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo Judices fidei, et simul innuitur, judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto,

Falsa, temeraria, Ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati Definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.

11. Sententia enuntians, veteri Majorum instituto, ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae Saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent, et approbatae a Synodo Dioecesana*,

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae Constitutionibus Apostolicis, tum et Sententiis, ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, Schisma fovens, et haeresim.

§. Calumniae adversus aliquas decisiones in materia Fidei, ab aliquot saeculis emanatas.

12. Assertiones Synodi, complexive acceptae circa Decisiones in materia fidei, ab aliquot Saeculis emanatas, quas perhibet velut Decreta ab una particulari Ec-

clesia, vel paucis Pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia,

Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosae, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae derogantes, Schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.

§. De Pace dicta Clementis IX.

13. Propositio relata inter acta Synodi, quae innuit Clementem IX pacem Ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis juris, et facti in subscriptione Formularii ab Alexandro VII praescripti.

Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa

14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum Adversarios vituperando,

Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus injuriosa, Schisma fovens, et haeresim.

§. De Coagmentatione Corporis Ecclesiae.

15. Doctrina, quae proponit Ecclesiam *considerandam velut unum Corpus Mysticum coagmentatum ex Christo Capite, et Fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos, una sola Victima, unus solus Adorator perfectus Dei Patris in Spiritu, et Veritate*;

Intellecta hoc sensu, ut ad Corpus Ecclesiae non pertineant nisi Fideles, qui sunt perfecti Adoratores in Spiritu, et Veritate,

Haeretica.

§. De Statu innocentiae.

16. Doctrina Synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primaevam Sanctitatem, aliqua ratione post lapsum restitutam;

Quatenus complexive accepta innuit, statum illum sequelam fuisse Creationis, debitum ex naturali exigentia, et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium,

Falsa, alias damnata in Bajo, et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.

§. De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

17. Propositio his verbis enuntiata: *Edocti ab Apostolo spectamus mortem, non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis*;

Quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,

Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata:

§. De conditione hominis in statu naturae.

18. Doctrina Synodi enuntians *post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam J. C. allaturus erat*, tamen *Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum*, ac primum ut in statu naturae *homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se, ad desiderandum auxilium superioris luminis*;

Doctrina, ut jacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere,

§. Suspecta , favens haeresi Semipelagianae.

§. De conditione hominis sub lege.

19. Item quae subjungit , hominem sub lege, *cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis , quae SSma erat, sed culpa hominis , qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit*, superadditque , *legem si non sanavit cor hominis, effecisse , ut sua mala cognosceret , et de sua infirmitate convictus, desideraret gratiam Mediatoris* ;

Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis , quam impotens esset observare ; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est , aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare , qui pius est* ,

Falsa , scandalosa, impia, in Bajo damnata .

20. Qua parte datur intelligi , hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris, ordinatum ad salutem promissam per Christum ; quasi , *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis* ;

§. Propositio , ut jacet , captiosa , suspecta , favens haeresi Semipelagianae.

§. De gratia illuminante , et excitante.

21. Propositio , quae asserit , *lumen gratiae , quando sit solum , non praestare , nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status , et gravitatem nostri mali : Gratiam in tali casu producere eumdem effectum , quem lex producebat; Ideo necesse esse , ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem , et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam J. C., inspirationem charitatis , qua cognita sancto amore faciamus ; hanc esse illam radicem , e qua germinant bona opera , hanc esse gratiam novi Testamenti , quae nos liberat a servitute peccati , et constituit Filios Dei* :

Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi , quae creat in corde sanctum amorem , et quae facit ut faciamus , sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur Filius Dei , et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia , qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti (Trid. sess. 6. cap. 5.) nec vera detur interior gratia Christi , cui resistitur ,

Falsa , captiosa , inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut haereticum , eumque renovans.

§. De Fide velut prima Gratia.

22. Propositio, quae innuit , Fidem , *a qua incipit series gratiarum , et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem , et Ecclesiam* , esse ipsammet excellentem virtutem fidei , qua homines fideles nominantur , et sunt ,

Perinde ac prior non esset gratia illa , quae *ut praevenit voluntatem , sic praevenit et fidem* ,

Suspecta de haeresi , eamque sapiens , alias in Quesnellio damnata , erronea

§. De duplici Amore.

23. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis , et charitatis dominantis , enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati : ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere, et corrumpere ;

Quatenus insinuat in homine , dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa , qua liberatur a servitute peccati , et constituitur Filius Dei , sic dominari cupiditatem , ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur , et corrumpantur : aut opera omnia , quae ante justificationem fiunt , quacumque ratione fiant , sint peccata ;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati ,

Falsa , perniciosa , inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum , iterum in Bajo damnatum art. 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei*;

Perinde ac si *inter dilectionem Divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur*, non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur*,

Falsa, alias damnata.

§. De Timore servili.

25. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum*;

Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus, et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae,

Falsa, temeraria, perniciosa, Divinis Donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi Patrum Sententiae, *opus esse* juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat Charitas: Timor medicamentum, Charitas sanitas.*

§. De poena decedentium cum solo Originali.

26. Doctrina, quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum, (quem Limbi puerorum nomine Fideles passim designant) in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur;

Perinde ac si hoc ipso quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpae, et poenae inter regnum Dei, et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani,

Falsa, temeraria, in scholas Catholicas injuriosa.

§. De Sacramentis, ac primum de forma Sacramentali cum adjuncta conditione.

27. Deliberatio Synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos Canones in casu dubii Baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione,

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.

§. De participatione Victimae in Sacrificio Missae.

28. Propositio Synodi, qua postquam statuit *Victimae participationem esse partem Sacrificio essentialem*, subjungit, *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus Adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo*;

Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de Victima participant: Et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus solo Sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet,

Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.

§. De Ritus Consecrationis efficacia.

29. Doctrina Synodi; qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis, remotis quaestionibus Scholasticis circa modum, quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae Vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quae in solemni Fidei professione continetur;

Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem notitia sub-

trahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica,

Perniciosa, derogans expositioni veritatis Catholicae circa Dogma transubstantiationis, favens haereticis.

§. De applicatione fructus Sacrificii.

30. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis*; dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructum Sacrificii cui vult; immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet*: Unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant*;

Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem specialis ipsa oblatio, seu applicatio Sacrificii, quae fit a Sacerdote, non magis prosit, caeteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat, ac praecipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus pro suis ovibus: quod velut ex divino praecepto descendens a Sacra Tridentina Synodo diserte est expressum.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

§. De convenienti ordine in cultu servando.

31. Propositio Synodi enuntians, conveniens esse pro Divinorum Officiorum ordine, et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit Altare, sibique adeo placere, morem illum restituere,

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc Saeculis in Ecclesia praesertim Latina vigenti, et probato mori injuriosa.

32. Item praescriptio vetans, ne super Altaria Sacrarum Reliquiarum thecae, floresve apponantur,

Temeraria, pio, ac probato Ecclesiae mori injuriosa.

33. Propositio Synodi qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum, ad Liturgiae ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo*;

Quasi vigens ordo Liturgiae ab Ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet,

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.

§. De Ordine poenitentiae.

34. Declaratio Synodi, qua postquam praemisit ordinem poenitentiae Canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit, se *in ordine illo mirabili, et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adjunctae sunt*;

Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta,

Temeraria , scandalosa , inducens in contemptum dignitatis Sacramenti , prout per Ecclesiam totam consuevit administrari , Ecclesiae ipsi injuriosa.

35. Propositio his verbis concepta : *Si charitas in principio semper debilis est , de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis , oportet ut Sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis, et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab Ecclesia commendati : redigere hos actus ad paucas orationes , aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen poenitentiae , quam medium illuminatum , et aptum ad augendum illum fervorem charitatis , qui debet praecedere ab solutionem: Longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas : Si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus , quanto magis vereri debemus , ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo , et magni momenti opere nostrae reconciliationis ;*

Quatenus innuit poenitentias , quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis , quam ut poenitentias vere Sacramentales , et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria , ut actus humiliationis , et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis Sacramentalis praecedere debeant absolutionem ,

Falsa , temeraria , communi praxi Ecclesiae injuriosa , inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.

§. De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

36. Doctrina Synodi , qua postquam praemisit : *Quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis , posse illum merito judicari dignum , qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi , quae fit in Sacramentis* , subdit , *suppositas conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere , nec durabiles* : Consequenter *Pastorem Animarum debere insistere signis non aequivocis charitatis dominantis , antequam admittat suos poenitentes ad Sacramenta* , quae signa , ut deinde tradit (§. 17.) *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato , et fervore in operibus bonis* , quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de Poenit.* §. 10.) velut dispositionem, quae *debet praecedere absolutionem* ;

Sic intellecta , ut non solum Contritio imperfecta , quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum, tamquam omnis justitiae fontem , nec modo Contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus , generaliter , et absolute requiratur , ut homo ad Sacramenta , et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur ,

Falsa , temeraria , quietis animarum perturbativa , tutae , ac probatae in Ecclesia praxi contraria , Sacramenti efficaciae detrahens , et injuriosa.

§. De auctoritate absolvendi.

37. Doctrina Synodi, quae de auctoritate absolvendi, accepta per ordinationem enuntiat , *post institutionem Dioecesium , et Parochiarum conveniens esse , ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii , sive jure quodam personali* , propterea quod *aliter confusio induceretur , et perturbatio ;*

Quatenus post institutas Doeceses , et Parochias enunciat tantummodo , *conveniens esse ad praecavendam confusionem , ut absolvendi potestas exerceatur super Subditos ;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria , vel subdelegata illa jurisdictio , sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam ,

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria, et injuriosa, erronea.

38. Item doctrina, qua postquam Synodus professa est, *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae*, ut ait, *ad poenitentiam non ita facile, et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum, et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuae exclusionis a communione, et pace, etiam in articulo mortis, magnum fraenum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent*,

Contraria Can. 13. Concilii Nicaeni I., Decretali Innocentii I. ad Exuperium Tholos., tum et Decretali Caelestini I. ad Episcopos Viennen., et Narbonen. Provinciae, redolens pravitatem, quam in ea Decretali Sanctus Pontifex exhorret.

§. De peccatorum venialium confessione,

39. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones,

Temeraria, perniciosa, Sanctorum, ac piorum praxi a S. Conc. Trid. probatae contraria.

§. De Indulgentiis.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per Canones statuta erat peccanti*;

Quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud Divinam justitiam,

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in Art. 19. Lutheri damnata.

41. Item in eo quod subditur, *Scholasticos, suis subtilitatibus inflatos, invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi, et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum*;

Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi, et Sanctorum,

Falsa, temeraria, Christi, et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in Art. 17. Lutheri damnata.

42. Item in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse, quod chimerae isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos*,

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim, et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in Art. 22. Lutheri.

43. In eo demum quod imprudentissime invehitur in Tabellas indulgentiarum, Altaria privilegiata etc.

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices, atque in praxim, tota Ecclesia frequentatam, contumeliosa.

§. De reservatione Casuum.

44. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*,

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.

45. Item de spe, quam ostendit fore, *ut reformato Rituali, et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint hujusmodi reservationes*;

Prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem Ritualis, et ordinis poenitentiae, factam ab Episcopo, vel Synodo aboleri posse Casus, quos Tri-

dentina Synodus (Sess. 14. c. 7.) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculari suo judicio reservare,

Propositio, falsa, temeraria, Concilio Tridentino, et Summorum Pontificum auctoritati derogans, et injuriosa.

§. De Censuris.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae*;

Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in Coelo, animas obligans,

Falsa, perniciosa, in Art. 23. Lutheri damnata, ad minus erronea.

47. Item quae tradit, necessarium esse juxta leges naturales, et Divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu,

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati injuriosa, erronea.

48. Item quae pronuntiat, *inutilem, ac vanam esse formulam, nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset*,

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiae injuriosa.

49. Item quae damnat ut nullas, et invalidas *suspensiones ex informata conscientia.*

Falsa, perniciosa, in Trid. injuriosa.

50. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse, uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14. c. 1. de Ref.) suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendae,

Jurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva.

§. De Ordine.

51. Doctrina Synodi, quae perhibet, in promovendis ad Ordines hanc de more, et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, ut *si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad Ordines Sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum, vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset; neque tum talis Ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

52. Item quae innuit non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale Ministerium, qualis praescripta est in Concilio Calcedonensi: subjungens (*de Ordine* §. 6.), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu Sacrorum Ministrorum conformavit, Ecclesiasticum Ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu Ministrorum Sanctuarii;

53. Item quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (*de Ordine* §. 3.), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta, et instituta,

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitae sunt,

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate, et commoditate probatae sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino Ordinatio ad titulum patrimonii; salva obedientia, qua sic Ordinati, Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco, ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab Apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit,

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares: quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter, et indistincte ab Ecclesiastico Ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent,

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, Ordinis pro Ecclesiarum necessitate, et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per Canones, et speciatim per Trid. Decreta probatam, injuriosa.

54. Item quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis Missis, et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *Stolae*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum, aut cujuslibet Parochialis functionis occasione offeretur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent Ministri Ecclesiae, dum secundum receptum, et probatum Ecclesiae morem, et institutum, utuntur, jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur.

Falsa, temeraria, Ecclesiastici, ac pastoralis juris laesiva, in Ecclesiam, ejusque Ministros injuriosa.

55. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine inferiorum ordinum Clericos designat) a Cathedralibus,et Collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos, et provectioris aetatis Laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis, et aliis Officiis velut Acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis Officia, non ad meram speciem pro majoribus ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur ut *minorum Ordinum functiones per eos tantum praestentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt* (Conc. Prov. IV. Mediol.): idque ad mentem Tridentini (Sess. 23. c. 17.), *ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiaratum functiones ab Apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquandiu intermissae juxta Sacros Canones revocentur, nec ab haereticis tanquam otiosae traducantur*,

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, Ecclesiastici Ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis Mysteriis decentiae imminutiva, in Minorum Ordinum munera, et functiones, tum in disciplinam per Canones, et speciatim per Trid. probatam injuriosa, favens haereticorum in eam conviciis, et calumniis.

56. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis Canonicis, quae proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam umquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem,

Aequitatis, et moderationis canonicae, a Sacro Concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati, et juribus Ecclesiae derogans.

57. Praescriptio Synodi, quae generaliter, et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale Beneficium uni, eidemque conferatur: Item in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse,

Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini Sess. 7. c. 5. et Sess, 24. c. 17.

§. De Sponsalibus, et Matrimonio.

58. Propositio, quae statuit Sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque Civilium legum prescripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae,

Falsa, Juris Ecclesiae quoad effectus etiam e Sponsalibus vi Canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.

59. Doctrina Synodi asserens. *ad Supremam Civilem Potestatem duntaxat originarie spectare, contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia,* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dipensandi essentialiter connexum*, subjungens, *supposito assensu, vel conniventia Principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii.*

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in Christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

Canonum 3. 4. 9. 12. Sess. 24. Concil. Trid. eversiva, haeretica.

60. Item rogatio Synodi ad Potestatem Civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in Collectione Justiniani*, tum ut *restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem, et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinentiae;*

Quatenus Civili Potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta, Ecclesiae auctoritate constituta, vel comprobata: item qua parte supponit Ecclesia per Potestatem Civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis,

Libertatis, ac Potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haeretieali supra damnato principio profecta.

§. De Officiis, Exercitationibus, Institutionibus ad religiosum cultum pertinentibus,

Et primum de adoranda Humanitate Christi.

61. Propositio, quae asserit, *adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae;*

Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem Fideles dirigunt ad Humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua Humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita Divinitati, foret honor Divinus impertitus Creaturae, et non potius una, eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur,

Falsa, captiosa, pio, ac debito cultui Humanitati Christi a Fidelibus praestito, ac praestando detrahens, et injuriosa.

62. Doctrina, quae devotionem erga Sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata,

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.

63. Item in eo quod Cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant SSmam Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a Divinitate, adorari non posse cultu latriae;

Quasi Fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel praecisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut praecisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro,

Captiosa, in Fideles Cordis Christi Cultores injuriosa.

§. De ordine praescripto in piis exercitationibus obeundis.

64. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum, et piarum salutationum*;

Tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae, certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro, et religioso cultu rite, et ex ordine peragendo,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati Fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt Exercitia, vel Missiones ..... forte numquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis concussionis fulgura*,

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori, pie, salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato injuriosa.

§. De modo jungendae vocis Populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

66. Propositio asserens, *fore contra Apostolicam praxim, et Dei consilia, nisi Populo faciliores viae pararentur, vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiae*;

Intellecta de usu vulgaris linguae, in liturgicas preces inducendae,

Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

§. De Lectione Sacrae Scripturae.

67. Doctrina perhibens, a lectione Sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*, subjungens ultro se prodere obscuritatem, quae ex hujusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis,

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

§. De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis.

68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnellii Commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque Parochis proponit, ut ea tamquam solidis religionis principiis referta in suis quisque Paroeciis populo post reliquas functiones perlegant,

Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiae injuriosa, Schisma fovens, et haeresim.

§. De Sacris Imaginibus,

69. Praescriptio, quae generaliter, et indistincte inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis,

Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae extent Imagines Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.

70. Item doctrina, et praescriptio generatim reprobans omnem specialem Cultum, quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere.

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiae ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult*,

71. Item quae vetat ne Imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur praeterquam denominationibus, quae sint analogae Mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent Imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat, et commendat,

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae injuriosa.

72. Item quae velut abusum extirpari vult morem, quo velatae asservantur certae Imagines,

Temeraria, frequentato in Ecclesia, et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

§. De Festis.

73. Propositio enuntians novorum Festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae, et finis earumdem Solemnitatum, originem duxisse,

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiae injuriosa, favens haereticorum in dies Festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum Festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait, Episcopo competere super disciplinam Ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et praeceptum Missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum Episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiae praecepto servandis;

Quatenus adstruit Episcopo fas esse, jure proprio transferre dies ab Ecclesia praescriptos pro Festis, jejuniisve celebrandis: aut indictum Missae audiendae praeceptum abrogare,

Propositio falsa, juris Conciliorum Generalium, et Summorum Pontificum laesiva, scandalosa, Schismati favens.

§. De Juramentis.

75. Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a documentis Divini Praeceptoris, atque ab aurea Evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema, et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus*: Insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare, juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse*: Indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae Curia Ecclesiastica, Jurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta, in Investituris, et in Sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit: Statuitque adeo implorandam a Sacculari Potestate legem pro abolendis juramentis, quae in Curiis etiam Ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis, et officiis, et generatim pro omni actu Curiali,

Falsa, Ecclesiae injuriosa, juris Ecclesiastici laesiva, disciplinae per Canones inductae, et probatae subversiva.

§. De Collationibus Ecclesiasticis.

76. Insectatio, qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam, *quae viam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus Systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum, et laxismum*;

Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt, aut abusi sunt,

Falsa, temeraria, in Sanctissimos Viros, et Doctores, qui magno Catholicae Religionis bono Scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.

77. Item in eo quod subdit: *mutationem formae regiminis Ecclesiastici, qua factum est, ut Ministri Ecclesiae in oblivionem venirent suorum jurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones Ministerii Ecclesiastici, et sollicitudinis pastoralis,*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in Ecclesia constitutae, et probatae, obliterari unquam potuerit, et amitti primitiva notio Ecclesiastici Ministerii, Pastoralisve sollicitudinis,

Propositio falsa, temeraria, erronea.

78. Praescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in Collationibus, qua posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem, et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae*, subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium, aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo, quod est inutile, aut onerosius, quam libertas Filiorum novi Foederis patiantur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad Superstitionem, et Materialismum*,

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et praescripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam, et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem, quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in Superstitionem, et Materialismum,

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae; ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

§. Convicia adversus aliquas Sententias in Scholis Catholicis usque adhuc agitatas.

79. Assertio, quae conviciis, et contumeliis insectatur sententias in Scholis Catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum, aut pronunciandum censuit,

Falsa, temeraria, in Scholas Catholicas injuriosa, debitae Apostolicis Constitutionibus obedientiae derogans.

§. De tribus regulis, fundamenti loco a Synodo positis pro reform. Regularium.

80. Regula 1. quae statuit universe, et indiscriminatim *statum Regularem, aut Monasticum, natura sua componi non posse cum Animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse Ecclesiasticae Hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae Monasticae principiis*,

Falsa, perniciosa, in Sanctissimos Ecclesiae Patres, et Praesules, qui regularis vitae instituta cum Clericalis Ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiae mori, Summorumque Pontificum Sanctionibus contraria: *Quasi Monachi quos morum gravitas, et vitae, ac fidei institutio sancta commendat*, non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae *Clericorum Officiis aggregentur*.

81. Item in eo quod subjungit, Sanctos Thomam, et Bonaventuram sic in tuendis adversus Summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio major desideranda fuisset,

Scandalosa, in SSmos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis favens.

82. Regula 2. *Multiplicationem Ordinum, ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem, et confusionem*: Item in eo quod praemittit §. 4. *Regularium Fundatores*, qui post monastica instituta prodierunt, *Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare*;

Intellecta de Ordinibus, et Institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem, et confusionem parere debeat,

Falsa, calumniosa, in Sanctos Fundatores, eorumque fideles Alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa.

83. Regula 3. qua postquam praemisit, *parvum Corpus degens intra Civilem*

Societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque Monarchiam figit in statu, semper esse periculosum, subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis Instituti vinculo sub uno praesertim Capite consociata, velut speciales totidem Monarchias Civili Reipublicae periculosas, et noxias,

Falsa, temeraria, Regularibus Institutis a Sancta Sede ad Religionis profectus approbatis injuriosa, favens haereticorum in eadem Instituta insectationibus, et calumniis.

§. De Systemate, seu Ordinationum complexione ducta ex allatis Regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione Regularium.

84. Art. 1. *De uno duntaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris Regula Sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius Ordinis merita: sic tamen ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum regium lucem praeferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.*

2. *Ne compotes fiant Ecclesiasticae Hierarchiae, qui se huic Ordini adjunxerint: nec ad Sacros Ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam Curati, vel Capellani Monasterii, reliquis in simplici Laicorum ordine remanentibus.*

3. *Unum tantum in unaquaque Civitate admittendum Monasterium, idque extra moenia Civitatis in locis abditioribus, et remotioribus collocandum.*

4. *Inter occupationes vitae Monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore Psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt Psalmodiae, Orationes, preces, tantumdem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque Regularium.*

5. *Nulla foret admittenda distinctio Monachos inter sive Choro, sive Ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit, ac discordias, et a Communitatibus Regularium spiritum charitatis expulit.*

6. *Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres Monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio, et Christianismi ornamentum extiterunt. Vota Castitatis, pauperatis, et obedientiae non admittentur instar communis, et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium, et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen numquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.*

7. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate: Ad ipsum pertinebit, Monachos admittere, et expellere, semper tamen accepto Contubernalium consilio.*

8. *Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes in hoc Monasterium admitti etiam possent, modo in silentio, et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent: quo casu dispensationi locus fieret in generali Regula num. 2. statuta, sic tamen ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una, aut ad summum duae in diem Missae celebrentur, satisque caeteris Sacerdotibus esse debeat una cum Communitate concelebrare.*

Item pro Reformatione Monialium.

Vota perpetua usque ad Annum 40, aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus speciatim labori addicendae: A carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae: Expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret Monasterium in Civitate relinqui,

Systema, vigentis, atque jam antiquitus probatae, ac receptae disciplinae

subversivum, perniciosum, Constitutionibus Apostolicis, et plurium Conciliorum etiam Generalium, tum speciatim Tridentini Sanctionibus oppositum, et injuriosum, favens haereticorum in Monastica Vota, et Regularia instituta stabiliori Consiliorum Evangelicorum Professioni addicta conviciis, et calumniis.

§. De Nationali Concilio convocando.

85. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem Ecclesiasticae Historiae sufficere, ut fateri quisque debeat Convocationem Concilii Nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum Nationum controversiae spectantes ad Religionem;

Sic intellecta, ut controversiae ad fidem, et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortae, per Nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant: quasi inerrantia in fidei, et morum quaestionibus Nationali Concilio competeret,

Schismatica, haeretica.

Mandamus igitur omnibus utriusque Sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus, et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant, contra quam in hac nostra Constitutione declaratur, ita ut quicumque illas, vel earum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputando publice, vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, Ecclesiasticis Censuris, aliisque contra similia perpetrantes jure statutis poenis, ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

. . . . . .

Duo vero speciatim notanda censemus, quae de Augustissimo SSmae Trinitatis Mysterio §. 2. Decreti de Fide, si non pravo animo, imprudentius certe Synodo excidernnt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum posteaquam rite praemisit Deum in suo Esse unum, et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus Personis distingui, perperam discedit a communi, et probata in Christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus Personis distinctis dicitur, non in tribus Personis distinctus. Cujus formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut Essentia Divina distincta in Personis putetur, quam Fides Catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus Divinis Personis tradit, eas secundum earum proprietates personales, et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, quasi minus propria, et exacta foret, appellatio Filii, tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e Coelis, et e Nube delapsa, tum formula Baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua Beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod edoctus ab Augustino Angelicus Praeceptor (S. Th. 1. P. q. 34. *art.* 2. *ad* 3.) vicissim ipse docuit *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino, (Aug. de Trinit. *l.* 7. *c.* 2.) *eo dicitur Verbum, quo Filius.*

Neque silentio praetereunda insignis ea, fraudis plena Synodi temeritas, quae pridem improbatam ab Apostolica Sede Conventus Gallicani Declarationem an. 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed quo majorem illi auctoritatem conciliaret, eam in Decretum *de fide* inscriptum, insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum Decretum tradita sunt, horum articulorum publica, et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se Nobis offert de Synodo, quam Praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae Ecclesiae non levis injuria irrogatur, quam dignam Synodus existimaverit, cujus auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum Decretum.

Quamobrem quae acta Conventus Gallicani, mox ut prodierunt, Praedecessor Noster Ven. Innocentius XI. per litteras in forma Brevis die 11. Aprilis an. 1682., post autem expressius Alexander VIII. Constit. *Inter multiplices* die 4. Augusti an. 1690. pro Apostolici sui muneris ratione improbarunt, rescinderunt, nulla, et irrita declararunt, multo fortius exigit a Nobis Pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in Synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita Praedecessorum nostrorum Decreta, huic Apostolicae Sedi summopere injuriosam reprobare, ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus, et damnamus, ac pro reprobata, et damnata haberi volumus.

Ad id genus fraudis pertinet, quod Synodus in hoc ipso Decreto de Fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis Theologi ad Innocentii XI. judicium detulerunt, tum et alios duodecim a Card. de Noailles Benedicto XIII. oblatos, non dubitaverit ex reprobato Secundo Ultrajectensi Concilio vanum, vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis jactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subjectos fuisse, et non solum a qualicumque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos: cujus tamen assertae commendationis non modo nullum extat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur Acta examinis, quae in nostrae Supremae Inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse judicium.

XXIX.

Errores aliquot insinuati in libello Josephi Valentini Eybel *inscripto* „ Quid est Papa? „ *et notati in Brevi* Super soliditate *Pii VI. an.* 1786. *quo Brevi eumdem libellum ipse damnavit* tamquam continentem propositiones respective falsas, scandalosas, temerarias, injuriosas, ad schisma inducentes, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas, et alias ab Ecclesia damnatas.

1. Quilibet Episcopus vocatus a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam Papa, nec minori praeditus est potestate.

2. Christus eamdem per sese Apostolis omnibus potestatem dedit.

3. Quidquid aliqui credant obtineri, et concedi solum a Pontifice, potest idipsum, sive a consecratione, sive ab Ecclesiastica jurisdictione pendeat, perinde obtineri a quolibet Episcopo.

4. Voluit Christus Ecclesiam Reipublicae more administrari.

5. Ei quidem regimini opus est Praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare, privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia.

6. Vis Primatus hac una praerogativa continetur supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo.

7. Pontifices nil possunt in aliena Dioecesi praeterquam extraordinario casu.

8. Pontifex caput est, quod vim suam, ac firmitatem tenet ab Ecclesia.

9. Licitum sibi fecerunt Pontifices violare jura Episcoporum, reservareque sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia non verbo munia omnia, quae (*Eybelius*) singulatim recenset, atque velut indebitas ac Episcopis injuriosas reservationes traducit.

10. Quilibet Episcopus pari modo atque Papa, potest Indulgentias concedere.

SUMMA SUMMAE SANCTI THOMAE.

PRIMA PARS

PROEMIUM

DE NATURA ET DOTIBUS THEOLOGIAE.

D. THOMAS q. I. p. 1.

I. Theologia secundum nominis etymologiam est *Sermo de Deo*, sic dicta a duplici voce graeca Θεὸς λόγος: secundum nominis significationem Teologia importat considerationem discursivam de Deo, quae si principiis solo lumine naturali notis nitatur, dicitur Theologia naturalis: si principiis lumine supernaturali fidei notis, dicitur Theologia supernaturalis, de qua hic agimus, et est *doctrina rerum divinarum ex principiis fidei immediate revelatis conclusiones deducens.*

II. Dividitur ex parte subjecti in Theologiam Beatorum, et Theologiam viatorum. Prima innititur lumini supernaturali gloriae, et est duplex. Una, quae ab Augustino vocatur cognitio *matutina*, est ipsa visio beatifica, qua Beati clare vident in verbo omnia divina mysteria; est intuitiva, et discursiva tantum eminenter, seu virtualiter. Altera, quae vocatur ab Augustino cognitio *vespertina*, est qua Beati ex principiis lumine gloriae cognitis deducunt vi luminis naturalis conclusiones circa divina mysteria, easque cognoscunt vel per species a Deo infusas, vel proprio labore partas in via. Est discursiva formaliter, nec substantialiter differt a nostra.

Ex parte objecti dividitur in *speculativam* quae sistit in sola consideratione rerum divinarum, ut est mysterium Trinitatis, Incarnationis etc., et *practicam* seu *moralem*, quae disserit de rebus ad directionem morum pertinentibus, ut de actibus humanis, peccatis, legibus etc. Ex parte modi dividitur in *positivam*, quae tractat de rebus divinis stylo fusiori, elegantiori, et quasi oratorio, atque regulis Dialectices minus accomodato. Dicitur *positiva*, tum quia principia fidei ponit, et supponit tamquam theses et positiones non probat; tum quia scriptura, traditiones etc. ex quibus procedit, sunt juris positivi: et *scholasticam* quae de iisdem rebus disserit dicendi genere magis conciso, subtiliori, et accuratiori secundum regulas Dialectices, terminos exponendo, statum quaestionis aperiendo, definiendo, dividendo, syllogizando, objecta dissolvendo etc. Sicque pariter posset dici *positiva*, cum et principia fidei supponat non probet, et ex Scripturis, traditionibus etc, pariter procedat; sed dicta est *scholastica*, eo quod ejus methodus usurpetur in scholis, et Academiis.

Hinc habes Theologiam *positivam et scholasticam* non differre inter se essentialiter, et penes objectum, idem enim habent, sed accidentaliter tantum penes diversam methodum, eosque hallucinari, qui Theologiam *positivam* reponunt in notitia veritatum revelatarum, quae continentur in Scripturis, et traditionibus; *scholasticam* in deductione discursiva conclusionum ex veritatibus revelatis: sic enim Teologia *positiva* non distingueretur a fide, nec esset Theologia, ut patet ex ejus definitione. Vere ergo discurrit *positiva*, et ex revelatis alias infert, et deducit, sed non ita accurate, sicut *scholastica*, et in hoc tantum differunt.

Haec autem accuratior methodus primum usurpari coepit octavo saeculo a Sancto Joanne Damasceno ; incrementum habuit saeculo duodecimo a Petro Lombardo Episcopo Parisiensi , qui ideo dictus est Magister sententiarum , et tandem complementum saeculo decimo tertio a Sancto Thoma Doctore Angelico.

III. De lege Dei ordinaria praeter scientias naturales, necesse fuit esse in Ecclesia doctrinam quamdam secundum revelationem , hoc est Theologiam spectatam quoad substantiam prout abstrahit a *positiva*, et *scholastica*. Quia homo ordinatur ad finem supernaturalem, qui comprehensionem rationis excedit , et cum prae ceteris animalibus cognitione ducatur , debet hunc finem supernaturalem cognoscere , ut in illum suas intentiones , et actiones dirigat.

Equidem iste finis potest cognosci per fidem, quando habetur; et Deus posset absolute absque ulla Theologia illam infundere , sed secundum communem divinae providentiae cursum fides nec haberi , nec propagari, nec conservari, ac defendi potest absque Theologia. Etenim fides, quae juxta Apostolum est *ex auditu , et auditus per verbum Dei* , gignitur , nutritur , defenditur , non per simplicem mysteriorum narrationem , sed per discursus, congruentias , exempla , et varia alia momenta , quibus Scripturarum obscuritas elucidatur , traditio probatur , mysteriorum credibilitas demostratur , haereticorum impugnantium cavillationes , astutiae, et sophismata deteguntur, et refelluntur, quod totum est proprium Theologiae. Unde Augustinus libro decimoquarto de Trinitate c. 1. dicit , quod per eam *Fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur , nutritur , roboratur*. Non est tamen necesse quemlibet hominem esse Theologum, ut salvetur, sed sufficit ei fides qua simpliciter profiteatur ea, quae omnibus sunt necessario credenda: unde Augustinus ibid. *Haec scientia* , inquit , *plurimi non pollent fideles, licet fide polleant , quae sola sufficit.*

IV. Quantum ad Theologiam *scholasticam* , in quam debacchati sunt haeretici, et quam plus aequo deprimunt quidam Theologi , si consideretur secundum se , est etiam necessaria in Ecclesia , et semper viguit ab ejus exordio , quia sic considerata nihil est aliud, quam Theologia secundum substantiam, quam mox dicebamus esse necessariam. Theologia enim secundum se est scientia , omnis autem scientia est argumentativa, et in hoc sensu *scholastica.*

At si consideretur secundum statum , quem nunc habet in scholis , non est necessaria , cum Ecclesia diu steterit sine illa ; est tamen admodum utilis , quia per hanc egregie fides gignitur , nutritur , et defenditur; ut constat tum experientia tot insignium virorum, qui eam feliciter adhibuerunt contra profanas haereticorum novitates , tum ex ipsa natura accurata Dialectices. Etenim dicere stylo conciso , simplici , et aperto , resecata verborum prolixitate , terminorum aequivocationes tollere , statum quaestionis aperire , et figere , definire , dividere, syllogizare, objecta solvere , haec , inquam , quae sunt propria Theologiae *scholasticae* , juvare ad veritatem suadendam et defendendam nemo negabit. Insuper eam probant, et laudant SS. Pontifices (* *Vide propositionem 76. damnatam a* PIO VI. *in Const.* Auctorem Fidei) et Concilia : Sixtus V. in Bulla, qua S. Bonaventuram inter eximios Ecclesiae Doctores recenset, multis encomiis celebrat Teologiam *scholasticam* in scholis tradi solitam , et inter cetera eam vocat *invictum fidei propugnaculum* : eum pariter celebrarunt Concilium Lateranense IV. circa Petrum Lombardum , et Viennense .

Equidem Apostolus Coloss. 2 , et Sancti Patres passim improbant Philosophiam, non secundum se consideratam, sed quatenus ea abutuntur homines in deceptionem, et in fidei detrimentum , cui quandoque vult dominari.

Ea autem non usi sunt Apostoli, et priorum saeculorum Patres , ut totum, quod est fidei , totiusque mundi conversio , non humanae potentiae, aut sapientiae tribueretur , sed Deo; at plantata, et firmata fide, mundique conversione facta , voluit Deus , quod et potentia saecularis , et sapientia saecularis ad hujus Religionis

finem inservirent, ut ostenderet mundum per fidei victoriam esse sibi subjectum et quantum ad potentiam, et quantum ad sapientiam.

Caeterum semper viguisse in Ecclesia aliquem usum Theologiae *scholasticae*, eumque adhibitum fuisse accuratius, praesertim dum erat cum haereticis decertandum, patet ex scriptis S. Hieronymi adversus Helvidium, Jovinianum, et Vigilantium, et S. Augustini contra Academicos, Donatistas etc. ita ut ipsi Augustino Cresconius dialecticam, et peritiam disputandi exprobraret, cui S. August. l. 1. contra ipsum c. 13, respondet: *Si noxia sunt, quare hoc facis? si non sunt, quare arguis?* Hinc S. Doctor lib. de Doct. christiana, c. 13. ait, *disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in Litteris Sanctis sunt, penetranda, et dissolvenda, plurimum valet; tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium.*

V. Theologia nostra est voce, et proprie scientia quoad substantiam, sed imperfecta quoad statum defectu evidentiae actualis. *Ibid. a* 2. *o*, *in* 1. *Dist.* 5. *q.* 5. *a.* 3. *q.* 2. Scientia enim subalternata, in absentia subalternantis est vera scientia, et tamen scientia subalternata in absentia subalternantis non habet evidentiam actualem, sed radicalem tantum, in hoc sitam, quod cum procedat ex principiis manifestatis in subalternante, petat ex se illi conjungi, et in illa conjunctione habere evidentiam actualem suorum principiorum. Igitur Theologia nostra, sicut omnes aliae scientiae subalternatae, de se petit resolvi in principia evidentia, quod si de facto non resolvitur, ideoque evidentiam actualem non habeat, id non accidit per se, et defectu sui, sed per accidens, et ratione status viae, seu subjecti in quo est, quod caret subalternante, et ideo dicimus esse imperfectam quod statum, veram tamen quoad substantiam.

Nota. Subalternatio scientiarum est dependentia unius ab altera, quae multiplex esse potest; sed hic attendimus dependentiam unius ab altera in manifestatione veritatis. Haec enim est proprie dicta subalternatio scientiarum. Sic autem Theologia Viatorum est proprie subalternata scientiae Dei, et Beatorum, quae dicitur matutina. Theologia enim nostra pendet a scientia Dei, et Beatorum quoad manifestationem suorum principiorum, principia siquidem Theologiae nostrae sunt articuli Fidei, qui sunt noti, et manifestati in Patria. Cognitio vero vespertina Beatorum est substantialiter ipsa nostra Theologia in statu perfecto, et connaturali.

Ex his inferes Theologiam nostram, quam hic magno labore comparamus, remansuram in patria, quia cum sit subalternata Theologiae Beatorum, petit naturaliter illi conjungi; unde illud S. Hieronymi *Epist. ad Paulin. Discamus in terris, quarum scientia nobis perseveret in Coelis.* Ex quo ulterius inferes, eos, qui fuerunt in terra Theologi, caeteris paribus plura cognoscere in Patria extra Verbum per species in hac vita proprio labore partas, quam illi qui non fuerunt Theologi.

Cum ergo Apostolus 1. Cor. 13. dicit *Charitas nunquam excidit . . . sive linguae cessabunt, sive scientia destructur*, non debet intelligi de destructione scientiae quoad substantiam, sed vel quoad modum cognoscendi per conversionem ad phantasmata, vel quoad modum obscuritatis, quem habet ratione status, vel subjecti.

VI. Ut dignoscatur quodnam sit objectum Theologiae, nota 1. objectum seu, ut loquitur S. Thomas, subjectum, considerationis, duplex distinguitur in omni potentia vel habitu, nimirum *materiale, et formale*: objectum *materiale* est id, quod a potentia, vel habitu attingitur quidem, non tamen ratione sui, sed ratione alterius, seu est id omne, circa quod versatur potentia, vel habitus: objectum *formale* est id, quod a potentia, vel habitu attingitur ratione sui, et ratione cujus caetera attinguntur, nam ut ait S. Thomas, objectum habet rationem formae in quantum dat speciem potentiae, vel habitui. In objecto *formali* duplex ratio distinguitur in scholis, res ipsa, quae attingitur, et dicitur objectum *formale quod*, seu *ratio quae*; id autem quo mediante res ipsa a potentia vel habitu attingitur,

vocatur objectum *formale quo*, seu *sub quo*, vel *ratio qua*, aut *sub qua*; ita ut ex hac duplici ratione objecti *formalis* integretur objectum *formale*, quod est specificativum potentiae, vel habitus, unde diversitas objecti formalis diversificat potentias, vel habitus, non autem diversitas objecti materialis. Sit exemplum in potentia visiva, objectum *materiale* est corpus, seu omnes res visae; *formale quod* color; *formale quo* lux, objectum *formale* specificativum coloratum lucidum.

Nota 2. Sic se habet subjectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, vel habitum.

Haec dicta sint semel pro semper: huc recurre quoties agitur de objecto potentiae, vel habitus tam in Auctore, quam in Theologis.

Objectum *formale quod* Theologiae est Deus sub ratione Deitatis, quia est id, quod principaliter, et ratione sui, et ratione cujus caetera attinguntur. Objectum *formale quo* est revelatio virtualis et mediata, per quam distinguitur a fide, quae revelationi immediatae innititur, et a Metaphysica, quae solo lumine naturali procedit; objectum autem *materiale* et adaequatum est id omne, quod cadit sub revelatione virtuali et mediata.

Dupliciter aliquid dicitur revelatum 1. formaliter, et immediate, ut Deum esse trinum. 2. Virtualiter, et mediate, quatenus continetur in aliquo formaliter, et immediate revelato, vel ut effectus in causa, vel ut proprietas in essentia, vel aliter, ex quo per discursum vi luminis naturalis deducitur. Dicimus itaque hanc virtualem, et mediatam revelationem, seu vim luminis naturalis, deducentis conclusiones ex principiis immediate revelatis, esse objectum formale *sub quo* Theologiae, quia sub illa ratione, et ea mediante attingit quaecumque tractat de Deo, sicut mediante luce visus attingit quodvis corpus coloratum.

VII. Theologia est habitus entitative naturalis, quia acquiritur studio humano, seu per actus naturales, ut experientia constat. Nec obstat, quod principia ejus, nempe articuli fidei, et objectum ejus, scilicet Deus, sint supernaturalia. Quia principia, quae sunt articuli fidei, non influunt in conclusionem nisi remote, et mediante discursu naturali; effectus autem magis sapit naturam causae proximae, quam remotae. Similiter Deus non est objectum specificativum Theologiae, nisi ut substat revelationi virtuali, seu discursu naturali, sub qua ratione est formaliter quid naturale.

VIII. Theologia est dignior aliis scientiis practicis, quia finis Theologiae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Est etiam ex parte materiae dignior aliis scientiis speculativis, quia est principaliter de iis, quae sua altitudine rationem transcendunt, nempe de Deo ut auctore supernaturali, et lumine supernaturali cognoscibili. Quoad certitudinem vero, quae maxime confert ad dignitatem scientiae, notandum prius theologos duplicem distinguere certitudinem; alteram objectivam, quae est firma, et invariabilis objecti determinatio in suo esse, alteram subjectivam, quae est firma et invariabilis objecti determinatio in suo esse; alteram subjectivam, quae est *firmitas* adhaesionis virtutis cognoscitivae ad suum cognoscibile. Potest autem haec firmitas oriri vel ex sola motione voluntatis determinantis intellectum ad inhaerendum, seu assentiendum alicui objecto independenter ab alio legitimo motivo, ut contingit in haereticis, qui quandoque firmius adhaerent suis erroribus, quam catholici veritatibus fidei: et haec est impropria certitudo, quae magis debet dici pertinacia quam certitudo: vel oritur haec firmitas ex efficacia medii, seu motivi determinantis intellectum ad assentiendum veritati; et haec est propria certitudo, de qua quaeritur.

Notandum insuper 2. aliquid posse esse altero certius dupliciter: uno modo quoad se, quando nempe ex se, et ex natura sua habet firmiores causas suae certitudinis: Alio modo quoad nos, quando ejus certitudo est magis connaturalis, et proportionata intellectui nostro, illumque satiat, et quietat, quod contingit, quando cer-

titudo oritur ex evidentia , quia evidentia est ultimum , in quo quiescit intellectus noster.

Theologia, sive secundum habitum,sive secundum actum,est certior,quoad se,aliis scientiis naturalibus , quia habet certitudinem ex revelatione divina falli nescia , in quam ultimate resolvitur : scientiae autem naturales habent certitudinem ex lumine naturali rationis humanae . quae (quamvis objectum , circa quod versatur , sit quandoque certissimum) est tamen per peccatum tenebris obvoluta , et errori obnoxia, unde licet in aliis possit esse major certitudo subjectiva, non tamen objectiva quoad se. Quoad nos autem, Theologia non est certior aliis scientiis naturalibus: quia illud dicitur certius quoad nos , quod est magis intellectui proportionatum , illumque magis satiat, et quietat, quod praestant scientiae naturales ratione evidentiae , qua caret Theologia , utpote revelationi obscurae innixa.

IX. Tandem operae pretium est, pro hac, et aliis quaestionibus haberi accuratam notionem conclusionis Theologicae, atque ejus distinctionis a propositione fidei. Propositio fidei est, quae in verbo Dei scripto, vel tradito formaliter, et immediate revelatur , et ab Ecclesia Catholica ut revelata proponitur ; si enim haec secunda conditio desit , quamvis prima adsit , erit quidem fidei quoad se , non tamen quoad nos ; quia sola Ecclesia est regula infallibilis in discernendis revelatis a non revelatis , ut alibi fusius explicatur. Conclusio Theologica est , quae per discursum naturalem deducitur vel ex duabus praemissis de fide, vel ex una de fide, et altera naturali certa , in quibus virtualiter continetur , unde est tantum mediate revelata. Dico *et ex naturali certa* : quia si praemissa naturalis foret tantum probabilis , sic etiam esset conclusio , eo quod ejus extrema unirentur tantum probabiliter uni medio in praemissis , ut si dicas : *Omnis Discipulus diligit magistrum* ; *Judas fuit discipulus Christi* : *ergo dilexit Christum* : haec conclusio est tantum probabilis, imo falsa , consequenter non est conclusio Theologica , quae debet esse certo vera

Porro conclusio potest virtualiter contineri in praemissis dupliciter. 1. Ratione connexionis naturalis , hoc est vel ut proprietas in essentia, vel ut effectus in causa, ut si dicas: *omnis homo est risibilis*, *Christus est homo,ergo Christus est risibilis* ; haec conclusio continetur in praemissis tamquam proprietas in essentia,seu ratione connexionis naturalis , quam risibilitas habet cum homine. 2. Potest contineri virtualiter conclusio in praemissis ratione significationis , hoc est vel ut pars in toto , vel ut singulare in universali , vel ut implicitum in explicito terminis aequivalentibus expressum, si dicas : *Christus pro omnibus mortuus est* ; *ergo pro me mortuus est.* Conclusio continetur in antecedente , non ratione connexionis naturalis , sed ratione significationis , seu ut pars in toto , aut singulare in universali , qui enim dicit explicite totum , aut universale , dicit implicite partem, aut quodlibet singulare. Similiter si dicas *Christus est unus substantia cum patre*: *ergo est patri consubstantialis* : quia esse unus substantia , et esse consubstantialis , idem significant diversis terminis. Hujusmodi autem conclusio non est proprie, et stricte conclusio, quae a notioribus ad minus nota debet procedere ; sed est potius explicatio significationis praemissarum, estque immediate revelata , et ideo certitudine fidei , et ad fidem pertinet : igitur quaestio nostra est tantum de conclusione stricte dicta, seu contenta virtualiter in praemissis ratione connexionis. His notatis, et suppositis :

Conclusio theologica qua talis, quamvis sit quoad se certior aliis scientiis naturalibus , non est tamen certa certitudine fidei , nec ad fidem pertinet : quia conclusio theologica reduplicative qua talis, non est immediate revelata, nec solo fidei motivo nititur, sed est tantum virtualiter, et mediate revelata in suis praemissis , ex quibus per discursum humanum deducitur : unde illi assentimur , non praecise propter revelationem , sed quia lumine naturali percipimus esse connexam cum veritate revelata: fides autem seu certitudo supernaturalis fidei innititur soli et immediatae revelationi.

[Conclusio theologica generatim accepta dividitur in Dogmaticam presse, vel

minus presse dictam, et in pure *Theologicam*: quae iterum subdividitur in Theologicam, *stricte dictam*, vel Theologicam *specifice, et in mere scholasticam*. Ad harum omnium intelligentiam quaedam de Dogmate praemittenda sunt, a cujus cognitione dependent. *Dogma*, juxta graecam nominis Etymologiam, ἀ δοκέω, idem sonat ac latine *Regula*, *Decretum*, *Scitum*, *Placitum*, unde S. Augustinus *Dogmata* (inquit) *sunt placita sectarum*. Juxta hanc genericam vocis acceptionem quaecunque *Scita*, *Decreta*, *Placita* in quavis Religione, vel scientia, vel Arte habentur tanquam certa, et inconcussa, aut unanimi, vel certe longe communiori consensu ab illius Professoribus recepta sunt, Dogmata vocantur.

Dogma itaque Theologicum (de quo hic est sermo) juxta datam vocis acceptionem generice spectatum, est Scitum, Placitum, Decretum Religionis catholicae, aut a SS. Patribus, vel Theologis Orthodoxis unanimi, vel certe longe communiori consensu receptum. Et in hac latitudine complectitur *inprimis* indubitatas Fidei veritates revelatas, et omnibus ad credendum ab Ecclesia propositas, quae supremam tenent sphoeram theologici Dogmatis. *Deinde* veritates nondum definitas, quae ex prioribus per legitimam consequentiam certo fluunt, et ad fidem proxime accedunt, et secundum locum occupant inter Dogmata Theologica, ad quae demum revocantur eae veritates, quae unanimi vel communissimo SS. Patrum, vel Theologorum placito comprobantur. Atque hinc oritur divisio Dogmatis theologici in Dogma *Catholicum*, quod si presse sumatur, venit etiam simpliciter nomine Dogmatis *presse* dicti, et in Dogma *pure* Theologicum, quod Dogma minus presse tale dici potest. Si itaque constiterit, quid sit Dogma Catholicum *presse* tale, constabit pariter, quid sit Conclusio Dogmatica *presse* talis, prout contradistinguitur non solum a mere scholastica, sed etiam a *pure* Theologica, quae ad Dogma minus presse tale revocatur. Advertendum tamen, quod quidquid sit de Divisione Dogmatis Catholici a Petro Annato allata in *Imperatum*, *Liberum*, et *Tolleratum*, solum Dogma imperatum ex communi Theologorum sententia gaudet nomine Dogmatis Catholici presse dicti, maxime cum ex Vincentio Lyrinensi. *Id proprie catholicum sit, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*

Hoc itaque sensu acceptum *Dogma Catholicum presse* tale est placitum universae Ecclesiae catholicae, seu illud, quod omnibus orthodoxis tamquam certa, et inconcussa veritas, aut Regula seu *credendorum*, seu *agendorum* certo et immediate a Deo est revelatum, et ab Ecclesia velut tale propositum. Hinc sequitur inter Dogmata *Catholica presse* recenseri tantum veritates primi generis supra indicatas, reliquas vero pertinere ad Dogmata pure theologica, sicut enim Dogma *Catholicum presse tale* est placitum universae Ecclesiae Catholicae, et omnibus ad credendum, vel observandum aperte propositum, ita per Dogma *Theologicum pure tale* intelligitur id, quod ex aperte revelatis per Conclusionem stricte theologicam deducitur, vel saltem unanimi, ac communissimo Patrum, ac Theologorum consensu est comprobatum.

Sequitur 2. Dogmata Catholica alia esse *Fidei*, alia *Morum*. Priora sunt Regula *credendorum*, et proponunt quid praecise sit *credendum* fide divina; Posteriora sunt regula *agendorum*, et praecipiunt quid insuper *agendum*, quamquam oporteat etiam credere illud agendum esse, quod Deus revelavit, et Ecclesia proposuit agi debere.

Sequitur 3. Utrum aliquid sit Dogma Catholicum non posse certo constare nisi ex propositione Ecclesiae Catholicae, vel supremi ejus Capitis. Hinc est indubitanter Dogma Catholicum presse dictum I. Quod in Scripturis, quas pro genuino Dei Verbo agnoscit Ecclesia, ita clare continetur, ut a nemine, qui scripturae Verba intellexerit, negari, aut in dubium vocari possit. II. Quod in Scripturis obscure continetur, secundum illum sensum, quem praefinivit Ecclesia. III. Quod communi Ecclesiae catholicae doctrina, et usu consecratum est, aut Conciliorum Oecumenicorum a summo Pontifice approbatorum, Auctoritate, velut tale definitum, aut cujus contradictorium ab illis damnatum est velut haereticum. IV. demum quod con-

cordi, ac constanti omnium SS. Patrum assertione velut tale semper fuit habitum , per illos enim ad Nos derivatur Traditio divina , vel apostolica.

Advertendum tamen est, secernenda esse a Theologis Dogmata catholica ab aliquibus cum ea connexis, quae quamvis vera passim habeantur, ad sphoeram Dogmatis Catholici non pertingunt. Sic praesentia realis , et substantialis Christi in Eucharistia est Dogma Catholicum; Non est autem tale , quod species sub quibus continetur, sint vera accidentia physica, absoluta , licet sit multo conformius locutionibus Conciliorum , et Ecclesiae. Tandem non pertinet ad privatos Theologos decernere , an , et quid certo sit Dogma Catholicum; At si omnes Orthodoxi Theologi judicent , ex principiis fidei indubitanter deduci , atque ad fidei Dogma pertinere , pro tali merito habendum est.

Ex hactenus dictis facile colligitur, Conclusionem Dogmaticam *presse talem*, illam solum esse , quae Dogma Catholicum ex inconcussis , ac manifestis fidei principiis elicit. Quae vero continet aliam veritatem licet ex Dogmate Catholico, uno, vel duplici , legitimo nexu profluentem , sed nondum ab Ecclesia omnibus ad credendum propositam, aut saltem unanimi, vel communissimo Patrum, aut Theologorum calculo comprobatam , venire quidem nomine conclusionis Dogmaticae , sed *minus presse talis*. Idem esto judicium de *Quaestione Dogmatica*, eadem enim veritas venire potest sub nomine vel Quaestionis, vel Conclusionis. Nam si in dubium vocetur , vel per interrogationem efficiatur, *Quaestio* dicitur , si ex suis principiis argumentatione colligatur , *Conclusio* appellatur.

Conclusio Theologica pure, ac stricte sumpta, quae per antonomasiam venit nomine Conclusionis theologicae, est illa, quae per legitimum discursum certo, et evidenter eruitur, vel ex duplici praemissa de fide, vel saltem ex una de fide , et altera naturaliter certa. Quae ex duplici praemissa de Fide liquido deducitur , censetur etiam esse de fide , quae vero ex una de Fide , sed altera solum naturaliter certa , etsi metaphysice, an sit de Fide disputant Theologi. Advertendum tamen, *conclusionem Theologicam stricte talem* evadere presse Dogmaticam , et ad Fidei sphoeram pertinere, si per Ecclesiam ipsam, aut sedem apostolicam confecta fuerit, et per ejus definitionem , seu divinae revelationis applicationem , omnibus fidelibus ad credendum proposita.

Conclusio *mere scholastica* est illa , quae probabili ratiocinatione ex fontibus Theologiae propriis elicitur , et ad illustrandas fidei veritates , aliasque affines aliquo modo conducit, unde liberae Theologorum Orthodoxorum disputationi, et opinioni relinquitur.

Non sufficit tamen Conclusiones Theologicas cognoscere, earumque diversitatem discernere , debet praeterea Theologus a puro Fidei Catholicae tritico secernere superseminata ab inimico Homine Haeresum , aliorumque errorum Zizania , ut ad ea praefocanda, et evellenda omni studio nitatur. Sed de propositionibus erroneis , earumque censuris actum est initio hujus compendii].

X. Theologia est una specie scientia , quamvis sit simul speculativa , et practica, quia licet multa materialiter diversa respiciat , omnia tamen respicit sub una ratione formali virtualis, et mediatae revelationis. Scientiae autem desumunt suam unitatem specificam ex objecto non materiali , sed formali.

Ex dictis sequitur Theologiam esse vere sapientiam , considerat enim causam altissimam in omni genere , nempe Deum , et sub ratione altissima , scilicet divina revelatione. Ex quo ulterius sequitur eam esse argumentativam, quia omnis scientia deducit conclusiones ex principiis , quod est argumentari .

Loci autem, ex quibus Theologia depromit sua argumenta, vocantur loci Theologici: et communiter assignantur decem. Primus est Scriptura sacra; secundus, Traditio Apostolica ; tertius , Ecclesiae Catholicae consuetudo, et authoritas ; quartus, Definitio Concilii oecumenici ; quintus, Sedis Apostolicae, seu Romani Pontificis authoritas; sextus, alicujus Patris, aut Ecclesiae Doctoris authoritas, septimus , Sententia

Doctorum graviorum; octavus, Ratio naturalis; nonus, Auctoritas Philosophorum; Decimus. Historia humana. Neque refert S. Thomam quatuor tantum enumerare locos Theologicos, scilicet Scripturam sacram, Doctores, Philosophos, et rationem naturalem: non enim fuit S. Doctoris propositum ibi recensere omnes locos Theologicos, sed solum ostendere Theologiam esse argumentativam.

Duo tantum hic notanda sunt; primum ex quinque primis duntaxat locis argumenta infallibilia deduci, ex quinque ultimis solum probabilia, nisi forte ex sexto et septimo, quando nempe vel omnes Patres, vel omnes Doctores in aliqua veritate asserenda unanimiter conveniunt; tunc enim regulariter loquendo est certum, et infallibile argumentum inde deductum, cum unanimis sensus Patrum, aut Doctorum videatur ipsius Ecclesiae sensus.

Aliud notandum, non omnes locos assignatos esse proprie Theologicos sed dumtaxat septem primos. Tribus ultimis autem utitur Theologia tanquam extraneis et probabilibus argumentis. Etenim generatim loquendo in quacumque scientia sunt duo loci arguendi, scilicet authoritas, et ratio, quia mens humana alicui rei assensum non praebet, nisi vel authoritate dicentis, vel evidentia objecti inducatur: cum ergo in rebus Theologicis, quae fidei innituntur, evidentia objecti desit, sola authoritas Dei revelantis est proprius locus in ea argumentandi. Utitur tamen ratione humana tamquam ancilla, ut fidei deserviat, non ut dominetur, aut aequo pede incedat, cum enim gratia non tollat naturam, sed subjiciat, et perficiat, ita oportet, quod naturalis ratio fidei subserviat et obtemperet, sicut naturalis inclinatio voluntatis charitati obsequitur: unde Apost, 2. ad Cor. 10. dicit: *In captivitatem rediguntes omnem intellectum in obsequium Christi.* Tres autem ultimi loci pertinent ad rationem humanam, septem primi ad authoritatem divinam.

TRACTATUS

DE LOCIS THEOLOGICIS

DISSERTATIO I.

DE SCRIPTURA SACRA

Sacra Scriptura variis nominibus insignitur. Dicitur *Scriptura Sacra*, seu *litterae sacrae*, tum ratione auctoris, qui est Deus, tum ratione materiae, quae sunt mysteria fidei. 2. dicitur Testamentum, quia Deus in ea nobis declarat suam voluntatem, et Filiis haereditatem relinquit, scilicet beatitudinem aeternam, 3. greco vocabulo Biblia etiam nuncupatur, quasi *Libri* per antonomasiam.

Dico 1. Scriptura sacra est Verbum Dei scriptum, intellige τὸ Dei non per modum puri genitivi, ut cum dicitur *liber Petri*, sed per modum genitivi causantis, ut cum dicitur *Lex Caesaris.*

Itaque τὸ verbum Dei in hac definitione est genus, in quo convenit Scriptura sacra cum *Traditionibus*: per hanc autem particulam *scriptum* ab illis differt; quamvis enim traditiones possint scriptura mandari vel a Patribus, vel a Conciliis, vel a Pontificibus, non tamen sunt Verbum Dei ab ipso scriptum. Similiter si Deus approbaret aliquem librum, licet foret infallibilis auctoritatis, non esset tamen verbum Dei scriptum, nec scriptura sacra

Dico 2. Existit Scriptura sacra. Prob. 1. Auctoritate Ecclesiae, quam infra probabimus infallibilem.

2. Illa Scriptura est vere divina 1. quae plura futura longe ante praedixit, prout revera, et adamussim fuerunt postea impleta. 2. quae mirabili, et stupendo modo

annuntiata est, et propagata in toto mundo per homines pauperes, rudes, et idiotas, quamvis plura contineat supra rationem, et contraria sensibus. 3. Quae infinitis prope miraculis est confirmata. 4. Quae innumerabilium Martyrum sanguine effuso est sigillata, et defensata. 5. Quam tot populi, tot nationes repugnante licet natura, contradicentibus Principibus, Magistratibus, et Philosophis, acceptarunt. 6. Denique quae est adeo pura, ac sancta, ut nihil nisi malum prohibeat, nihil nisi bonum praecipiat: atqui hujusmodi est Scriptura, quam dicimus sacram et divinam; Ergo. Hanc demonstrationem fuse expositam vide in tract. de Fide Diss. 2.

3. Deus est necessario ab hominibus colendus, ut auctor naturae, et gratiae: nescit autem homo, qua ratione, quo ritu Deus velit coli, nisi Deus ipse manifestet. Id ergo Deus manifestavit hominibus. At quomodo manifestavit? Vel per spiritum privatum, vel per Viros sanctos, Prophetas, et Apostolos a se delegatos. Non per spiritum privatum, quia non est certus, sed varius, et saepe sibi contrarius, unum uni suadens, alteri oppositum, ut patet in Haereticis, qui eo ducuntur: ergo per viros sanctos a se delegatos, Prophetas, et Apostolos, qui veritates a Deo sibi revelatas litteris mandaverunt, et nobis transmiserunt,

Petes utrum singula Scripturae verba sint a Spiritu Sancto dictata?

Suppono omnes Scripturae sententias esse a Spiritu Sancto inspiratas, et dictatas juxta illud 2. Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum*, et alioquin omnis Scripturae nutaret auctoritas; posset enim sententiis non revelatis subesse falsum, et cum incertum foret, quae essent inspiratae, et quae non, nulli certo fides adhiberi posset. Quaeritur itaque an non solum sententiae, sed phrases, stilus, et singula verba sint a Deo inspirata, et dictata.

R. Probabilis affirmative.

1. Quia Scriptura sacra est scriptura Dei, seu verbum Dei a Deo scriptum, ut diximus in prima propositione: atqui si Deus dictet tantum sensus, et sententias, non ipsa verba, scriptori, quo tamquam calamo utitur, non poterit dici scriptura Dei, seu verbum a Deo scriptum, eo scilicet modo quo scribit, sed erit scriptura hominis, et verbum ab homine scriptum, ut patet: ergo.

Confirmatur 1. Sensus, et sententiae definitionum, quas edunt Concilia generalia, sunt dictatae, et inspiratae a Deo, juxta illud Apostolorum in primo Concilio, *Visum est Spiritui Sancto*: atqui tamen non sunt Scriptura sacra, quia nempe verba non dictantur a Spiritu Sancto, sed relinquuntur arbitrio hominum, ergo.

Confirmatur 2. Epistola, cujus Rex dictasset sensus, et sententias, sed ipse eam non scripsisset, posset quidem dici epistola, et mandatum Regis, hoc est nomine, et jussu Regis scriptum, sed non esset scriptura Regis, nec verbum a Rege scriptum: ergo similiter licet Deus inspiret sensus, et sententias alicujus libri, si tamen ipse non scribat eo saltem modo quo scribit, dictando verba homini, quo utitur tamquam calamo, iste liber poterit dici mandatum, aut etiam si vis epistola Dei, id est nomine Dei scripta, sed non erit scriptura Dei, nec verbum a Deo scriptum.

Articulus II.

De Scripturae sacrae divisione, apographis, et versionibus.

Petes 1. Quomodo dividatur Scriptura sacra?

R. 1. Dividitur in vetus, et novum Testamentum. Vetus Testamentum est collectio librorum sacrorum, qui promittunt liberatorem venturum cum praeceptis antiquae legis. Novum Testamentum est collectio librorum sacrorum, qui promissum liberatorem praesentem exhibent cum praeceptis novae legis.

Libri canonici veteris Testamenti sunt numero quadraginta quinque: Libri canonici novi Testamenti viginti septem: omnes septuaginta duo. Ita Trid. sess. 4. cap. 1.

2. Dividuntur libri canonici tam veteris, quam novi Testamenti in Protocanonicos, et Deuterocanonicos. Protocanonici sunt, de quibus nunquam fuit dubitatum; Deuterocanonici sunt, de quibus ante Innocentium I., et Concilium Cartaginense tertium ab aliquibus fuit dubitatum. Et hi sunt ex veteri Testamento Esther, Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Hymnus trium Puerorum Dan. 3., Historia Susannae, et Draconis Dan. 13. 14., Oratio Azariae, Oratio Jeremiae circa finem Threnorum, primus et secundus Machabaeorum. Ex novo testamento Deuterocanonici sunt: caput ultimum Marci ex eo loco *Surgens autem*; Historia de sudore Christi sanguineo, et de ejus confortatione per Angelum Luc. 22.; Historia de Muliere adultera Io. 8.; Haec verba ex Epist. 1. Io. *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt*; tota Epistola S. Pauli ad Hebraeos; Epistola Jacobi, et Judae; secunda Petri; tertia Joannis, ac tandem ejusdem Apocalypsis. Caeteri omnes hic non nominati sunt Protocanonici.

Neque tamen Deuterocanonici sunt minoris auctoritatis quam Protocanonici: quia tam in illis, quam in istis est eadem prima veritas loquens, et eadem infallibilis Ecclesia proponens. Neque obstat, quod de Deuterocanonicis aliquando fuerit dubitatum, ut dictum est; istud enim dubium non fuit positivum ex parte Ecclesiae, quasi illos judicasset, aut declarasset dubios, sed ex parte quorumdam Patrum, quod dubium in illis aliquamdiu tolleravit Ecclesia, donec tandem re plenius discussa, et elucidata traditione, illos in canone inseruit.

[Canon, cum de S. Scriptura agitur, est collectio, et catalogus librorum, qui tamquam sacri, et divinitus inspirati habentur. Dicitur Canon tum quia sacri Codices fidei, morumque regula sunt, tum quia tamquam regula data fidelibus, qua libros sacros ab aliis secernere possint. Ut liber sit divinus sufficit, ut Deum habeat auctorem; ut praeterea sit canonicus, requiritur, ut ab Ecclesia proponatur, tamquam a Deo inspiratus: hinc libri deuterocanonici illi sunt, qui semper quidem divini fuerunt; non habiti sunt tamen canonici, nisi postquam ab Ecclesia in Canonem relati sunt. Primus omnium, secundum communem sententiam, post Babylonicam captivitatem, Canonem confecit Esdras distinctum in 22. Volumina, sicut 22. sunt elementa, quibus hebraice scribitur, in quo, licet aliqui libri deessent, nunquam tamen aliquid illi addere, vel minuere Judaei ausi sunt. Hic Canon transivit a Synagoga ad Ecclesiam, et quamvis primi Christiani Canonem legitimum omnium sacrorum Librorum Veteris Testamenti recepissent per traditionem a Christo, et ab Apostolis, ex eo tamen, quod aliqui eorum in Judaeorum canone non invenirentur, causa fuit discriminis facti inter eos, qui in eo Canone describebantur, et eos qui in illo omittebantur; et priores, quorum Auctoritas constanti, et unanimi consensu tum Synagogae, tum Ecclesiae comprobata erat, prae caeteris aptiores habiti sunt ad Judaeos, Haereticos, et Incredulos revincendos, et hi inter libros veteris Testamenti sunt protocanonici, alii vero deuterocanonici.

Libri novi testamenti nonnisi reddita Ecclesiae pace in Canonem sunt redacti, quando potuit fieri diligentior disquisitio traditionis, quae in pluribus Ecclesiis praesertim Apostolicis vigebat, quem Canonem tamquam communi Ecclesiarum traditioni consentaneum omnes receperunt Ecclesiae. Hinc *Eusebius hist. eccl. lib.* 3. *c* 25. triplicis generis libros novi Testamenti distinguit. Primi sunt, quorum origo nunquam in dubio vocata fuit, et sunt protocanonici. Secundi, qui Ecclesiarum consensum unanimem non habebant, quos iterum distinguit in eos, quorum Auctoritas, quae aliquo tempore vacillare videbatur, postea unanimi consensu confirmata est, et sunt deuterocanonici; et in eos, qui quamvis a Patribus quibusdam ut divini citati sint, et utiles legentibus esse possint, inspecta tamen proprius traditionis Regula a Canone exclusi sunt, ut liber Pastoris. Tertii sunt libri falsi ab Haereticis, aut Rabbinis compositi, ut plurima Evangelia falsa etc.

Omnem quaestionem circa legitimitatem SS. Librorum tam veteris, quam novi

Testamenti diremit Concilium Tridentinum, quod adscripto librorum sanctorum indice, hoc canone concludit. „ Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris, et canonicis non susceperit, anathema sit „ Nihil huic Canoni potest rationabiliter opponi, in quo Concilii Patres exempla orthodoxorum Patrum sequuti, nihil aliud decreverunt, quam quod ex perpetua, et communi traditione tenebat Ecclesia. Hunc enim Canonem acceperunt ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, quem Eugenius acceperat a Gelasio Papa in Concilio Romano 70. Episcoporum, Gelasius ab Augustino l. 2. de Doct. Christ. c. 8., Augustinus ab Innoc. I. anno 405. Epist. 3. ad Exuperium, in qua scribit, hos omnes libros ut divinos, et canonicos esse suscipiendos secundum traditionem ab Apostolicis temporibus in Ecclesia Romana conservatam; Innocentius a Concilio Carthaginensi III. Can. 47, et ex Traditione, ut dicit. Huic traditioni pondus addit consensus Ecclesiarum Orientalium, quae omnes eumdem ac Concilium Trident. Scripturarum canonem admittunt, quamvis earum quaedam a quinto jam saeculo ab Ecclesia catholica scissae sint. Cum autem Ecclesia indefectibilis sit, et imprimis Ecclesia docens praerogativa infallibilitatis insignita fuerit a Christo, et praeterea certum sit Ecclesiam universam ante Novatorum tempora circa librorum sacrorum Canonem nihil aliud docuisse, quam quod postmodum a Concil. Trid. solemni decreto stabilitum est, sequitur Canonem Tridentinum tamquam certam Fidei regulam habendum esse.

Definitioni Concilii non acquieverunt Protestantes, sicut in caeteris, ita in SS. Librorum Canone satuendo pro sectarum, et temporum diversitate inter se dissidentes. Omnes expungunt libros deuterocanonicos veteris Testamenti, sed Lutherus, ejusque asseclae omnes quoque libros deuterocanonicos novi Testamenti repudiant, nimirum Epistolam ad Hebraeos, Epist. Jacobi, et Judae, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, et Apocalypsin; e contra Calvinistae hos omnes libros admittunt. Advertendum tamen est, non eamdem esse de Scripturarum canone omnium sententiam. Recentiores, qui inter ipsos orthodoxi vocantur, plures libros deuterocanonicos Novi Testamenti admittunt; alii, quos heterodoxos appellant, plures etiam protocanonicos rejiciunt, et quamvis non cessent appellare Scripturas, tamquam unicam Fidei Regulam, attamen ex Scripturis expungendum decernunt pro libitu, quaecumque cum eorum erroribus non consentiunt, aut quae fastidit carnalis, et superba sapientia. Hinc non est mirum quot cavillationes produxerint, ut Canonem Librorum SS., a Concilio Tridentino statutum, impugnarent. Dicunt veteres Patres majorem auctoritatem tribuisse Libris protocanonicis, quam caeteris, quod fortasse evenit, quando SS. Patres contra Haereticos, et Judaeos agebant, contra quos argumenta desumebant ex illis libris, quorum divinam originem etiam ipsi Contradictores admittebant; non ita tamen ut de divina librorum deuterocanonicorum origine dubitaverint. Praecipue tamen urgent Auctoritatem S. Hieronymi, qui in Prologo galeato ait, quidquid extra hos libros est in Canone Esdrae contentos, inter Apocrypha esse ponendum. Pro responsione notandum est, vocem *Apocryphos*, quod idem est ac *occultus*, et *absconditus*, non eumdem apud omnes semper habuisse sensum; et quamvis saepe Patres illis libris eum tribuerint, quos tamquam suppositiitios habebant, vel quia ab Haereticis confectos, vel quia res falsas, aut saltem incertas, et dubias continentes, alii tamen non raro sub Apocryphorum nomine omnia illa comprehendunt, quae publicam Ecclesiae auctoritatem non habebant, quia divina illorum origo propter aliquorum dissensionem adhuc quibusdam quasi tenebris tegebatur. In hoc ultimo sensu loquutum fuisse S. Hieronymum evidenter patet ex ejus aliis libris, in quibus scripturas Veteris Testamenti, non contentas in Canone Esdrae, et Deuterocanonicos, habuit ut sacros. Sic de Libro Judith Epist. 60. haec habet *Ruth*, *Esther*, *Judith tantae gloriae sunt*, *ut sacris voluminibus nomina indiderint.*

Quia vero Protestantes hujus Patris auctoritatem urgent contra aliquem particularem librum deuterocanonicum, abs re non erit, ejus sententiam quoad singulos exponere. Vidimus quid scripserit de libris Judith, et Esther. Librum Tobiae, ait S. Doctor *in praefatione in Tob*, a Judaeis inter agiographos numeratum fuisse. Ipse eum ex Chaldaeo sermone in Latinum transtulit, *Melius esse judicans Pharisaeorum displicere judicio, et Episcoporum jussionibus deservire.* Non ita recte fortasse S. Hieronymus sensit de libro Sapientiae, quem (*Praef. in lib. Salom.*) graecam eloquentiam redolere ait. Certum tamen est, auctores novi Testamenti plures ex eo libro excerptas sententias adhibuisse, eoque antiquissimos Patres tamquam divino usos fuisse, non tantum (ut putat Hieronymus) ad aedificationem fidelium, sed etiam ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum. Sufficiat afferre Auctoritatem S. Augustini, qui in lib. de Praedest. SS. cap. 14. haec habet „ Oportet ut librum „ istum Sapientiae omnibus Tractatoribus anteponant, quoniam cum sibi anteposue„ runt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii Tractatores, qui cum te„ stem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium crediderunt. „ Nihil ex S. Hieronymo possunt Protestantes afferre contra librum Ecclesiastici, sed cum in Praef. in Ierem. scripserit S. Doctor „ Librum Baruch Notarii ejus, qui „ apud Hebraeos nec legitur, nec habetur, praetermisimus „ hinc hunc librum a Canone excludendum omnimode censent. Sed quidquid sit de mente S. Doctoris, quae non est adeo manifesta, cum ipse fateatur Prophetiam Baruch cum Epistola Jeremiae, ex LXX. Interpretum editione legi in omnibus fere Bibliis sui temporis, et in Apologia II. in Rufinum dicat. *Qui me criminantur stultum* (propter quaedam a me quasi suggillata) *se sycophantam probat. non enim quid ipse sentirem, sed quid illi* (Hebraei contra Me dicere) *solebant explicavi*, ipsius auctoritas non potest praevalere contra totius Ecclesiae auctoritatem. De hac Prophetia notandum est, saepe ut partem Jeremiae fuisse a Veteribus computatam, unde non invenitur distincte computata in numero librorum canonicorum. In libros Machabaeorum, praesertim in secundum maxime exasperati sunt Novatores propter ea, quae de Oratione pro Mortuis in ipso leguntur. Eos tamen ut Scripturam divinam citant Patres antiquissimi, et ipse S. Hieronymus pluribus in locis. Haec quoad libros deuterocanonicos veteris Testamenti.

Auctoritatem vero S. Hieronymi etiam contra libros deuterocanonicos Novi Testamenti Novatores objiciunt. Et quoad Epistolam ad Hebraeos dicunt S. Hieronymum ambigere, an sit canonica, imo asserere eam non recipi a Latinis, ut patet in ejus commentariis in Isaiam, et Jeremiam, et ex ejus Epistola ad Paulinum, ubi haec habet. *Paulus Apostolus ad septem scripsit Ecclesias octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur.* Hanc autem esse aliquorum sententiam non suam aperte evincitur ex eo, quod S. Doctor ex hac Epistola innumeris in locis nomine Pauli testimonia referat, maximeque in Epistola ad Dardanum, ubi ait. *Illud dicendum hanc Epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos non solum ab Ecclesiis Orientalibus, sed ab omnibus retro Ecclesiis, et graeci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi.* Caeterum quoad S. Hieronymum non est praetermittendum, quod observat Bellarminus de verbo Dei. l. 1. c. 10. hunc S. Doctorem ita scripsisse, quia nondum generale concilium de libris deuterocanonicis aliquid statuerat.

Mirum fortasse videri posset, quod Protestantes, qui tantum extollunt aliqua verba, quae S. Doctor ante Ecclesiae definitionem, inquirendo magis, quam asserendo de libris douterocanonicis protulit, despiciant deinde ejus auctoritatem, nova eorum dogmata evertentem. Quare non audiunt S. Hieronymum summi Pontificis Primatum agnoscentem, Romanam Ecclesiam centrum unitatis, et solam, in qua salus haberi potest, diserte profitentem. *Beatitudini tuae* (inquiebat ad Damasum Papam Epist. 57.) *idest Cathedrae Petri communione consocior; super istam petram aedificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum*

comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio, sed potius volunt sibi attribui, quae in simili causa de Luciferianis aiebat: *Familiare est eis dicere factum de Ecclesia lupanar?* Nunquid S. Hieronymus non est aperte confessus Purgatorium, ac suffragia pro Defunctis? *Omnium peccatorum* (inquit in Cap. 66. Isai. l. 18. prope finem) *atque impiorum, qui dixerunt in corde suo non est Deus, credimus aeterna tormenta; sic negatorum, atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera iniqua probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementiae sententiam Judicis.* Et de suffragiis pro defunctis in Epist. ad Pamachium, quem commendat, quod pro defuncta Uxore Paulina pias eleemosynas distribueret: *Illis pigmentis*, inquit *fovit cineres quiescientis, sciens scriptum, quod sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Quid dicam de invocatione Sanctorum, et de sacrarum Reliquiarum, et Immaginum cultu, quem Novatores Idololatriae insimulant, et quem ex professo S. Doctor defendit contra Vigilantium nostrorum Hagiomacorum Ducem? Et sic de caeteris novitatibus ab Haereticis excogitatis, quae ex S. Doctoris verbis facile refelluntur. Sed in hoc maxime mala Protestantium fides evincitur, qui non veritatem inquirunt, sed quae ad suos errores fovendos aliquo sensu traduci possunt. Innumera alia congerunt Protestantes contra authenticitatem horum, et aliorum librorum Deuterocanonicorum, quae hic referre instituti fines non patiuntur, quaeque videri possunt apud plurimos egregios scriptores, qui scripturae sacrae studium aggredientibus hanc controversiam fuse, docteque proponunt. Nobis haec pauca retulisse satis sit.]

3. Dividuntur libri canonici in Historiales, Prophetales, et Doctrinales.

Petes 2. qua lingua fuerit originaliter scripta Scriptura sacra?

R. Vetus Testamentum originaliter scriptum fuisse hebraice, exceptis libris Tobiae, Judith, Esdrae, et Danielis, qui tempore captivitatis Babylonicae fuerunt scripti Chaldaica lingua Babyloniorum. Excipitur etiam liber secundus Machabaeorum, qui juxta Hieronymum scriptus est graece; quidam idem opinantur de libro Sapientiae; erat enim lingua graeca familiaris Judaeis.

Novum autem Testamentum scriptum est primitus graece, excepto S. Matthaei Evangelio, quod fuit scriptum hebraice, seu syriace. Idem tenent de epistola ad Hebraeos Hieronymus, Theodoretus, et alii communius contra Origenem, et Clementem Alexandrinum.

Verum nulla nunc extant Scripturae sacrae autographa, seu textus originales, sed apographa tantum exemplaria, et versiones in alias linguas, ut sunt Chaldaica, Syriaca, Graeca, et Latina.

[Editiones, aut versiones S. Scripturae ad quatuor classes revocantur. Prima est editio Hebraica, ad quam reducuntur Syriaca, Samaritana, et Chaldaica, quae potius paraphrasis est quam versio, Judaeorum fabulis, et Thalmudistarum nugis scatens, et vulgo *Targum* appellatur. 2. est Graeca, quae etsi multiplex, omnium tamen prima, et accuratior est, quam curante Ptolemaeo Philadelpho Aegypti Rege septuaginta Interpretes condiderunt, et qua usa fuit Ecclesia annis circiter 600. Illam successu temporum, ac librariorum incuria mendis pluribus vitiatam, emendavit S. Lucianus, ac deinde S. Hieronymus. 3. est Latina, eaque ex innumeris, quae aevo SS. Hieronymi, et Augustini circumferebantur, praecipue est triplex: videlicet *antiqua*, quam S. Augustinus *Italam*, S. Hieronymus *Communem*, S. Gregorius *Veterem*, Oriosius *Vulgatam* appellant. Deinde *Nova*, quae fuit versio S. Hieronymi, quamque antiquae postponebat Augustinus, sed praeferebat Isidorus, fuitque in pretio, et veneratione magna in Ecclesia. Denique ea, quae post S. Gregorii tempora conflata est non ex tota *Antiqua*, nec ex tota *Nova*, sed nonnullos libros eo exhibens modo, quo *Antiqua*, et alios eo, quo *Nova* eos exhibebat. Atque haec est hodierna nostra *Vulgata*, quae in Ecclesia jam invaluit, et multorum saeculorum usu recepta est. Quarta demum est Versio *Vernacula* quae pro vulgarium idio-

matum varietate est, ac potest esse varia, ac diversissima, habetque vel Catholicos, vel Acatholicos auctores.]

Petes 3. Quae sit auctoritas textus Hebraici, et Graeci, nec non editionis 70.?

R. Textus Hebraicus, et Graecus, prout nunc extant, non sunt authentici, nec irrefragabilis auctoritatis; sunt tamen ad plura utiles.

Probat. prima pars. 1. Quia Ecclesia suo judicio irreformabili illos non probavit, nec authenticos declaravit, sicut declaravit authenticam editionem vulgatam, de qua modo.

2. Quia licet ante Christum, imo et post Christum ante Hieronymum non fuerint notabiliter depravati, nunc tamen pluribus, et gravibus scatent erroribus.

Prob. secunda pars. Textus Hebraicus, et Graecus sunt utiles 1. Ad firmandam in multis Latinam vulgatam. 2. Ad corrigendos typographorum errores. 3, Ad determinandam dubiam vulgatae significationem. 4. Dum ex varietate codicum dubitatur, quae sit vulgata lectio, ex textibus Hebraeis, et Graecis juvamur ad eam cognoscendam. 5. Valet, ut verborum vis, et proprietas melius percipiatur, et quae sunt obscura, et difficilia, facilius intelligantur.

Quod diximus de textibus Hebraicis, et Graecis, idem dicendum est de versione Septuaginta; quamvis enim in suo principio fuerit authentica, et etiam aliquandiu post Christum esset magnae auctoritatis in Ecclesia, nunc tamen non est authentica, nec irrefragabilis auctoritatis, tum quia Ecclesia non declaravit authenticam, tum quia tempore Hieronymi erat jam notabiliter vitiata; ut testatur S. Doctor in praefatione in 1. Paralip., et in cap. 3. Isaiae, et 5. Ezech.

Nec refert quod Sixtus V. anno 1586. versionem graecam Septuaginta, a se correctam, jubeat, *ut ab omnibus, recipiatur, et retineatur*. non enim jubet eam recipi ut authenticam, sed, ut dicit, ut utilem *ad latinae vulgatae editionis, et veterum Patrum intelligentiam.*

Petes 4. Quae sit auctoritas vulgatae editionis?

R. Vulgata editio, eaque sola, est authentica, et certa fidei regula.

Prob. Haec, et sola versio est authentica, quam authenticam solemni decreto declaravit universalis Ecclesia; est enim Ecclesia regula infallibilis discernendi Scripturam divinam: ut probabimus dissert. 1. tractatus De Fide, et probabimus adhuc infra, unde illud notum Augustini contra epist. fundamenti cap. 5. *Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiae auctoritas.* Atqui Ecclesia solemni decreto in Concil. Trid. sess. 4. cap. 1. declaravit editionem vulgatam authenticam, et ita de illa sola pronuntiavit, non de textibus Hebraicis, aut Graecis, neque de quacumque alia versione: ergo.

Vocem authenticam a jure mutuati sunt Theologi. Authenticum autem in jure est scriptum aliquod, quod ex se fidem certam, et infallibilem facit in judicio, et supremae est auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quaestionem verti debeat, et hoc sensu nostra Vulgata est declarata authentica, idest conformis in sententiis Autographo, seu textui originali, consequenter irrefragabilis auctoritatis, et certa fidei regula, tamquam verum Dei Verbum. Dixi *regula fidei*, et non judex, quae duo male confundunt haeretici. Verbum enim Dei, seu scriptura sacra vulgatae editionis est regula, et norma fidei, sed si oriatur controversia de ejus vero sensu, et consequenter de aliquo fidei dogmate, non ipsa erit judex, sed Ecclesia, aut summus Pontifex, de quo iterum infra.

Petes 5. In quibus vulgata editio sit authentica, an in omnibus, an in aliquibus tantum, et in quibus?

R. Quidam sustinent esse authenticam in omnibus: quia Trid. sess. 4. cap. 1. jubet sub anathemate omnes libros Scripturae *Cum omnibus suis partibus . . . prout in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, et canonicis suscipi.*

Nec obstant, quod in ea reperiantur adhuc quaedam menda, haec enim inquiunt, sunt exscriptorum, vel typographorum, vel temere emendantium, errata,

quaeque ideo non sunt partes, sed vulnera vulgatae editionis, et quae Ecclesia non probat illam probando.

Alii, et ut videtur communius, volunt, quod sit authentica in iis tantum, quae pertinent ad fidem, et mores, seu quod nihil contineat fidei, aut bonis moribus repugnans, ex quo perniciosus error natus sit sequi.

Rationes sunt 1. Quia Trid. citatum, postquam declaravit Vulgatam authenticam, jubet ut post hoc emendatissime imprimatur: ergo supponit in ea esse vitia et menda. Et post correctionem Sixti V. et Clementis VIII. adhuc in ea reperiuntur errata, ut aperte innuit Clemens VIII. in diplomate suae editioni praefixo, dicens in hac vulgata editione visa esse nonnulla mutanda, quae consulto mutata non sunt, idque communiter agnoscunt eruditi. 2. Quia Andreas Vega, qui Concilio Tridentino interfuit, l. 5. de justific. c. 9. dicit, quod Concilium *Eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam faedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, et moribus colligi posset, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis praetextu rejicere auderet.* Et addit quod Cardinalis S. Crucis, qui illi sessioni praefuit, pluries ipsi testatus fuerit, *Nihil amplius Patres voluisse firmare*.

Intelligunt autem pertinere ad fidem, et mores ea omnia, quae spectant mysteria religionis nostrae, et consilia divinae voluntatis, quae juvant fidem, et religionem, pietatem alunt, et mores informant: non autem pertinere ad fidem, et mores quaedam nomina locorum, urbium, fluminum, plantarum, et similia

Quantum ad Decretum Tridentini, illud intelligunt de partibus insignioribus.

Petes 6. Utrum liceat legere Scripturam sacram in lingua vulgari.

R. 1. lectionem Scripturae sacrae in lingua vulgari non esse absolute prohibitam: quia nulla est in Ecclesia lex, qua absolute prohibeatur.

R. 2. Non est tamen omnibus promiscue licitum, stante lege, Scripturam sacram legere in lingua vulgari; sed iis solum, quibus id concessum est ab Episcopis, et Inquisitoribus, vel a suis Praelatis, si agatur de Regularibus. Ita regula quarta indicis Concilii Trid., quam Pius IV. Bulla *Dominici gregis* data anno 1564. et Clemens VIII. Bulla *Sacrosanctum* 1593. praefixis huic indici, observari mandarunt.

Dixi *stante lege*: quia in pluribus locis consuetudo contraria legi derogavit, et in quibusdam penitus eam abrogavit.

Articulus III.

De Scripturae sacrae sensibus.

Petes 1. Quotuplex sit sensus Scripturae sacrae?

R. 1. esse duplicem in genere, scilicet litteralem, qui etiam dicitur historicus, et mysticum, seu spiritualem. Quia cum Deus sit auctor Scripturae sacrae, et possit non solum voces accommodare ad significandum, sed etiam res ipsas; prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad sensum litteralem; significatio vero, qua res significatae per voces, iterum res alias significant, est sensus spiritualis, seu mysticus, qui super litteralem fundatur. Sic haec vox *Manna* significat litteraliter cibum levem; iste autem cibus levis significat mystice Eucharistiam.

2. Duplex est sensus litteralis, unus proprius, et grammaticalis, alter improprius, et metaphoricus. Sensus proprius et grammaticalis est is, quem verba ex sua primaria significatione significant; sic leo proprie, et grammaticaliter significat animal rugibile. Improprius et metaphoricus est, dum verba ad impropriam significationem transferuntur propter aliquam similitudinem: sic in hac propositione; *Vicit leo de Tribu*: Leo significat improprie et metaphorice Christum. Ad sensum litteralem metaphoricum pertinet sensus parabolicus, quia parabola nihil aliud est, quam integra sententia, seu propositio, quae propter similitudinem (Parabola enim

est sermo similitudinarius) transfertur ad significandum aliquid aliud a proferente intentum,

3. Triplex est sensus spiritualis, seu mysticus, scilicet allegoricus, moralis, seu tropologicus, et anagogicus: quia vel res significatae per verba significant aliquid aliud pertinens ad Ecclesiam militantem, et est sensus allegoricus respondens fidei; vel significant aliquid pertinens ad mores, et est sensus moralis respondens charitati; vel significant aliud pertinens ad Ecclesiam triumphantem, seu aeternam beatitudinem, et est sensus anagogicus respondens spei. Hi tres sensus cum litterali exprimuntur his tritis versibus.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Inter alia sit exemplum: haec vox *Jerusalem* juxta Hieronymum in cap. 16. Ezech. litteraliter significat urbem Palestinae, allegorice significat Ecclesiam militantem, moraliter animam justi, anagogice Ecclesiam triumphantem.

[Observant Theologi ex Ecclesiae Doctoribus in exponendo S. Scripturae sensu litterali S. Hieronymum, in allegorico S. Ambrosium, in morali S. Gregorium, in anagogico S. Augustinum excelluisse.

Praeter omnes istos S. Scripturae sensus alius apud Theologos dicitur *accommodatitius*, cum verba scripturae ex intentione spiritus S. rem aliquam significantia, vel alicui Personae ab eodem applicata, ad aliam rem significandam accommodantur, vel alteri Personae applicantur propter aliquam convenientiam, quae inter hanc posteriorem rem, vel Personam, et illam priorem videtur intervenire. Hic sensus sacris Oratoribus magis quam Theologis est usitatus ad illustrandas suas Panegyres, vel conciones morales exornandas, quamquam etiam ab Ecclesia usurpetur, ut cum illud Eccli 44. de Noe probatum Encomium *Inventus est perfectus*, justus, et in tempore iracundiae factus est *reconciliatio* alicui ex Sanctis Novi Testamenti applicatur.]

Petes 2. Utrum omnis textus Scripturae habeat sensum litteralem?

R. affirmative, alioquin careret omni sensu, cum spiritualis fundetur in litterali.

Petes 3. Utrum idem Textus Scripturae possit habere plures sensus litterales. R. Affirmative; quia cum Auctor Scripturae Sacrae sit Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, si in una littera Scripturae plures sint sensus litterales. Sic illud Isaiae 53. – Generationem ejus quis enarrabit? SS. Patres intelligunt ad litteram de aeterna Verbi generatione, et de temporali ejus Incarnatione.

Petes 4. An in quolibet textu Scripturae quatuor sensus assignati reperiantur? R. Negative sed quandoque tres, quandoque duo, quandoque solus litteralis reperitur. Unde multum hallucinantur, qui dum in omnibus Scripturae textibus sensus mysticos quaerunt, et non inveniunt, ridicule Scripturas contorquent.

Petes 5. Quis sensus sit potior, an litteralis, vel spiritualis -

R. litteralem esse certiorem, etenim de illo certo constare potest, non de mystico, nisi dum a sacro Scriptore asseritur, vel ab Ecclesia declaratur: sensus enim mystici, quos proferunt SS. Patres, non sunt nisi probabiles; unde ex solo sensu litterali, aut mystico per aliam Scripturam vel Ecclesiam, asserto, deduci potest efficax argumentum.

Attamen sensus mysticus est nobilior, quia regulariter significat res praestantiores, et principaliter intenditur a Spiritu sancto; sic narratione factorum in veteri Testamento Christus principaliter intendebatur.

Petes 6. Utrum sensus Scripturae sit obscurus?

R. esse obscurum in multis locis. Est contra Haereticos. Patet ex ipsa Scriptura. S. Petrus epist. 2. c. 3. loquens de Epistolis S. Pauli dicit: *In quibus quae-*

dam sum difficilia intellectu. Act. 8. Philippo interroganti Eunuchum, an intelligeret Isaiam, quem legebat? respondet Eunuchus: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Lucae 24. Christus Discipulis euntibus in Emmaus Scripturas interpretatur. Luc. 18. Apostoli nihil horum intellexerunt, quae dicebat Christus, et plura alia.

Idem probant tot Commentaria SS. Patrum, et interpretum ad explicandam Scripturam, tot contentiones Haereticorum inter se de vero sensu Scripturae; si enim sit apertus, ut volunt, cur non omnes conveniunt? cur aliter Calvinistae intelligunt, aliter Lutherani?

Dices 1. *Psalm.* 18, *et* 118. Scriptura dicitur lux, et lucerna. 2. *Deuter* 3. dicitur mandatum non esse supra hominem, nec procul ab eo. 3. *Apost.* 2. *Corint* 4. *Si opertum est Evangelium, in iis, qui pereunt, est opertum* 4. Discrimen, quod est inter vetus et novum testamentum, est quod vetus sit liber signatus *Isai.* 19. et novum sit liber apertus *Apocal.* 5. Chrysost. Hom. 3, in 2. ad Thes. dicit *Omnia clara sunt, et plana in Scripturis divinis, quaecumque necessaria sunt, manifesta sunt.* Ergo. R. ad primum. Scriptura dicitur lux et lucerna, non quia facile intelligitur, sed quia intellecta mentem illustrat. Ad 2. non ibi agitur de intellectione Scripturae, sed de adimpletione mandatorum Dei, quae est facilis non per vires naturae, sed per Dei gratiam: Ad 3. Apostolus ibi non loquitur de Scriptura, sed de Evangelio praedicato, et explicato. Ad 4. Vetus testamentum dicitur liber signatus, quia mysteria futura, in eo figurate contenta, non intelligebantur, novum autem dicitur liber apertus, quia illa mysteria per Christum sunt adimpleta, et declarata. Ad 5. Chrysostomus loquitur de Scriptura, prout continet praecepta moralia tantum; Ipsum autem cognoscere in pluribus aliis obscuritatem Scripturae constat ex Hom. 10, et 40. in Jo., imo ex ipsa homilia, quae objicitur.

Petes 7. Cujus sit judicare de vero sensu Scripturae?

R. 1. Scriptura non potest de suo sensu judicare. 1. Quia quando controvertitur de sensu Scripturae, ipsa Scriptura, et ejus sensus est objectum, et materia controversiae: ergo non potest esse judex; nemo enim unquam somniavit, rem controversam esse judicem controversiae. 2. Judex in aliqua controversia debet partes litigantes audire, sententiam ab ipsis audiendam, et excipiendam proferre, et posse illos compellere ad acquiescendum sententiae: alias frustraneum esset judicium: atqui Scriptura haec praestare non potest: ergo. 3. Si Scriptura sit tam clara, et aperta, ut sufficiat pro eruendo ejus vero sensu, ut praetendunt Haeretici: quare ergo ipsi a tot annis disputant de vero sensu plurimorum textuum Scripturae, inter alios de illo celebri: *Hoc est corpus meum?* Vel ergo non legunt Scripturam, vel sunt pertinaces contra agnitam veritatem.

R. 2. Spiritus cujusque privatus non potest esse judex de vero sensu Scripturae. 1. Quia non habet auctoritatem compellendi partes ad acquiescendum suae sententiae. 2. Quia est varius in variis, incertus, et saepe sibi contrarius; dictat Lutherano hunc sensum esse verum, dictat Calvinistae contrarium, dicit Lutheranus se bonum habere spiritum, negat Calvinista: quis litem dirimet? 3. Nullus est, aut fuit unquam Haereticus, qui non praetendat se bono spiritu duci: si ergo cujusque privatus spiritus sit judex de vero sensu Scripturae, admittendae sunt omnes haereses ut verae, nihil enim nisi verum a bono spiritu procedere potest.

[Spiritum privatum Novatores fulciri nituntur pluribus S. Scripturae testimoniis. Ex multis sunt haec praecipua: Christus Joan. 7. ait. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de Doctrina utrum ex Deo sit.* Huic simile est illud Jo: 10. *Oves meae vocem meam audiunt, alium non sequuntur.* In Epist. I. S. Jo. Cap. 2. v. 27. Legitur *Non necesse habetis, ut aliquis doceat Vos, sed sicut unctio ejus docet Vos de omnibus, et verum est.* Et Cap. 5. v. 9. et 10. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; qui credit in Filium*

Dei, habet testimonium Dei in se. Apostolus 1. Corinth. 2. ait. *Spiritualis judicat omnia, ipse a nemine judicatur.* Et cap. 14. v. 37. *Siquis videtur spiritualis, cognoscat quae scribo Vobis, quia domini sunt mandata.* Respondetur tamen generatim, haec, et similia solum probare, utrumque testimonium conjungi debere. Parum enim prosunt verba exterius sonantia ei, quem Spiritus S. intus non docet. *Sonus verborum nostrorum aures percutit (ait S. August. in Epist. 1. Joan.) Magister intus est. Nolite putare quemquam hominem discere aliquid ab Homine. Admonere possumus strepitu vocis nostrae, si non est intus qui doceat, inanis est strepitus noster.* Christus enim instituit, ut homo corpore et Spiritu constans externis quoque adminiculis indigeat, et ad veritatem, et salutem perveniat, tum auctoritate exterius loquente, tum gratia interius adjuvante. Ergo quaerenda est veritas ab illis, quos Doctores Nobis, et Praeceptores reliquit. Ita probandi sunt spiritus si ex Deo sunt. Nam 1 Jo. 4. 6. *qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognovimus Spiritum veritatis, et Spiritum erroris.* Respond. 2. singillatim ad objecta loca. Verborum Christi Jo. 1. sensus est, quod certa inveniendae veritatis via sit sincera voluntas cognoscendi, et observandi Dei mandata; pravus enim animi affectus judicium hominis ità corrumpit, ut verba Dei non solum non intelligat, sed ne aure quidem excipiat, neque auctoritate commoveatur loquentis, licet miraculis, et omnis generis testimoniis comprobata, ut demonstrat Haereticorum, et malorum Hominum in repellenda veritate pertinacia.

Si Jesus *Jo.* 10. de ovibus suis ait, quod vocem ejus audiant, alienum non sequantur, nihil ait, quod Ecclesiae auctoritatem impugnet, nam illi certi alieni non sunt, qui non suas, sed Christi oves pascunt, easque non ad aliena, sed ad Christi pascua ducunt.

Joannes in 3. Textu non loquitur cum imperitis, sed cum doctis, inprimisque cum Magistris Ecclesiae, eosque hortatur, ut in fide stabiles permaneant, quam Spiritu S. moti, et illustrati laeto corde susceperunt. Sit et alter locus S. Joannis, et allata Apostoli testimonia, aliaque, quae afferri possint, interpretanda sunt. Agitur in iis locis de interna animi dispositione, quae utique necessaria est, ut veritas in corde radices agat, et fructus afferat bonorum operum.]

R. 3. Judex de vero sensu Scripturae est Ecclesia: quia, ut infra probabimus, est infalibilis tam in proponendis Scripturis Canonicis, quam in judicando de vero earum sensu. De hac responsione fusius Dissert. subsequenti.

Petes 9. An non sint quaedam regulae ad dignoscendum sensum litteralem Scripturae?

R. communiter assignari sequentes. Prima: sensus, quem verba in propria significatione accepta important, si non sit absurdus, nec dogmatibus fidei, aut morum honestati repugnans, est sensus litteralis. Colligitur ex Augustino l. 3. Doctrinae Christ. cap. 10., et ex l. 8. de Genesi ad litt. cap. 7.

Secunda: sensus litteralis est, quem Ecclesia, vel unanimis Patrum consensus habet pro litterali: ex Concil. Trid. sess. 4. cap. 2.

[Quamvis haec Regula tutissima sit, et ab ipso Concilio Tridentino praescripta, cum saepe eveniat Textum Scripturae obscurum, vel ambiguum, nondum esse ab Ecclesia ad certum sensum determinatum, aliae a Theologis ad eum dignoscendum Regulae traduntur.

1. Est collatio Scripturae cum loco, tempore, et scopo Personae scribentis Sic legitur Jerem: 1. v. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* respectu autem Judaeae Chaldaea erat Aquilonaris. Sic etiam multa libri sacri enuntiant in Persona impiorum, vel ignorantium, quae neque divinitus inspirata, neque in se vera sunt. Ut in Persona Epicureorum Job. 22. *Quid enim novit Deus . . . . nostra non considerat etc.*

2. Collatio Scripturae cum scriptura, Textus cum Textu , antecedentium cum consequentibus ex S. Augustino De Doctr. Christ. l. 2. c. 6. *Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur , quod non plenissime dictum alibi reperiatur.*

3. Quaedam locutiones non sunt cum omni proprietate intelligendae ex S. August, in Enchirid. c. 33. „ Cum Deus irasci dicitur , non ejus significatur pertur- „ batio , qualis est in Animo irascentis hominis , sed ex humanis motibus transla- „ to vocabulo , vindicta ejus , quae nonnisi justa esse potest, irae nomen accepit „ Illae itaque Scripturae phrases, quae Deo tribuunt affectus, qui nullam in suo conceptu imperfectionem involvunt, (etsi habeant in Creaturis) possunt seclusa imperfectione proprie accipi ; aliae vero, quarum conceptus ab imperfectione depurari nequit, nonisi metaphorice sunt intelligendae , qualis est superius expressa.

4. Notandi sunt Hebraismi , seu formulae loquendi consuetae apud Hebraeos, quibus frequenter utuntur Scriptores Sacri. Sic nomine *fratris* (teste S. Hieronymo (non tantum intelligitur frater *natura* , sed etiam *cognatione* , *gente* , *vel affectu.* Unde Christi Consanguinei *fratres* sunt nuncupati.

5. Diligenter observandum est, qua ratione Scripturarum propositiones sint interpungendae. Sic Ariani ut verbi divinitatem impugnarent , et clarissima S. Joannis verba - *Deus erat Verbum* . Catholicis eriperent , inter *erat* et τὸ *Verbum*, inserebant punctum , hoc modo illam sententiam afferentes - *In principio erat Verbum* , et *Verbum erat apud Deum* , *et Deus erat. Verbum hoc erat apud Deum.*

Pro sensu allegorico, haec tradit S. August. in Psalm. 8. n. 13. *In omni allegoria , haec regula retinenda est, ut pro sententia praesentis loci consideretur, quod per simitudinem dicitur* - Porro in similitudinibus non est semper requirenda aequalitas, uti neque in Parabolis exactissima similitudo , sicut patet ex Parabola Villici iniquitatis , et aliis pluribus

Plura addi possent de ratione legitime argumentandi ex Scripturis , brevitatis tamen studio, sequentes tantum regulae ad Tyronum instructionem proponuntur.

Regula 1. Cum Scriptura sacra, velut infallibile Dei verbum, per Ecclesiam in fallibilem nobis manifestatum , sit certa credendi , et vivendi Regula , ita ipsius auctoritas , ex divina origine fluens, omnium suprema est, ac irrefragabilis ad arguendum adversus eos, qui illam admittunt, vel, quia sufficienter ipsis proposita est ejus Authentia, tenentur admittere . Hanc generalem regulam indicat Apostolus dicens . „ Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, „ ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne „ opus bonum instructus „ 1. Tim. 3. Quia tamen ad Ecclesiam pertinet determinare, quaenam sint Scripturae divinitus inspiratae , earumque sensus difficiles, et obscuros exponere , hinc aliis etiam particularibus regulis Theologo opus est, quae sunt sequentes .

Regula 2. Ut argumentatio sit efficax ab iis solis libris desumenda sunt argumenta , quos Ecclesia indubitanter pro canonicis agnoscit. Hinc *libri Apocryphi* ut 3. et 4. Esdrae, et 3. et 4. Machabaeorum (qui tamen a quibusdam Patribus olim pro canonicis habiti sunt) non exhibent infallibile argumentum , sed majoris , vel minoris ponderis, prout ex plurium, vel pauciorum judicio , majore pollent auctoritate ; et ex eo quod plura , vel pauciora divinae originis praeseferant argumenta . Libri vero ab Ecclesia pro *suppositis* habiti, nullum Theologo suppeditant argumentum, ut Evangelia Thomae, et Bartholomaei, Epistola Pauli ad Laodicenses etc.

Regula 3. *Vulgata* nostra firmam Theologo exhibet argumenti sedem, non solum prae aliis *latinis Editionibus*, sed etiam prae modernis fontibus *Graecis, et Hebraicis*, maxime vero prae *vernaculis* , nam illam solum *Authenticam* declaravit Ecclesia . Ex *Hebraicis* tamen , et *Graecis* fontibus , ad quos provocant novatores, solidum contra ipsos argumentum depromi potest in iis , in quibus sunt

Vulgatae conformes, et illi a Nobis dissentiunt, ut magis redarguantur armis, eadem ex officina depromptis, a qua sua contra Nos depromunt. Idem usus fieri potest de *Vernaculis*, quas novatores venerantur, si illae in quibus isti a Nobis dissident, Nobis assentiantur.

Regula 4. Ex textu Scripturae genuino, integre, fideliterque prolato, acceptoque in sensu litterali proprio (nisi aliud suadeat necessitas) firmum, et efficax argumentum theologicum semper eruitur ad probandum veritatem, quae in illo dilucide continetur, vel cum qua liquido connectitur. Sensus enim litteralis est sensus Spiritus S., seu ab ipso per ista verba intentus.

Regula 5. In sensibus obscurioribus recurrendum est ad Ecclesiae expositionem, vel Sanctorum Patrum unanimem interpretationem. Alterutra vero supposita, firmum ducetur argumentum ex tali textu, secundum illam expositionem intellecto. Si vero Ecclesia sensum textus non definierit, Patresque circa illum divisi sint, nonnisi probabile, vel probabilius trahetur argumentum ex tali textu secundum sensum, ab alterutris expositum pro majori, vel minori illorum numero, vel pondere.

Regula 6. Sensus figuratus, et mysticus, ex quo quandoque Christus, et Apostoli argumentati sunt, potest firmum, et efficax argumentum praebere, si constet a Spiritu S. determinate fuisse intentum, quod innotescere potest ex eo, quod vel sit expresse revelatus in aliis Scripturae locis, vel infallibili Ecclesiae judicio, vel communi SS. Patrum suffragio determinatus.

Regula 7. Sensus *accommodatitius*, licet non sit contemnendus, cum ab Ecclesia, et Patribus usurpetur, est utilis quidem ad illustrandas Conciones, et morales ad Populum sermones; Theologo tamen nunquam praebet argumentum firmum, et irrefragabile ad Fidei veritates stabiliendas, vel tuendas contra impugnantes; non enim est sensus a Spiritu S. cum litterali Nobis consignatus, nec ab Ecclesia velut talis Nobis declaratus.]

DISSERTATIO II.

De Traditionibus.

Articulus I.

Quid, et quotuplex sit Traditio, et quantae auctoritatis?

Traditio ut sic est doctrina ab uno alteri scripto, vel voce communicata: unde Apost. 2. Thess. 2. *Tenete*, inquit, traditiones *quas didicistis sive per Sermonem, sive per Epistolam*: specifice autem sumpta, prout distinguitur a Scriptura, est doctrina ab uno alteri viva voce communicata, et de illa hic agitur, quatenus spectat fidem, et mores fidelium: unde

Dico 1. Traditio definiri potest; *Doctrina ad fidem, et mores christianos pertinens, viva voce a suo auctore communicata*. Dicitur, *a suo auctore*, quia non obstat traditioni, si semel a suo auctore sola voce communicata, postea ab aliis scripto mandetur: hujusmodi sunt baptismus parvulorum, perpetua virginitas B. Mariae, jejunium quadragesimale, celebratio festorum Paschae, et Pentecostes, et plura alia.

Dico 2. Traditio ex parte originis dividitur in divinam, apostolicam, et ecclesiasticam. Divina est, quae a Deo Patriarchis, vel a Christo Discipulis, vel ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, viva voce ad posteros communicata est. Apostolica est, quam Apostoli auctoritate apostolica, tamquam Ecclesiae Praefecti, instituerunt. Ecclesiastica est, quam Concilia, aut summi Pontifices, aut SS. Patres introduxerunt.

Ratione materiae traditio dividitur in dogmaticam , et moralem , seu ritualem. Prima versatur circa dogmata , ut Patrem esse ingenitum, esse quatuor Evangelia, B. Mariam fuisse ante, et post partum Virginem,etc. Secunda spectat mores, ut observandum esse jejunium quadragesimale ; celebrandum festum Paschae. Ratione temporis dividitur in temporalem , quae ad tempus tantum fuit instituta , ut abstinentia a suffocato, et sanguine, trina immersio in Baptismo ; et in perpetuam , quae instituta est, ut perpetuo duratura , ut Baptismus parvulorum , validitas Baptismi ab Haereticis collati .

Dico 3. Traditio divina est infallibilis auctoritatis et fidei regula: quia est verbum Dei , non minus quam Scriptura sacra ; Scriptura sacra autem non est infallibilis auctoritatis, et fidei regula , quia est scripta , sed quia est Verbum Dei : unde Trid. sess. 4. cap. 1. declarat se *pari affectu, et reverentia suscipere, ac venerari traditiones divinas, ac Scripturam sacram*. Ex quo colliges ex traditione divina firmum, et efficax posse formari argumentum, sicut ex Scriptura divina.

Traditio Apostolica tantae est auctoritatis, quantae sunt decreta apostolica. Traditionis vero ecclesiasticae ea est auctoritas , quae est legum ecclesiasticarum : unde traditiones apostolicae, et ecclesiasticae patiuntur dispensationem , derogationem , et abrogationem .

[Quaedam addenda sunt de ratione legitime argumentandi ex S. Traditione. Primo ex Traditione pure apostolica, item mere Ecclesiastica universali, et perpetua idoneum , firmumque depromi argumentum ad varia religionis nostrae capita , cum stabilienda , tum contra repugnantes defendenda. Has enim doctrinas Apostoli, eorumque successores primarii Ecclesiae Praesides, assistente Spiritu S. fidelibus tradiderunt , et ad easdem traditiones SS. Patres, et ipsa Ecclesia non raro provocant. Ex hoc principio catholici rite argumentantur contra sectarios, servandum esse solemne quadragesimae , et quatuor temporum jejunium , certos dies festos solemni ritu celebrandos , aliaque plura hujusmodi , quae universa observat Ecclesia.

2. Neque ex aliquot dumtaxat Patrum , traditionem praecipue particularem allegantium , testimonio, firmum peti argumentum , ad asserendum ; neque ex aliquorum , vel etiam complurium , traditionem aliquam universalem inficiantium , aut in dubium vocantium placito , ad negandam talem Traditionem esse reipsa divinam , apostolicam , aut ecclesiasticam . Sic S. Cyprianus , et qui ei adhaerebant frustra opponebant consuetudinem propriae Ecclesiae de iterando baptismo ab Haereticis collato; Et quamvis ipsi veram traditionem, a S. Stephano allatam de valore ejusmodi Baptismi non agnoscerent , inde tamen minime licet hanc Traditionem inficiari , aut in dubium revocare.

Addendum est 3. neque ex *traditione particulari* unius ecclesiae , neque *ex temporanea* , licet ab Apostolis specialibus de causis introducta , et ab universali etiam Ecclesia ad tempus observata , legitimum formari argumentum ad extendendam *priorem* ad alias Ecclesias particulares, vel *posteriorem* ad omnia tempora etiam moderna. Hinc merito esploduntur illi Novatores , qui ex antiqua traditione contendunt , S. Eucharistiam sub utraque specie ab ipsis etiam Laicis hodie esse sumendam ; Atque etiam alii rigidioris in speciem Ethicae Buccinatores, atque pristinae , ut ajunt, disciplinae instauratores , nostraeque aetatis reformatores , qui clamitant in Ecclesiam revocandos esse severos illos poenitentiae publicae ritus , et Canones, qui totis fere 12. Soeculis viguerat aucto licet, aut imminuto illorum rigore , prout tempora , adjunctaque alia exigebant.]

Petes , quae sit regula dignoscendi traditionem in communi , deinde dignoscendi esse divinam ?

R. 1. Regula dignoscendi traditionem in communi ea est , quam statuit Aug. l. 4. contra Donat. c. 24. Quod universa tenet Ecclesia , nec Conciliis institutum est , sed semper retentum , non nisi apostolica auctoritate traditum certissime creditur .

R. 2. Regula dignoscendi traditionem divinam, prout ab apostolica distinguitur, est: si Ecclesia tenet aliquid tamquam de fide, aut aliquid, quod non nisi a Deo potest institui, esse servandum, est traditio divina, nobis per Apostolos transmissa. Ratio est: quia Ecclesia errare non potest: ergo quod dicit esse de fide, aut esse servandum, ita est. Subsumo: atqui nihil est de fide, nisi sit a Deo immediate traditum; neque id quod a solo Deo potest institui, vere dicitur servandum, si a Deo non sit institutum: ergo. Sic sunt traditionis divinae baptismus parvulorum, validitas baptismi Haereticorum, perpetua Virginitas B. Mariae, tria Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem esse initerabilia, etc.

Dixi: *Per Apostolos nobis transmissa*; quia Ecclesia post tempora Apostolorum non habet novas revelationes, sed omnia fide tenenda, revelata sunt Apostolis a Deo, sive per Christum loquentem, sive per Spiritum Sanctum dictantem, et docentem omnia juxta promissiones ipsi factas a Christo, Joan. 14. et 16. Quando ergo Ecclesia definit aliquid a Deo traditum, et fide divina credendum, non condit novum articulum fidei, id enim jam erat de fide, etsi non explicita, Apostolis revelatum; sed declarat, quod id, quod non noscebatur esse fidei, ita nunc esse habendum; ut jam alibi observavimus.

Altera regula dignoscendi traditionem divinam, est: quando Patres priorum saeculorum tenent unanimiter tamquam de fide aliquid non scriptum, et oppositum damnant ut haereticum, est traditio divina.

Quaestio nunc potissimum est de traditionibus divinis, quas non esse admittendas contendunt hodierni Haeretici,

Articulus II.

Utrum Traditiones divinae sint necessario admittendae?

Dico. Praeter Scripturam sacram necessario sunt admittendae traditiones divinae.

Prob. 1. ex Scriptura. Apost. 2. Thessal. 2. dicit: *State et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam*, id est sive voce, sive scripto: et loquitur de traditionibus divinis, et ad fidem pertinentibus, quia hortatur ibi Thessalonicenses, ut permaneant in fide.

Unde Chrysostomus ad haec verba ait „ Hinc patet, quod non omnia per Epi„ stolam tradiderunt (Apostoli), sed multa etiam sine litteris, eadem vero fide di„ gna sunt tam illa, quam ista. Itaque traditionem quoque Ecclesiae fide dignam „ putamus. Traditio est, nihil quaeras amplius.„ Idem Apost. 2. ad Timot. 1. *Formam habe* (inquit) *sanctorum verborum, quae a me audisti.* In quae verba Chrysost. citatus iterum ait. " Non modo per litteras sed etiam verbis discipulo, quae erant „ agenda dictavit, quod pluribus, et aliis in locis ostendit dicens 2. Thess. 2. Sive „ per verbum, sive per Epistolam, quasi per nos missam. Item cap. 2. Tu ergo „ fili mi confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a Me per „ multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, et alios do„ cere.„ Haec autem verba, *quae a me audisti per multos testes* aperte indicant Apostolum loqui de traditis voce, non scripto.

Probatur 2. Multa sunt fide divina credenda, quae et ipsi Haeretici credunt, quae tamen non continentur expresse in Scriptura, sed sola traditione tenentur, ut quod Pater sit ingenitus, quod parvuli sint baptizandi, quod baptizati ab Haereticis non sint rebaptizandi, quod Dei-para ante et post partum manserit virgo, quod sint quatuor Evangelia, et non plura, etc. Haec, inquam, et multa alia fide divina creduntur in Ecclesia, haec ipsi Haeretici credunt, et tamen non continentur in Scriptura, sed ex sola traditione habentur, imo ipsorum principium, quod firmissime credunt, *nihil esse recipiendum, nisi in Scriptura expressum*, non invenitur in Scriptura: ergo velint, nolint, traditiones admittere coguntur.

Prob. 3. Ecclesia aliquando stetit sine scriptura solis traditionibus: ergo traditiones non sunt rejiciendae. Prob. Ant. Tempore legis naturae ab Adamo usque ad Moysen nulla fuit scriptura, sed ex sola traditione habebatur fides de creatione mundi, de futura vita, de remedio peccati originalis, de cultu Dei etc. Tempore legis scriptae a Moyse ad Christum, licet plura fuerint scripta, erat tamen sola traditio de remedio peccati originalis pro foeminis, de divinitate librorum canonicorum, et de multis aliis. In nova autem lege antequam Apostoli, et Evangelistae post Ascensionem Christi scriberent aliquid, stetit Ecclesia, et fides Christi solis traditionibus. Ergo.

Confirmatur. Unde sciunt Haeretici Scripturam, quam tantopere commendant, esse sacram, et divinam? non ex ipsa Scriptura, id namque non dicit, et si diceret, non magis teneremur illi credere quoad hoc, quam quoad alia, nisi prius aliunde nobis constaret, quod sit divina; non est enim infallibilis, nisi quia divina: ut ergo illi asserenti se esse divinam, credam, debet mihi prius aliunde constare, quod sit divina, alioquin omni libro asserenti se esse a Deo, etiam ipsi Alcorano, tenerer credere ut Scripturae divinae: ex sola ergo traditione, habetur, quod haec, et non alia Scriptura sit sacra, et divina.

Obj: traditiones reprobantur in scripturis. Ergo. Prob. ant. 1. Deut. 4. dicitur *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* 2. Apocal. ultimo *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas.* 3. ad Galatas 1. *Licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 4. Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum meum propter traditionem vestram*, ergo. R. N. Ant. Ad primum Moyses prohibet aliquid addi verbo Dei, quod loquitur, prava interpretatione, illud corrumpendo, alterando, impugnando. Non autem prohibet addere aliud verbum Dei, sive scriptum, sive traditum, alioquin rejiciendi forent omnes libri canonici scripti post Deuteronomium. Ad 2. eadem est responsio, vel dicendum S. Joannem prohibere, nequid addatur Apocalypsi, quasi esset pars illius, sicut enim noluit rejicere omne aliud Verbum scriptum praeter Apocalypsim, ita nec traditum. Ad 3. *τὸ praeter* in verbis Apostoli sumitur pro contra, ut illud ejusdem Apostoli Rom. cap. ultimo: Observate eos, qui *dissensiones, et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt*, idest contra doctrinam. Et patet, tum quia Apostolus ibi reprehendit Galatas, quod se abduci permiserant per falsos Apostolos a veritate, quam illis annuntiaverat, tum quia alioquin damnaret, quae ipsemet alibi, et postea scripsit; item Evangelium, et Apocalypsim S. Joannis, quae post Epistolam ad Galatas scripta sunt. Observat autem Chrysostomus, Apostolum ex industria dixisse *praeter*, et non *contra*, ut perstringeret non solum eos, qui aperte, sed etiam qui occulte docent aliquid contrarium praedicationi Evangelii, quo licet non totum subvertitur Evangelium, ex parte tamen, et secundum quid labefactatur. Et ita intelligendus est Theophylactus, dum dicit *neque etiam si praedicaverint contraria intulit Apostolus, sed si predicaverint aliquid praeter id, quod praedicavimus*, quod scilicet labefactetur minima pars doctrinae, quam praedicavimus. Idque eo verius est, quod Theophylactus commentaria Chrysostomi pene de verbo ad Verbum exscribat, Chrysostomus autem praeter id quod diximus ex ipso, eamdem explicationem habet *hom. 3. in Epist. ad Galat.*

Obj. 2. Sufficit scriptura. Ergo inutiles sunt traditiones. Pr. Ant. Apostolus 2. Timoth. 3. dicit *Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, quae est in Christo Jesu. Omnis doctrina inspirata utilis est ad docendum . . . ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus Jo.* 20 *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectu Discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc, haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei, et ut credentes habeatis vitam in nomine ipsius.* Ergo. R. N. Ant. Ad 1. Litterae, quas Timotheus didicerat ab infantia, erant litterae vete-

ris testamenti, tunc enim novum nondum erat scriptum, poterant autem litterae veteris testamenti instruere Timotheum initiative, non consummative. Addit Apostolus, omnem doctrinam divinitus inspiratam esse utilem, ut perfectus sit homo Dei, at non dicit esse sufficientem; sic pietas est utilis, ut homo sit perfectus Pastor in Regimine Ecclesiae, at non sufficit. Ad 2. Evangelista loquitur non de sufficientia Doctrinae, sed miraculorum, quae Christus fecerat, quae sat numerosa erant ad persuadendum hominibus, Christum esse Filium Dei; ita etiam intelligendi sunt S. Augustinus, et S. Cyrillus in hunc locum.

Obj. 3. Ex Patribus 1. Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum contra hanc sententiam Stephani. *Nihil innovetur nisi quod traditum est* (dicit) *Unde ista Traditio? Ea servanda esse quae scripta sunt, Deus testatur.* Ergo. R. Cyprianum traditionem de non rebaptizandis Haereticis rejecisse, quia illam commentitiam existimabat, in quo erravit, non vero alias, quas legitimas putavit.

2. S. Heronymus in cap. 24 Matth. dicit: *Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Ergo R. Hieronymum ibi loqui de singulari facto, hoc scilicet, Zachariam filium Barachiae, occisum inter templum, et altare, esse Zachariam Patrem Joannis Baptistae, quod aliqui ex quibusdam Apocryphorum somniis affirmabant. Unde non legitimas Traditiones, sed apocrypha scripta hic refellit Hieronymus.

Idem in cap. 1. Epist. ad Titum dicit: *Sine scripturarum auctoritate garrulitas non haberet Fidem.* Ergo. R. Hieronymum ibi arguere garrulos subversores, qui perversam Doctrinam *etiam divinis testimoniis roborare* nituntur, sine quibus nullam haberent Fidem apud audientes. Quid hoc ad Traditiones?

Idem in 1. cap. Aggaei habet: *Quae absque auctoritate, et testimoniis scripturarum, quasi traditione apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.* Ergo. R. Ibi Hieronymum rejicere traditiones fictas, ut aperte significant haec verba *sponte reperiunt, atque confingunt.*

Idem in cap. 1. Micheae dicit: *Ecclesia Christi . . . non est egressa de finibus suis, idest de Scripturis SS.* Ergo. R. Ecclesiam non exire de finibus, cum admittit traditiones, quia Scripturae commendant traditionum auctoritatem. Insuper agit ibi Hieronymus contra Haereticos, qui perversis interpretationibus scripturas corrumpentes, *domum suam* non in scripturis, sed vicinia scripturarum construunt.

3. Objicit Rivetus plura ex Cathechesibus S. Cyrilli, quae probant tantum, nihil esse tradendum de praecipuis mysteriis Fidei, quae continentur in symbolo, nisi quod legitur in Scripturis. At non negat Cyrillus esse necessariam traditionem ad ipsas Scripturas cognoscendas, et intelligendas, atque ad probanda Dogmata, quae licet non sint praecipua, nec in Symbolo contineantur, pertinent tamen ad Fidem. Hic quoad Patres sisto, ne sim taediosus, sed ex dictis collige Regulas sequentes ad aliorum intelligentiam et solutionem

1. Quando patres dicunt Scripturam sufficere, omnia contineri in Scripturis, et similia, vel loquuntur in subjecta materia quam tractant, aut de qua disputant contra Haereticos, vel intelligunt omnia promiscue, et explicite credenda necessario ab omnibus Fidelibus, ut sunt praecipua mysteria fidei, Trinitas, Incarnatio etc. non vero omnia omnino, quae pertinent ad Fidem Ecclesiae, et ab ejus Rectoribus, et Doctoribus explicite creduntur, ut hos libros esse canonicos, Patrem vocari ingenitum. Baptisma haereticorum esse validum etc.; vel Scripturam sumunt late pro omni Verbo Dei, sive scripto, sive tradito. 2. Patres commendando necessitatem, et sufficientiam Scripturae, non ideo excludunt Traditiones, quin potius illas adstruunt, si quidem ipsa Scriptura earum necessitatem asserat. 3. Quando SS. Patres videntur rejicere Traditiones, intelligendi sunt de traditionibus falsis, apocryphis, humanis, rejectis, vel non receptis ab Ecclesia:

Obj. 4. Quod est mutationi obnoxium non potest esse Fidei Regula; Atqui traditiones sunt mutationi obnoxiae. Ergo. Prob. Min. Traditiones de melle, et

lacte Baptizatis porrectis, de trina immersione in Baptismo, de Eucharistia in privatis Domibus sumpta, de usu Calicis, sunt jam antiquatae, item de Millenario Christi Regno, et de maculata Conceptione B. Virginis. Ergo. R. Traditiones primo loco assignatas non spectare fidem, sed disciplinam, et ritum tantum, ideoque subjacere correptioni, et dispensationi Ecclesiae. Quantum ad Millenarium Christi Regnum, et Conceptionem maculatam B. Virginis, numquam de iis habita fuit Traditio divina, et apostolica, quia de neutro fuit constans, et certa omnium, aut fere omnium sententia, neque ut talem unquam agnovit Ecclesia, cujus partes sunt Traditiones veras a falsis, sicut Scripturam veram a falsa discernere. Adde immaculatam Conceptionem B. Virginis non haberi ab Ecclesia ut Dogma Fidei, sed ut piam sententiam.

Obj. 5. Non est ratio, cur Sacri Scriptores non omnia scripserint, aut unum potius, quam aliud scripserint Ergo. R. N. Ant. Scriptores enim sacri non intenderunt componere summam integram totius Doctrinae christianae, sed pro diversitate occasionum tradere diversa Dogmata, et praecepta. Insuper non conveniebat, omnia Fidei mysteria scripto tradere, ne ab Ethnicis irriderentur, aut a vulgo contemnerentur. Tandem quaecumque scripsissent Apostoli, semper erat necessaria Traditio, ut eorum scripta pro divinis agnoscerentur.

Inst. Traditio non est necessaria, ut Scriptura pro sacra, et divina dignoscatur. Ergo. Prob.Ant.Sufficit declaratio infallibilis Ecclesiae.Ergo.R.N.Ant.ad probat.N.Consequ. Quia cum Ecclesia non habeat novas revelationes, non declarat infallibiliter aliquam Scripturam esse divinam, nisi ex priori revelatione, quae est ipsa Traditio.

Inst. 2. Ecclesia declarat infallibiliter, Traditionem esse divinam absque alia Traditione, alias iretur in infinitum. Ergo. R. N. Consequ. Quia cum Traditio (ut dixi) sit ipsa revelatio, est ipsum principium in rebus Fidei. Unde non solum rem revelatam, sed etiam seipsam, et suum Auctorem manifestat, manifestando principiatum, sicut lux seipsam manifestat, manifestando colores. At scriptura cum se habeat tantum ut secundum principium, res quidem contentas manifestat, sed non suum auctorem. Patet in humanis. Si quis viva voce aliquid declaret, haec declaratio et se, et suum Auctorem manifestat; sed si scribat, scriptura rem scriptam manifestat, sed non suum Auctorem.Unde ut dignoscatur Auctor, debet ipse comparere, et declarare, hanc esse suam scripturam, et signaturam, quae declaratio non indiget alia declaratione,

[Recensentur plura Fidei, morumque Dogmata, et Disciplinae Statuta, quae ex fonte Traditionis seu Divinae, seu Apostolicae, seu Ecclesiasticae dimanant.

Ex traditione Divina, vel Divino-Apostolica descendit 1. Dogma pragmaticum, et fundamentale religionis christianae de Extantia, Numero, Authentia, et genuino sensu librorum Canonicorum; Cum enim de illis constare Nobis non possit nisi ex declaratione Ecclesiae, haec vero cum novos Fidei Articulos non condat, sed a Verbo Dei dumtaxat eruat; quaenam autem sit genuina scriptura, et quis ejus sensus ex Verbo Dei scripto, seu ex ipsis S. Scripturis eruere non possit, restat ut id eruat ex verbo Dei tradito.

2. Ex eodem fonte ad Nos derivatur septenarius Numerus Sacramentorum novae legis, quem in Fidei formula a Tridentino praescripta, profitemur, nec non eorum materiae, et formae prout a Christo sunt determinatae, ritusque substantiales eorundem.

3. Consuetudinem ministrandi Baptismum etiam parvulis esse traditionem Apostolicam diserte attestatur S. Augustinus lib. 10 de Gen. ad Lit. c. 23, idemque laudatus S. Doctor asserit de consuetudine non rebaptizandi illos, qui ab Haereticis baptizati fuere.

4. Mixtionem aquae in sacro Calice ex traditione Divina profluere docet S. Cyprianus L. 2, Ep. 3. Denique ex eadem Traditione didicimus Descensum Christi ad Inferos, perpetuam Deiparae Virginitatem;ex S. Hieronymo, qui contrariam Dogma numerat inter Haereses etc.

Ex traditione pure *Apostolica* habemus inter alia Ritus quosdam in sacramentorum usu minus essentiales, uti sunt in Baptismo Confessio Fidei, Abrenunciatio Satanae, Exorcismi, et aliae Caeremoniae adhiberi solitae.

Inde praeterea manat quatuor Temporum, et Quadragesimalis Jejunii institutio, quod semper fuit servatum in Ecclesia, teste S. Ignatio Martyre apud Eusebium Hist. Eccles. l. 5. c. 24. Rursum diei Dominicae loco Sabbati substitutio, observatio Festorum Resurrectionis Christi, ejusque in Coelos Ascensus, ac Descensus S. Spiritus ex S. August. Epist. 118. etc.

Ex traditione tandem *Ecclesiastica* profluit 1. Solemnitas, et observatio certorum Festorum, post Apostolorum ex hac vita discessum celebrari coeptorum. 2. Servanda certis anni diebus abstinentia a Carnibus, 3. Ritus quidam accidentales in Sacramentorum usu praecipue solemni. 4. Juxta Du-Plessis Coelibatus Clericorum, qui majoribus in ordinibus sunt constituti. 5. Pia Crucis formandae consuetudo, antiquus Aquae lustralis, Cinerum, Candelarum, Palmarum benedictarum usus, quem tamen nonnulli referre malunt ad Traditionem mere Apostolicam.

Observandum est inter has, et similes Traditiones, omnes, quae sunt Divinae, vel Divino-Apostolicae, esse universales, et perpetuas. Traditiones vero pure Apostolicas, et mere Ecclesiasticas, esse quandoque particulares, et si universales aliquando fuerint, solum temporaneas. Sic particularis Traditio morem induxerat Romae jejunandi die sabbati. Temporaneae vero traditiones fuere. 1. De Abstinentia a suffocato, et sanguine 2. Agapae, seu communes Coenae ad Charitatem fovendam institutae. 3 Trina mersio in Baptismate 4. Communio quotidiana Laicorum, vel eorumdem sub utraque specie, et alia plura, quae sic primitus erant instituta, ut exigentibus rerum, Personarum, temporum circumstantiis mutari, vel abrogari possent ab Ecclesia]

DISSERTATIO III.

De Ecclesia

Articulus I.

Quid sit Ecclesia, et qui sint in ea?

Ecclesia est vox graeca ἐκκλησία, latine *Evocatio*. Hoc de Etymologia nominis, quantum autem ad ejus significationem Ecclesia generalissime sumpta significat quemcunque coetum, seu congregationem, sive civilem, ut Ps. 106. *Exaltent eum in Ecclesia Plebis*, sive malam ut Ps. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium*, sive bonam, ut ad Roman. 16. *Salutant vos Ecclesiae Christi.* Communi vero Scripturarum, et SS. Patrum usu Ecclesia sumitur in bonam partem pro Ecclesia Christi.

Observandum hic 1. quod hoc vocabulum Synagoga significabat apud Judaeos, quod apud Nos significat Ecclesia cum hoc discrimine, quod Ecclesia sit Congregatio filiorum per gratiam, Synagoga Congregatio Servorum per timorem. Observandum 2. quod per Metonymiam sumendo continens pro contento, Ecclesia etiam significet locum, in quem Religionis causa conveniunt Fideles, et eodem sensu locus, in quo conveniebant Judaei, dicebatur Synagoga.

Dico 1. Ecclesia Christi generaliter sumpta, secundum omnem statum, et tempus *Est Congregatio fidelium in vero Dei cultu adunatorum, sub Christo capite*: et sic comprehendit fideles veteris Testamenti, non solum eos, qui pertinebant ad synagogam, scilicet Judaeos, sed etiam alios fideles extra Synagogam, quales erant Job, Melchisedech, etc. Item comprehendit Beatos, etiam Angelos in Coelo, animas patientes in Purgatorio, et fideles viatores. In Beatis dicitur Ecclesia triumphans, in Animabus Purgatorii Ecclesia patiens, in Viatoribus Ecclesia militans;

non quod sint diversae Ecclesiae, sed diversae partes, seu diversi status, ejusdem Ecclesiae.

Nec obstat, quod tempore veteris Testamenti Christus nondum venerat; fideles enim veteris Testamenti credebant Christum venturum, et intuitu ejus meritorum futurorum salutem consecuti sunt. Et ideo Christus erat illorum caput.

Dico 2. Ecclesia Christi militans est *Societas fidelium baptizatorum ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum participatione, eodem cultu inter se adunatorum, sub uno capite Christo in coelis, et sub ejus in terris Vicario Summo Pontifice.* Haec definitio communiter recipitur.

Dico 3. Nec omnes, nec soli praedestinati sunt in Ecclesia.

Prima pars patet. Non enim Paulus, dum Ecclesiam persequebatur, erat in Ecclesia, et tamen erat praedestinatus: idem dic de pluribus Judaeis, et Ethnicis.

Prob. secunda pars. 1. Christus Matth. 3. comparat Ecclesiam Areae, in qua sunt triticum, et paleae igne inextinguibili comburendae. Ibidem 13. Sagenae missae in mare ex omni genere piscium congreganti, in qua non solum boni continentur, sed etiam mali ejiciendi. Ibidem 22. Convivio nuptiali, in quod intrant, qui non habent vestem nuptialem, et ideo mittendi in tenebras exteriores. Apostolus comparat magnae domui, in qua sunt vasa, alia ad honorem, alia in contumeliam; atqui certum est praedestinatos non esse comburendos igne inextinguibili, non esse ejiciendos, non mittendos in tenebras exteriores, nec esse vasa in contumeliam: ergo non soli praedestinati sunt in Ecclesia.

2. Hi omnes sunt in Ecclesia, qui illam per sacramentum fidei, hoc est baptismum, sunt ingressi: atqui non soli praedestinati sunt baptizati: ergo.

3. Cum praedestinatio nemini sit cognita, si Ecclesia solis praedestinatis constaret, Ecclesia foret invisibilis, cujus oppositum infra probabimus, neque pastores agnoscere possent suas oves, neque oves suum pastorem.

Dico 4. Non soli justi, sed peccatores etiam manifesti sunt in Ecclesia.

Prob. 1. ex tribus comparationibus areae, sagenae, et convivii, de quibus conclusione praecedenti: pariter enim probant de peccatoribus.

2. Christus Matth. 18. praecipit, ut peccator privatim correptus, et non emendatus denuntietur Ecclesiae, quam si non audierit, ab ea ejiciatur: ergo supponit peccatores in Ecclesia: 1. Cor. 5. in Ecclesia Corinthiorum invenitur incestuosus.

3. Christus instituit in Ecclesia Sacramentum Poenitentiae, quo peccatores resurgerent, et sanarentur: ergo supponit esse in Ecclesia peccatores, alioquin frustra esset illud Sacramentum.

4. Ecclesia est societas fidelium baptizatorum in eadem fide, sub eodem capite ordinata; atqui peccatores, qui nec sunt Haeretici, nec Schismatici, nec excommunicati, sunt fideles baptizati, in eadem fide, sub eodem capite ordinati: ergo.

Eamdem doctrinam tradunt SS. PP. Chrysostomus in Psal. 39., Hieron. contra Lucif. c. 8. Aug. in pluribus locis, expresse Tract. 6. in Joan., ubi dicit: *Nos fatemur in Ecclesia bonos, et malos esse, sed tamquam granum, et paleam.*

Dices 1 Multi Patres, Cyprian. Epist. ad Magnum, Hieron. ad Ephes. 5. Aug. l. 1. contra Petil. cap, ultimo et alibi, dicunt malos non esse membra Ecclesiae, nec ad Ecclesiam pertinere: ergo.

R. Laudatos Patres vel loqui de perfectis membris Ecclesiae, quae vivunt vita perfecta per charitatem; vel malorum nomine intelligere infideles; vel sumere Ecclesiam restricto sensu, prout est congregatio nobiliorum membrorum, seu solum justorum.

Dices 2. Peccatores pertinent ad civitatem Babylonicam, juxta Aug. Ergo non ad mysticam Jerusalem, scilicet Ecclesiam.

R. D. conseq. Ergo non ad mysticam Jerusalem sub eadem ratione, C. sub diversa ratione, N. Pertinent ad civitatem Babylonicam ratione peccati, ad Ecclesiam ratione fidei.

Hinc inferes rite damnatas esse in Quesnello propositiones 72. 73. 74. 75. 76. 77. et 78., quibus negat fideles peccatores esse de corpore Ecclesiae, et Christum esse eorum caput.

Dico 5. Catechumeni non sunt re, et preprie in Ecclesia.

Prob. 1. Nullus ingreditur Ecclesiam, et fit ejus membrum nisi per baptismum; ergo. 2. Omnes, qui sunt in Ecclesia, capaces sunt Sacramentorum Ecclesiae; horum autem non sunt capaces Catechumeni, cum baptismus sit janua aliorum sacramentorum, ut dicetur dum de baptismo. Nec obstat, quod Christus influat in ipsos: quamvis enim Christus influat in omnia membra Ecclesiae, non tamen in ea sola; ut patet in excommunicatis, si eos poeniteat.

Dixi *re, et proprie*; quia cum Catechumeni postulent ingredi Ecclesiam, et jam habeant fidem, et quandoque charitatem, possunt dici esse in Ecclesia proxime, inchoative, et in voto, sicque salvari,

Dico 6. Haeretici non solum manifesti, sed etiam occulti, et interni, non sic sunt in Ecclesia, ut sint vera ejus membra.

Sic propono conclusionem propter Haereticos occultos,et internos, de quibus est potissimum difficultas, qui licet sint in Ecclesia secundum quid, id est exterius, et apparenter, probabilius tamen arbitramur non esse de Ecclesia, nec vera ejus membra; sicut si lupus, pelle ovina tectus, reperiretur inter oves, esset in ovili, sed non esset de ovili, ut vera ejus pars.

Prob. 1. Ecclesia est societas fidelium: atqui Haeretici etiam occulti non sunt fideles. Ergo. 2. Ecclesia est corpus habens unionem non solum externam, sed etiam internam membrorum inter se, et cum capite: atqui Haeretici etiam occulti nullam habent unionem internam inter se, et cum capite; fides enim est primum uniens, et fundamentum caeterorum.

3. Christus non est caput actuale Haereticorum etiam occultorum. Ergo. Prob. ant. Nihil influit vitale supernaturale in Haereticos etiam occultos, fundamentum enim, et initium vitae supernaturalis est fides: ergo.

Neque dicas influere in eos characterem baptismalem; character enim baptismalis non est quid supernaturale vitale uniens in uno credito, vel amato; et alias Christus dicendus foret caput damnatorum baptizatorum, quod negat S. Th. 3. p. q. 8. a. 3. o.

Neque etiam dicas influere gratias actuales: quia 1. non sunt vitales, sed dispositiones tantum ad vitam. 2. Non sunt permanentes; vinculum autem uniens membra corporis, debet esse quid permanens. 3. Quia alias Christus deberet etiam dici caput Infidelium, in quos pariter influit gratias actuales.

Plura argumenta contra hanc Conclusionem videri possunt in Tractatu de Incarnatione; Ea non repeto, quia quaestio non est tanti momenti, et controversia videtur esse inter Theologos magis de modo dicendi, quam de re. Aliud esset, si quaestio moveretur juxta systema Jurii Ministri Calviniani in Tractatu de Unitate Ecclesiae edito Anno 1688; qui contendit Ecclesiam universalem complecti in suo sinu omnes Haereticos etiam manifestos, qui non errant circa articulos fidei fundamentales, eosque ideo, non obstante Haeresi, posse salvari.

Verum ut paucis rem expediam 1. Istud systema Patribus incognitum, et ad usque Jurii tempora inauditum, ipsa sua novitate est reprobandum. Etenim Patres priorum soeculorum, omnesque fideles, fatente ipso Jurio, nomine Ecclesiae Catholicae non intellexerunt nisi unicam Communionem, a qua excluderentur quicunque Haeretici saltem manifesti. Dicere autem cum Jurio eos errasse, et falsam Ecclesiae ideam sibi finxisse, puniendae temeritatis est, ne dicam insensatae. Ita sane post sexdecim soecula soli Jurio reservatum erat scire, quid sit Ecclesia. 2, Injustitiae accusandi forent totius Ecclesiae Patres, et Episcopi, qui quoscunque Haereticos a sua communione repellebant, et ad eam, atque ad Ecclesiam non recipiebant, nisi ejuratis omnibus Haeresibus 3. Jurius contradicit scripturae. *Unus*

Dominus , una fides. Ephes. 4. Haereticus circa unum Articulum fidei , qualiscunque sit , non habet fidem circa alios , ut probatur in tractatu de fide. 5. Tandem hucusque nondum convenire potuerunt novatores, quinam sint articuli fidei fundamentales.

Dico 7, Schismatici, et excommunicati excommunicatione majori non sunt in Ecclesia.

Prob. Licet utrique possint retinere fidem , imo excommunicati habere charitatem , si vere poeniteant , de facto tamen sunt ab Ecclesia praecisi ; quia Schismatici a capite, et membris voluntarie se separant ; est enim schisma voluntaria scissio: excommunicati auctoritate legitima ab eodem corpore separantur: ergo neutri sunt amplius socii, seu consociati ; Ecclesia autem est societas.

Confir. Ecclesia in Parasceve orat pro Schismaticis sicut pro Haereticis, ut ad Ecclesiam redeant: et Christus Matth. 18. loquens de excommunicato dicit ; *Sit tibi tamquam Ethnicus, et Publicanus*.

Ad occurrendum quibusdam factis antiquitatis,quae contra conclusionem opponuntur , observandum est 1. Esse in Ecclesia triplicem communionem , prima est pure interior, et invisibilis per gratiam , et charitatem , per quam quis unitur capiti , et membris. Secunda est partim interior , partim exterior in sacramentorum participatione , suffragiorum , et orationum communicatione , et in cura pastorum circa suas oves , quae omnia , licet sint exteriora , habent tamen effectus internos. Tertia est pure exterior in externa communicatione sacra , vel civili . Itaque Excommunicatio privat secunda , et tertia communione , sed non privat prima directe per se. Et quamvis supponat hanc privationem ex peccato mortali , propter quod fertur , potest tamen peccator vere poenitere , et sic habere communicationem internam per charitatem cum fidelibus piis , et sanctis , qui sunt vere , et proprie populus Dei. Observandum 2. fuisse olim quasdam species excommunicationis improprias , ut quando Episcopus denegabat alteri suam communionem , quando alicui Episcopo denegabatur consessus in concilio , quando ejus litterae commendatitiae non acceptabantur ab aliis , et ad illum non dabantur. Sed cum hujusmodi excommunicationes non procederent a potestate clavium , atque saepe in non subditos exercerentur , non erant verae, et propriae excommunicationes , neque excludebant ab Ecclesia.

Articulus II.

Utrum Ecclessia sit visibilis

Lutherani , et Calvinistae visi sunt primitus agnoscere visibilitatem Ecclesiae , cujus notae essent, secundum ipsos, pura verbi Dei praedicatio , et sincera sacramentorum administratio. At cum Catholici peterent ab ipsis , ut assignarent hanc Ecclesiam visibilem ante suam reformationem , haeserunt illis aquae. Assignare non poterant Ecclesiam Romanam, a qua tamquam a synagoga Satanae recesserunt , aliam invenire non poterant , nec possunt , in qua visibiliter omnia dogmata , quae ipsi tenent , docerentur. Ut ergo ab hoc laqueo se extricarent , quidam finxerunt duplicem Ecclesiam , unam invisibilem praedestinatorum , alteram visibilem praedestinatorum , et reproborum. Alii dixerunt Ecclesiam , etsi visibilem , tunc pene extinctam fuisse , ita ut non videretur amplius.

Quaestio est de visibilitate praesenti Ecclesiae per oculos corporeos cum Judicio , et certa persuasione , quod sit Ecclesia Christi , alioquin foret visibilis materialiter , et non formaliter sub ratione Ecclesiae.

Dico Ecclesia est perpetuo visibilis. Prob. ex scripturis Isai. 2. dicitur *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium , et ele-*

valitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Hunc montem Hieronymus in hunc locum intelligit Ecclesiam. Ps. 18. *Posuit in sole tabernaculum suum*, idest in manifesto, inquit August. tract. 2. in Epist Jo, et tract. de cantico novo c. 5. utrobique addens per tabernaculum, intelligi Ecclesiam

Matth. 5. dicitur. *Non potest civitas abscondi supra montem posita*: de quo textu Aug. l. 2. contra Crescon. c. 36. ait, *Extat Ecclesia cunctis clara, atque conspicua, quippe civitas, quae abscondi non potest supra montem constituta.* Item Parabolae Arcae, Agri, Sagenae, quibus Christus Ecclesiam expressit, aperte significant eam esse visibilem.

Act. 20. Episcopi dicuntur positi, ut regant Ecclesiam Dei. Paulus ad Galat. 1. fatetur, se persecutum fuisse Ecclesiam Dei. Act. 8. legitur suscitatam fuisse persecutionem contra Ecclesiam: non poterat autem regi, et persequi Ecclesia nisi visibilis. Et Matth. 18. frater incorigibilis denuntiandus est Ecclesiae, quam si non audierit, habendus est ut Ethnicus, et Publicanus, quomodo autem potest denuntiari Ecclesiae, et audire Ecclesiam, si sit invisibilis?

Prob. 2. momentis theologicis. 1. Omnes tenentur accedere ad Ecclesiam, extra quam non est salus, ut fatentur ipsi Haeretici: atqui id impossibile foret, si Ecclesia sit invisibilis 2. Ecclesia est societas hominum: hi autem sunt visibiles. 3. in Ecclesia fit exterior professio fidei, administrantur Sacramenta, praedicatur verbum Dei, exercetur jurisdictio per superiores in inferiores, congregantur Concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges: haec autem omnia sunt visibilia: ergo.

Pro solutione objectionum nota, duo in Ecclesia attendi posse: unum interius, quod quidam vocant animam Ecclesiae, et est fides, qua membra Ecclesiae inter se, et cum capite interius colligantur, aliud exterius, quod vocant corpus Ecclesiae, scilicet societas exterior eorum, qui publica ejusdem fidei professione, eorumdem Sacramentorum, et Pastorum communione conjunguntur: licet autem id quod est interius, sit in se invisibile, dicitur tamen Ecclesia visibilis per suum exterius: sicut licet anima hominis sit in se invisibilis, homo tamen ex facie dicitur visibilis.

Obj. Juxta Scripturam Ecclesia est spiritualis. Ergo invisibilis Pr. Ant. Jerem. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in Populum* Jo. 4. *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, et veritate.* 1. Petr. 2. *Superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.* Hebr. 12. *Non accessistis ad tractabilem montem . . . . . sed ad Sion montem, et Civitatem Dei viventis.* Mons autem est Ecclesia Luc. 17. Pharisaeis, Christum interrogantibus, quando veniret regnum Dei temporale, ut existimabant, respondit Christus *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut Ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra Vos est. Et ait ad Discipulos suos: veniet dies, quando desideretis videre unum diem filii hominis, et non videbitis, et dicent vobis: ecce hic, et ecce illic: nolite ire, neque sectemini.* Ex quibus duo colliguntur. Primum quod regnum Dei, quod est Ecclesia, sit intra Nos, consequenter spirituale, et invisibile. Secundum quod si Ecclesia esset visibilis, posset dici, quod hic, aut illic est Christus. Resp: D. Ant. Ecclesia est spiritualis secundum quid, ratione scilicet formae interioris, quae est fides, Charitas etc. C; Simpliciter, et absolute N. Est enim corpus constans capite, et membris visibilibus. Sic licet homo sit spiritualis quoad animam, est tamen visibilis per corpus. Insuper ecclesia potest dici spiritualis ratione sui auctoris, ratione effectuum, et finis supernaturalis, quae omnia sunt spiritualia; quod autem est his modis spirituale, potest esse corporeum, et visibile, ut patet de sacramentis. Ad 1. non agitur ibi de Ecclesia, sed de lege nova comparative ad veterem, et significatur, quod lex nova sit lex gratiae, et charitatis, seu ipsa gratia, et charitas scripta, et diffusa in cordibus; Lex vetus sit lex timoris, et quantum ex se tantum ex-

trinsece sonans. Ex quo sequitur, non quod Ecclesia sit invisibilis, sed quod plura invisibilia contineat, nempe virtutes, et dona S. Spiritus. Ad 2. haec verba *veri adoratores adorabunt in spiritu, et veritate* non significant, quod omnis cultus exterior sit rejiciendus, siquidem Christus ipse cum in pluribus occasionibus adhibuerit, sed *adorabunt in spiritu* significat, quod sacrificia Christianorum non offerentur in uno tantum loco determinato, neque erunt carnalia, et ad litteram sicut sacrificia judaeorum, sed quod poterunt offerri ubique, et quod procedent ex corde, et spiritu charitatis, ad quem Deus maxime attendit. *Adorabunt in veritate* significat, quod Christiani non adorabunt amplius in figura, ut Judaei, sed in re figurata. Ad 3. Ecclesia dicitur *domus spiritualis*, vel ratione formae interioris, scilicet fidei, et charitatis, vel ratione auctoris, finis, et effectus, ut diximus; est tamen corporea, et materialis, cum constet capite, et membris corporeis. Ad 4. S. Thom., et quidam alii intelligunt de ecclesia triumphante. Alii, ut servetur Antithesis intelligunt de Ecclesia generaliter sumpta, quae, licet, qua militans sit visibilis, non tamen qua triumphans. Ad 5. Non agitur ibi de Ecclesia, sed per regnum Dei intelligitur gratia, seu conformius ad litteram ipse Christus; Exponit enim ibi Dominus duplicem suum adventum. De primo dicit, quod Messias non venerit cum observatione, idest cum signis, et pompa, et quod sit intra ipsos, quos alloquebatur, seu in illorum consortio, et ipsis praesens. De secunda ait *Ecce hic*, *aut illic*, *nolite ire*, id est nolite credere Antichristo, et falsis ejus Apostolis.

Obj 2. forma Ecclesiae, nempe fides, est interior, et invisibilis. Ergo Ecclesia est invisibilis. R. N. Cons. Ut enim aliquid sit, et dicatur visibile non requiritur, quod ex omni parte videri possit, sed sufficit ut ex aliqua parte videatur. Sic in Ecclesia forma interior, nempe fides non videtur in se, sed videtur corpus habens caput, et membra visibilia, externa fidei professione, sacramentis, cultu, regimine coadunata.

Inst. Ideo homo est visibilis, quia licet ejus anima in se non videatur, attamen per functiones naturales, et necessario cum illa connexas, se manifestat. Atqui id dici non potest de Ecclesia, quia cum professio fidei, sacramentorum administratio, et caetera exteriora non sint necessario connexa cum fide, ut patet in hypocritis, fidem exteriorem non manifestant. Ergo. Dist Min. Exteriora Ecclesiae non manifestant fidem interiorem in aliquibus particularibus C. in corpore N. Quamvis enim non sit certum, quod hic, vel ille, qui fidem exterius profitetur, fidem interius habeat, est tamen certum non ratione connexionis naturalis, sed ex conditione divina, quod vera fides sit in eo corpore, vel societate, quae fidem exterius profitetur, et habet certas notas, quod sit vera Christi Ecclesia.

Inferes. Ergo potest etiam videri coetus praedestinatorum. R. 1. N. suppositum quia nunc non datur coetus praedestinatorum solorum in unum coadunatus, est enim in hac vita triticum mixtum palea. R. 2. Dato supposito N. illationem, quia non sunt certae notae coetus praedestinatorum distinguendi, sicut sunt distinguendi Ecclesiam, et coetum fidelium.

Obs. 3. Quod creditur non videtur. Atqui credimus Ecclesiam. Ergo eam non videmus. R. D. maj. Quod creditur non videtur ea parte, qua creditur. C. ea parte, qua non creditur. N. Videmus itaque societatem fidelium, et credimus eam esse veram Christi Ecclesiam, esse in ea veram fidem, regi Spiritus S. etc. Sic S. Thomas vidit humanitatem Christi, et credidit ejus divinitatem exclamans Joan 20. *Dominus meus, et Deus meus.*

Petes utrum visibilitas competat sectis Haereticorum? R. Non competere eo gradu, quo competit Ecclesiae Christi, quia non sunt toti orbi conspicuae, sicut Ecclesia Christi, neque semper fuere visibiles; ante Lutherum enim, et Calvinum ubi videbantur? Neque insigniora conspiciuntur in eis, sicut in vera Ecclesia, perpetua scilicet, et imperturbata successio suorum Pontificum, Congregatio Conciliorum, ejectio Haereticorum etc.

Articulus III.

De Notis verae Ecclesiae.

Contra Ethnicos, qui non admittunt Scripturas, probamus veritatem religionis, et Ecclesiae nostrae per motiva credibilitatis, de quibus antea. Contra Haereticos vero, qui admittunt Scripturas, probamus illam per notas verae Ecclesiae in scripturis expressas; non quod istae notae reddant veram Ecclesiam in se evidentem, sed evidenter credibilem.

§. I. *An sint, et quae sint Notae verae Ecclesiae?*

Dico. Quatuor sunt notae verae ecclesiae, scilicet quod sit Una, Sancta, Catholica, et Apostolica. Ita Symbolum Constantinop.

Vera Ecclesia est una.

Probat. Apost. 1. Cor. 12. dicit: *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tantum corpus sunt, ita et Christus; etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*

Dicitur autem Ecclesia una, 1. Unitate concordiae, seu consensionis in eumdem finem ultimum, et in eadem media ad illum, nempe in eamdem fidem praesertim, eadem Sacramenta, eumdem cultum, et eadem praecepta ad salutem necessaria; *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma*, Ephes. 4. 2. Unitate ordinis, seu dispositionis ordinatae plurium sub eodem regimine unius capitis; *Unum ovile, unus Pastor*, Joan. 10.

Vera Ecclesia est sancta.

Prob. 1. Cant. 6. dicitur *Decora columba, pulchra ut luna, electa ut sol.* 1. Pet. 2. *Genus electum, gens sancta*, Ephes. 5. *Pro ea se tradidit Christus, ut illam sanctificaret*, Est autem sancta. 1. Ratione capitis, et sponsi, qui est Christus, Sanctus Sanctorum, et fons totius sanctitatis. 2. Ratione finis, scilicet cultus divini, cui per baptismum consecratur. 3. Ratione aliorum Sacramentorum, officiorum, caeremoniarum, legum, quae omnia spirant sanctitatem. 4. Ratione doctrinae, quae ducit ad sanctitatem acquirendam, vel augendam.

Vera Ecclesia est Catholica, seu universalis.

Dicitur autem catholica 1. ratione loci, quia per totum orbem diffusa est, Marci 16. *Euntes in mundum universum.* 2. Ratione personarum, quia ad se vocat, et complectitur, non quidem omnes, et singulas personas, sed cujusvis nationis, et conditionis personas: ibid. *Praedicate Evangelium omni creaturae.* 3. Ratione durationis: Matth. ultimo; *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* 4. Ratione doctrinae, quia docet quecumque sunt vel credenda, vel facienda, vel vitanda.

Circa universalitatem loci observandum est, posse dupliciter accipi, vel pro diffusione simultanea, et permanenti per totum orbem, vel pro diffusione successiva tantum. Si primo modo sumatur, intelligenda est universalitas, non in rigore metaphysico, sed moraliter pro diffusione in plures, et praecipuas partes orbis, ita ut Ecclesia sit magis diffusa, quam quaelibet alia secta; quo sensu in Daniele dicitur, quod Nabuchodonosor occupaverit omnia regna mundi, quod Alexander imperaverit universae terrae, non quod hi reges revera imperaverint toto orbi, sed pluribus, et praecipuis provinciis. Si secundo modo sumatur, intelligenda est universalitas rigorose, ita quod Ecclesia nunc in plures, et praecipuas partes diffusa, paullatim, et successive diffundatur in alias partes, donec tandem ubique recipiatur, juxta illud Coloss. 1. *Evangelium in universo*

mundo est, et fructificat, et crescit: ubi juxta Aug. epist. 80. praesens ponitur pro futuro propter certitudinem effectus, uti frequens est in Scripturis: constat enim tunc temporis Ecclesiam non fuisse ubique diffusam.

Vera Ecclesia est Apostolica

Ratione scilicet originis, et successionis non interruptae; quia fundata a Christo, qui dicitur *Apostolus confessionis nostrae*, Heb. 3., est ab Apostolis propagata, et firmata, atque ab eis derivata usque nunc perseverat: unde Ephes. 2. Fideles dicuntur *superaedificati super fundamentum Apostolorum*.

§. II. *Cui Ecclesiae hae quatuor Notae conveniant?*

Dico. Hae quatuor Ecclesiae notae soli Romanae Ecclesiae conveniunt, non sectis Haereticorum.

Prob. 1. Ecclesia Romana est una unitate consensionis in ultimum finem, et in eadem media, scilicet eamdem fidem, eadem sacramenta, eumdem cultum, etc. Item est una unitate ordinis, seu ordinatae dispositionis omnium catholicorum sub eodem regimine unius capitis Romani Pontificis. Haec per se patent.

Sectae autem Haereticorum non habent unitatem consensionis in una fide, quod patet tum ex eorum variationibus, et oppositionibus circa praecipua dogmata, ut circa Eucharistiam: tum quia pro regula fidei sequuntur privatum spiritum, sicque tot sunt inter eos opiniones fidei, quot sunt capita. Non habent etiam unitatem ordinatae dispositionis sub uno capite: tot sunt enim inter eos capita, quot ministri, quippe qui alicui uni non subordinantur, suntque sine missione et jurisdictione, ut mox dicam.

2. Ecclesia Romana est sancta ratione sui capitis Christi, aliorum suorum fundatorum, Apostolorum scilicet, et eorum successorum, SS. Patrum, qui illam adversus haereses defenderunt, et suorum Martyrum, qui suo sanguine illam sigillarunt. Est sancta ratione finis, scilicet cultus divini, cui tota consecratur; ratione Sacramentorum, legum, officiorum, sacrificiorum, caeremoniarum, quae omnia sanctitatem spirant. Est sancta ratione doctrinae, quae nonnisi quod in Scripturis, aut traditione continetur, proponit credendum, nonnisi virtutem praecipit, nonnisi vitia prohibet.

Sectae autem Haereticorum non habent sanctitatem. 1. Non habent ex parte suorum auctorum: notum quippe est Lutherum, Calvinum, Zuinglium, etc. non fuisse sanctos, sed pluribus vitiis obnoxios. 2. Non habent ex parte doctrinae, Deum quippe faciunt auctorem peccati, immo dicunt ipsum ad peccandum cogere, et impossibilia praecipere. Item docent, solam fidem justificare, nullumque peccatum quantumvis grave, etiamsi adulterium, homicidium, sodomiam, habentibus fidem imputari, et ideo quantumvis scelestum, modo credat, se esse a Deo electum, nunquam gratiam amittere: ita Lutherus de captiv. Babyl. c. de baptismo, et Calvinus l. 3. institut. c. 19., quae sola duo principia viam aperiunt omnibus vitiis, occludunt virtutibus. Insuper notum est, eos caelibatum Sacerdotum, et vota monastica damnare, claustra, et templa diruere, bona monasteriorum invadere, imagines frangere, invocationem Sanctorum, satisfactiones, et bona opera, jejunia, abstinentias, et quidquid sapit mortificationem rejicere.

3. Ecclesia Romana est Catholica ratione loci, et conditionis personarum. Si loquamur de catholicitate permanenti, et simultanea, quae, ut observavimus, debet intelligi moraliter pro diffusione in plures, et praecipuas orbis partes, plusquam cuilibet sectae, certum est eam convenire Ecclesiae Romanae; haec enim floret in Europa, in America, in pluribus regnis, provinciis, et insulis Orientis; et quamvis non ita nunc, sicut olim, floreat in Africa, et in quibusdam provinciis Asiae, et septentrionalibus Europae, plures nihilominus adhuc repe-

riuntur in illis verae fidei, et Ecclesiae Romanae cultores, ita ut sit longe magis extensa, quam quaelibet secta. Si loquamur de catholicitate, seu universalitate successiva, constat etiam eam convenire Ecclesiae Romanae: haec enim sola ab exordio usque nunc annuntiavit, et annuntiat nomen, et Evangelium Christi apud exteras et dissitas nationes, quas in dies sibi aggregat, missis quacumque Missionariis, donec tandem in fine mundi compleatur diffusio, et universalitas, juxta illud Matth. 24. *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio*. Est etiam catholica ratione personarum, quia omnes cujusvis nationis, et conditionis ad se vocat, et complectitur. Item est catholica ratione doctrinae, quippe omnes errores damnat, nullum docet. Tandem ita est catholica, ut semper sic vocata fuerit, et sic adhuc vocetur.

Non habent autem catholicitatem sectae Haereticorum. 1. Non habent ratione loci, latent quippe in angulo Europae; in aliis autem mundi partibus, in Asia, in Africa, in America, non sunt, aut si quidam in his exteris nationibus reperiuntur, habentur pro Haereticis. 2. Non ratione personarum, cum enim doceant quemque posse in sua religione salvari, modo saltem non erret circa veritates fundamentales, non omnes ad se vocant. 3. Non habent ratione temporis: ante Lutherum enim, et Calvinum non erat eorum Ecclesia, et aliquando non defecturam nullum habet fundamentum, imo jam defecisse in Gallia, et in multis Belgii provinciis notum est.

4. Ecclesia Romana est Apostolica, 1. ratione doctrinae ab Apostolis derivatae. Ecclesiam priorum saeculorum fuisse Apostolicam, et Apostolorum doctrinam tenuisse, fatentur Haeretici; si qua ergo ab illo tempore mutatio accidit in Ecclesia Romana, et ab hac Apostolica doctrina defecerit, ostendi possunt, quae in omni insigni mutatione contingunt: quod, et quale sit istud novum dogma, quis mutationis, et defectionis auctor, quo loco, quo tempore coepit, quos oppugnatores habuit? Haec nobis ostendant Haeretici in Ecclesia Romana. 2. Ecclesia Romana est Apostolica ratione successionis non interruptae pastorum suorum ab Apostolis.

Non sic vero sectae Haereticorum. Et 1. non habent apostolicitatem ratione doctrinae ab Apostolis derivatae, siquidem doceant plures errores, quos vetus Ecclesia damnavit, ut fatetur ipse Calvinus l. 3. instit. c. 4. et 5., de satisfactionibus, de caelibatu Sacerdotum, de precibus pro mortuis, et de jejunio Quadragesimae. 2. Non ratione successionis apostolicae in suis Pastoribus: cui enim successit Lutherus? cui Calvinus? Non denique ratione missionis legitimae; a quo enim illam habuerunt, aut habent?

[Protestantes intelligentes quantum ex hac quaestione periculum suis Ecclesiis immineat, veras Ecclesiae notas negantes, alias excogitarunt, quae verae Ecclesiae notae nec sunt, nec esse [illegible] sunt, scilicet Verbi Dei sinceram praedicationem, et legitimam sacramentorum administrationem. Hae enim (inquiunt) ex ipsa Ecclesiae essentia desumptae sunt; nihil enim Ecclesiae magis essentiale est, quam vera Doctrina, et legitimus sacramentorum usus. Ergo. R. N. Consequ. Ad notam enim Ecclesiae non sufficit, ut essentialem ejus characterem exprimat, sed necesse est, ut rationem habeat signi. Non enim hic agitur quaestio de natura, et essentia Ecclesiae, a qua omnes conveniunt, quod vera fides, et vera sacramenta divelli non possint, sed inquiruntur notae, ex quibus certo dignosci possit, ubi sit vera Ecclesia, quae veram fidem, et vera sacramenta habeat. Unde Protestantes cum gloriantur se rem ex intimis visceribus deducere, fucum tantum faciunt, et nihil probant; idem enim est dicere esse veram Ecclesiam, et habere veram doctrinam, et legitimum sacramentorum usum.

Instant. 1. Scriptura, in qua verae fidei, et sacramentorum doctrina continetur, notior est Ecclesia, nam Ecclesia per scripturam probatur. Ergo. R. N.

Ant. Scriptura duplici sensu Nobis innotescit, 1. Quando certum Nobis efficitur Scripturas S. existere, hunc vel illum librum ad Scripturas pertinere 2. Quando verum, et genuinum Scripturae sensum intelligimus. Sed neutrum potest esse notius Ecclesia. Nam Scripturas ab Ecclesia accipimus, quae veras ab apocryphis, humanas a divinis secernit. Secundo etiam Scripturae sensus, ex quo utique vera Doctrina, et sacramentorum usus eruendus est, nonnisi ex Ecclesiae auctoritate determinari potest.

Instant 2. Inter antiquos Patres plures sunt, qui Ecclesiam ex Scriptura tamquam notiore probandam esse docent. Ergo. Prôb. S. August. Epist. 105. alias 166 contra Donatistas disputans ait n. 14. *In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam* S. Chrysost. hom. 49. in Cap. 24. Matth. *Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quae sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas.* Ergo. R. N. Cons. 1. SS. Patres saepe contra Haereticos ex Scripturis pugnarunt, tanquam ex principio utrinque recepto. 2. Ecclesiam optime dicunt ex Scriptura esse discendam, quia ex scriptura scimus quaenam sint, et quae debeant esse verae Ecclesiae notae. Scilicet ad notam Ecclesiae in primis requiritur, ut ex originaria Ecclesiae natura, et constitutione fluat, quam utique ex Scripturis cognoscimus. Unde clarum est, nos revera Patrum sententiam sequi, quia nos Ecclesiam in Scripturis quaerimus, Protestantes autem non Ecclesiam in iis quaerunt, sed Doctrinam. Adde quod opus illud in Matt. non sit S. Chrysostomi, et multa contineat falsa. Quod ad S. Augustinum attinet, ejus in hac quaestione sententia dubia esse non potest. Nam ubique Ecclesiae auctoritatem depraedicat; veram Doctrinam per Ecclesiam cognoscendam esse contendit, imo lib. contr. Epist. fund. cap. 5. ait. *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas.*]

Articulus IV.

Utrum Ecclesia possit deficere, seu errare in fide, et moribus?

Ecclesia potest duobus modis considerari. 1. Ut congregatio omnium fidelium tam Praelatorum, quam subditorum. 2. Prout est congregatio Praelatorum et Doctorum tantum. Haec dicitur Ecclesia repraesentative, et docens, prima dicitur Ecclesia credens. Quaestio est utrum utraque sit infallibilis, prima in credendo, secunda in docendo; seu ut alii dicunt, utrum Ecclesia habeat infallibilitatem tam activam, quam passivam? Haeretici concedunt infallibilitatem Ecclesiae invisibili, denegant visibili; at suppositum hujus distinctionis impugnavimus supra, asserendo unam Ecclesiam perpetuo visibilem: unde

Dico. Ecclesia visibilis non potest deficere, seu errare in rebus fidei, et morum credendis.

Omissis variis textibus veteris Testamenti, prob. 1. clarissime ex novo Testamento. Matth. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, utique visibilem in homine visibili fundatam, *et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ibidem cap. 28. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Super haec verba S. Th. in Catena dicit; *Non cum illis solum dicit se futurum esse, sed et cum omnibus, qui post illos credunt, non enim usque ad consummationem saeculi Apostoli mansuri erant, sed sicut uni corpori fidelibus loquitur.* Luc. 1. *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Alia testimonia proferentur conclusione sequenti.

2. Adstipulantur SS. Patres Chrysostomus serm. de Pentecost., Ambrosius L. de Salomon., Hieron. in cap. 4. Isa., Aug. de Symbolo ad Catechum. c. 6. et alii.

Prob. 3. ratione. 1. extra Ecclesiam non est salus: ergo si Ecclesia visibilis deficiat, salus fit impossibilis; quis enim Ecclesiam invisibilem ingredi potest? 2. Si Ecclesia possit deficere, nemo erit securus de sua fide, nec ipsi Lutherani, et Calvinistae, potest enim pariter eorum Ecclesia deficere; et unde scient non defecisse, cum defectio, ut dicunt, accidat hominibus non advertentibus? 3. Ut articulo praecedenti arguebamus, si Ecclesia Romana defecerit, ut contendunt Haeretici, debent assignare in quo defecerit, quo auctore, quo loco, quo tempore: haec enim omnia notantur in mutatione insigni, qualis haec foret. Ad haec autem obmutescunt.

Dico 2. Ecclesia in suis pastoribus repraesentata, sive per orbem diffusa, sive in unum congregata, errare non potest in rebus fidei, et morum proponendis, et definiendis.

Prob. ex conclusione praecedenti. Si Ecclesia in suis pastoribus repraesentata, sive per orbem diffusa, sive congregata, posset errare in rebus fidei, et morum proponendis, et definiendis, sequeretur, quod omnes fideles, seu Ecclesia sumpta pro congregatione omnium fidelium posset errare in credendo, et deficere: falsum consequens, ut probatum est: ergo et ant. Prob. sequela, quia fideles non credunt, nec credere debent aliud, quam quod ipsis proponunt universi pastores; eos enim instituit Christus, ut subditum gregem pascerent, regerent, et docerent in rebus fidei, et morum. Act. 20. *Posuit vos Episcopos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei.* Matth. 28. *Docete omnes gentes.* Jussit, ut omnes illos audirent, et eis obedirent, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus*: unde quaecumque diximus pro infallibilitate Ecclesiae in credendo, probant ejus infallibilitatem in docendo.

His adde sequentia ex Scripturis: Christus alloquens Apostolos, et in eis eorum successores Episcopos, dicit Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Ibidem v. 26. *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Item cap. 16. *Cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Apost. 1. Timoth. 3. *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei, columna, et firmamentum veritatis.*

Dixi 1. *Ecclesia sive dispersa, sive congregata*; quia cum promissiones infallibilitatis sint factae Ecclesiae, et eadem sit semper Ecclesia, sive dispersa, sive congregata, in utroque statu gaudet privilegio infallibilitatis: et certe Christus non intelligebat de Ecclesia congregata in Conciliis, cum dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, cum non omnibus diebus, sed rarissime congregentur Concilia.

Dixi 2. *In rebus fidei, et morum.* Quantum ad mores, intelligenda est conclusio de moribus spectantibus communem omnium fidelium salutem: unde Ecclesia errare non potest, sive definiendo aliquid esse bonum, et honestum, quod est malum, et inhonestum, et e contra aliquid esse inhonestum, et malum, quod est bonum, et honestum: sive praecipiendo aliquid, quod communi fidelium saluti sit noxium, aut prohibendo, quod illis est necessarium, seu utile. Ratio est: 1. quia hoc esset errare in fide, fides enim omne virtuosum, et honestum approbat, omne vitiosum, et turpe reprobat. 2. Esset contra sanctitatem Ecclesiae. 3. Ecclesia male pasceret fideles, non enim solius fidei, sed etiam morum doctrina pascuntur fideles.

Quantum vero ad mores spectantes personas privatas, et facta particularia, quorum cognitio pendet ex testimonio fallibili hominum, Ecclesia potest errare errore facti, non juris.

Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione Ordinum Religiosorum?

Resp. in approbatione Ordinis Religiosi duo intervenire judicia. Primum hanc Religionem esse bonam, Evangelio conformem, et perfectioni acquirendae utilem; in hoc judicio errare non potest Ecclesia, alioquin erraret in communi doctrina morum, cum omnibus hanc Religionem proponat ut bonam, et viam ad perfectionem. Alterum est judicium, utrum hic, et nunc expediat hunc Ordinem admittere? Et de hoc judicio non ita constat esse infallibile, quia non e scientia solum, sed e prudentia pendet. At saltem temeritatis notam non effugeret, qui contra communem Ecclesiae sensum, erroneum assereret.

Obj. plura ex veteri testamento, ex quibus constat Ecclesiam, seu synagogam aliquando defecisse: ergo.

R. haec non obstare conclusioni nostrae, quae est de Ecclesia Christianorum post Christum natum, et non de Ecclesia veteris Testamenti: et hoc propter duo. 1. Quia Ecclesiae veteris Testamenti non sunt factae promissiones, quales fecit Christus Ecclesiae novi Testamenti; non enim illi dictum est: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*: neque: *Portae inferi non praevalebunt adversus illam.* 2. Quia Ecclesia veteris Testamenti non coarctabatur intra synagogam, poterat enim extra illam salus haberi, ut patet de Job, Melchisedech, Ninivitis, et aliis. Extra vero Ecclesiam novi Testamenti non potest haberi salus: unde necesse est, ut semper subsistat visibilis. Caeterum non concedimus Ecclesiam veteris Testamenti, seu synagogam periisse, nisi eo tempore, quo cessare et in novam transmutari debebat; non enim erat perpetuo duratura: unde ad singula, quae objiciuntur, respondimus in majori nostro opere.

Inst. I. Ipsa etiam Ecclesia novi Testamenti interiit tempore passionis Christi, cum non solum synagoga, et tota gens Judaica, sed etiam ipsi Apostoli a Christo defecerunt, prout praedixerat illis Christus Matth. 26. *Omnes scandalum patiemini in me in ista nocte*; ergo.

R. 1. Conclusionem nostram procedere de Ecclesia Christi formata, fuit autem formata dumtaxat in die Pentecostes, 2. N. ant. et ejus probationem: multi enim tempore passionis Christi credebant in ipsum, et quantum ad Apostolos, passi sunt scandalum non amittendo fidem, sed eam non confitendo exterius, ut debebant.

Inst. 2. Tempore Arianismi, praesertim in Concilio Ariminensi, Ecclesia defecit: unde Hieronymus in dialogo contra Lucif. dicit. *Miratus est universus orbs se esse Arianum*: ergo.

R. N. ant. Ad prob. Id dixit Hieronymus hyperbolice, ita ut nihil aliud significare voluerit, quam quod plures Episcopi, et laici inadvertenter, et praeter intentionem admiserint formulam fidei, quae licet sonaret pietatem, et attentis circumstantiis catholicum sensum prae se ferret, latenter tamen virus Arianum ex intentione suorum auctorum continebat: unde dicit Miratus, quia praeter intentionem, et inadvertenter id accidit. De hoc argumento late disserui Digress. tertia Hist. ad Q. proemialem de Trinit. in opere majori.

Obj. 2. Si Ecclesia esset infallibilis in communi Doctrina morum, omnes veritates morales, quas definiret, aut proponeret fidelibus, essent de fide. Falsum consequens. Nihil enim est de fide, quod non sit revelatum in Scriptura, vel traditione, Atqui non omnes veritates morales, quas Ecclesia definit, aut proponit fidelibus sunt revelatae in Scriptura, vel traditione, v. g. quod hic contractus sit usurarius, vel simoniacus, id enim eruitur lumine naturali ex ipsa natura contractus. Ergo. Resp. N. Maj. Ratio enim, cur Dogmata ab Ecclesia definita sunt de fide, non est praecise, quia est infallibilis circa illa, sed est quia aliunde sunt revelata. Nec quidquam obstat, quominus Deus concedat Ecclesiae infallibilitatem circa non revelata, quando sunt necessaria communi fidelium saluti. Sic Ecclesia est infallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica, et tamen quia factum dogmaticum non est revelatum, juxta probabilem plurium sententiam, non est fidei divinae, sed ecclesiasticae tantum, ut infra dicemus. Multa Ecclesia proponit fidelibus, quae non

sunt revelata, praesertim praecipiendo, et prohibendo; Sic v. g. praecipit celebrationem festorum, jejunia, auditionem missae etc. Prohibet Eucharistiam dari infantibus, Laicos communicare sub utraque specie, et haec non sunt fidei divinae, quia non sunt revelata; Est tamen semper fidei divinae, quod Ecclesia in his praecipiendis, vel prohibendis errare non possit. Alia autem Ecclesia proponit circa mores, quae sunt revelata, tunc maxime, cum procedit definiendo, qua definitione posita, quae erant tantum de fide, quoad se, quia ignorabatur revelatio, fiunt de fide quoad Nos. Sic sunt plerumque de fide quae definivit circa tot propositiones laxioris, et strictioris Moralis etiam (ut non omittam exempla instantiae) circa contractus simoniacos, aut usurarios, non enim ejus Definitiones in his, et similibus soli lumini naturali nituntur, sed maxime his, quae habentur in scriptura, vel Traditione circa usuram, simoniam, et alias materias.

Articulus V.

Utrum Ecclesia sit supremus Judex controversiarum fidei?

Necessitatem alicujus supremi, et infallibilis judicis in rebus fidei, cui omnes morem gerere teneantur, probant ipsae controversiae, quae de ipsis rebus fidei quotidie emergunt. Res namque fidei sunt abstractae, sublimes, occultae: non omnes sunt capaces examinis et discussionis rerum tam sublimium, et inevidentium: unde si non sit aliquis supremus judex, cujus auctoritate infallibili contineantur homines, nihil erit fixum in religione, erimus perpetuo fluctuantes omni vento doctrinae abrepti, disputationes erunt interminabiles, et dum unusquisque in suo sensu abundabit, tot erunt dogmata, quot capita.

Inter Haereticos quidam pro summo judice assignant ipsam Scripturam sacram, quam volunt esse claram, et apertam: alii assignant afflatum Spiritus sancti unicuique privato, seu ipsam Scripturam secundum hunc privatum spiritum intellectam: alii, ut Brentius, Principes saeculares.

Non negamus scripturam sacram esse Regulam, normam, et legem, juxta quam dirimendae sunt controversiae, sed cum haec Regula sit mortua, et saepe circa illam oriantur difficultates, requiritur ulterius aliqua Regula viva, seu potius Judex, qui supremo, et infallibili judicio definiat, quid haec Regula mortua ferat, et contineat.

Dico. Supremus, et infallibilis controversiarum fidei judex non est Scriptura sacra, neque spiritus privatus, neque princeps saecularis, sed Ecclesia.

Haec conclusio constat ex Dissertatione prima Tract. de fide, ubi ostendimus regulam discernendi revelata non esse ipsam Scripturam, neque spiritum privatum, sed Ecclesiam; et ex Dissert. prima hujus Tract. a. 3., ubi probavimus sensum Scripturae esse obscurum, et neque Scripturam ipsam, neque spiritum privatum, sed Ecclesiam illius esse judicem; sed quia haec questio est summi momenti, instaurantur rationes jam datae.

Prob. prima pars. In Scriptura duo sunt, littera, et sensus. Circa litteram primae sunt controversiae, an ea, quam habemus, sit verum Dei verbum? an sit conformis suo autographo? an hi vel isti libri sint canonici, vel non? Lutherus rejicit epistolam ad Hebraeos, epistolam S. Jacobi, et Apocalypsim, has Calvinus admittit: quis dirimet controversiam? Non ipsa Scriptura, nullibi enim dicitur hos libros esse, vel non esse canonicos, et quamvis diceret, non teneremur credere, nisi aliunde prius constet esse canonicam. Circa sensum: Sciptura in varios, et contrarios sensus trahitur, de iisque sunt praecipuae controversiae. Inter alias celebris est de sensu horum verborum, *Hoc est corpus meum*: Calvinistae intelligunt in sensu figurato, Lutherani, et Catholici in sensu litterali: quis inter illos erit judex? Non ipsa Scriptura, quae est objectum, et materia controversiae;

ergo quaerendus est alius judex, alioquin disputabitur usque ad finem mundi: dicat Calvinista Lutheranum male intelligere; idem regeret Lutheranus Calvinistae.

Confir. Judex alicujus controversiae debet partes litigantes audire, pronuntiare sententiam, et posse partes compellere ad acquiescendum sententiae, alias frustraneum esset judicium: haec autem praestare non potest Scriptura. ergo.

Prob. secunda pars. 1. Judex in aliqua causa debet esse publicus, partibus litigantibus notus, eas audire, ab ipsis audiri, et habere auctoritatem illas compellendi, ut stent judicio, alioquin nihil proderit: atqui ista non competunt spiritui privato cujusque, ut patet; ergo.

2. Judex in aliqua controversia debet esse unus, non varius, non incertus, non sibi contrarius: atqui spiritus privatus est varius in variis, incertus, et saepe sibi contrarius, dictans unum uni, et contrarium alteri. Sic dictat Lutherano hos libros esse canonicos, dictat Calvinistae non esse canonicos: dictat Lutherano haec verba, *Hoc est corpus meum*, esse intelligenda de praesentia reali; dictat Calvinistae esse intelligenda de praesentia spirituali, et figurata: dicet Calvinista Lutherano eum non duci bono spiritu; idem reponet Lutheranus Calvinistae: quis erit judex? in aeternum disputabunt, sicut jam a ducentis annis disputant.

3. In omni republica bene ordinata est judex publicus, qui legem interpretatur, et secundum illam omnes controversias dirimit, nec permittitur cuiquam privato, legem secundum suum spiritum, et libitum interpretari, alias omnia susdeque subverterentur: id norunt ipsi Haeretici: quanto magis ergo id debet admitti in Ecclesia, quam Christus instituit, et ordinavit? nisi velis esse tot fidei dogmata, quot capita, eaque ut plurimum sibi contraria, et tolerandas esse omnes haereses, quo nihil est absurdius: ergo.

4. Non omnes sunt capaces examinare, et discutere res fidei, quae sunt obscurae, abstractae, et sublimes; ergo nec eas definire per suum spiritum privatum. Si dicas id haberi ex Spiritu sancto cuique privato inspirante, et revelante, quid sit fidei vel non: at contra omnes contendunt se habere hanc inspirationem et revelationem, tamen non omnes idem sentiunt. ergo Spiritus sanctus contraria revelat.

Prob. tertia pars. Nullibi in Scriptura legitur Christum constituisse Principes saeculares judices controversiarum fidei; non enim illis, sed Apostolis, et eorum successoribus dixit: *Euntes docete*, etc. aut quid simile: est quidem Princeps juxta Apost. Rom. 12. Dei minister, non ut judicet Ecclesiam, sed ut eam defendat: unde scribebat celebris Osius Constantio Imperatori: *Nec te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec discas: Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredit.*

Quarta pars sequitur ex dictis. Necesse est agnoscere regulam vivam, et judicem supremum controversiarum fidei, ut ostendimus initio articuli: atqui is non est Scriptura sacra, non privatus spiritus, non Princeps saecularis; ergo Ecclesia; nihil enim aliud est assignabile.

Confir. 1. Is jure assignatur judex supremus controversiarum, qui est infallibilis in iis definiendis: atqui talis est Ecclesia, ut probatum est art. praeced. Ergo. Confir. 2. ex praxi Ecclesiae tempore Apostolorum: cum exorta est controversia de legalibus observandis a gentibus conversis, non fuit terminata per solam Scripturam, neque per spiritum privatum, neque per Principem saecularem, sed per Ecclesiam Jerosolymis congregatam: ergo.

Quae spectant Scripturae obscuritatem, quam negant Haeretici, require Diss. 1. hujus Tract. Quae objiciunt pro sufficientia Scripturae, soluta habes Dissert. praecedenti a. 2. Quantum ad id, quod objiciunt nos committere circulum vitiosum probando veracitatem infallibilem Ecclesiae per Scripturam et veritatem Scripturae per Ecclesiam, plene dilutum habes in Tract. de fide.

Articulus VI.

Utrum Judicium Ecclesiae de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis sit infallibile ?

Movetur haec quaestio occasione libri Jansenii Episcopi Iprensis, ex quo quinque propositiones extractas summi Pontifices condemnarunt in sensu ab Auctore intento, id est in sensu naturali et obvio. Factum triplex communiter distinguitur. Unum Personale, et particulare. Aliud generale, quod spectat totam Ecclesiam. Tertium Dogmaticum, seu Doctrinale, an aliquis liber, aliqua propositio contineat veram, vel falsam Doctrinam.

Quaestio itaque est de factis dogmaticis, seu doctrinalibus. Utrum Judicium Ecclesiae de Doctrina, seu sensu alicujus Textus, seu scripti, sit infallibile. Non est itaque quaestio, an liber, cui titulus *Augustinus Jansenii*, sit genuinus Jansenii foetus, an illi suppositus. Hoc factum est mere personale, et historicum, de quo non judicat Ecclesia. Neque est quaestio utrum quinque famosae propositiones totidem verbis continentur in libro Jansenii. Sed utrum sensus propositionum sit sensus libri. Itaque

Dico. Judicium Ecclesiae de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis dogmaticis est infallibile.

Prob. 1. iisdem Scripturae testimoniis, quibus probavimus infallibilitatem Ecclesiae in quaestionibus juris. Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* Ecclesiam. Ibid. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Joan 14. *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Ibidem 16. *Cum venerit autem ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ibidem 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 1. Timoth. 3, *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Atqui haec subsistere non possunt, si Ecclesia sit fallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica : ergo. Prob. min. Pone Ecclesiam revera falli judicando librum haereticum., puta Institutiones Calvini, continere sensum orthodoxum, et doctrinam catholicam, et e contra librum catholicum, puta opera Augustini, continere sensum erroneum, et doctrinam haereticam, hocque judicium omnibus fidelibus proponat ; fideles credent, quae legent in Institutionibus Calvini, Deum esse Auctorem peccati, ipsum impellere ad peccandum, solam fidem justificare, habenti fidem nulla peccata imputari, bona opera esse inutilia, corpus Christi non esse realiter praesens in Eucharistia: haec inquam, et plura alia impia et haeretica, in his Institutionibus contenta, credent Catholici ; et e contra quaecumque Augustinus propugnavit contra Manichaeos, Donatistas, Pelagianos, etc. credent haeretica, sicque universa Ecclesia inducetur in errorem, portae inferi praevalebunt adversus eam, non erit amplius columna, et firmamentum veritatis, Christus non erit cum ea omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, Spiritus sanctus non docebit illam omnem veritatem, et non manebit cum illa in sempiternum, male pascet oves, et agnos, praebendo illis pascua venenata pro sanis ; ergo. His Scripturarum testimoniis Concilium V. generale probabat suam auctoritatem in condemnandis tribus Capitulis.

Si dicas, quod in hac hypothesi Ecclesia non erraret circa dogma, sed circa factum, seu attributionem dogmatis tali vel tali libro, sicque portae inferi non praevalebunt contra illam.

R. Esto Ecclesia docens, seu pastores non errarent circa dogma ; verissimum est tamen, quod inducerent omnes fideles in errorem circa dogma, non enim fideles possunt cognoscere dogma nisi in facto, scilicet in libro, vel propositione, quam Ecclesia approbat vel condemnat. Non ergo sufficit ad servandum fi-

dei depositum, et ad officium Pastoris, et Doctoris, quod Ecclesia docens intendat asserere veritatem, aut proscribere errorem, sed haec veritas, et hic error reperiri debent in his locis, quae Ecclesia indicat; alias male instrueret, et male pasceret fideles, qui sensum interiorem pastorum, seu Ecclesiae docentis penetrare non possunt.

Confir. Dogma proponendum fidelibus est inseparabile a facto, et ita cum eo connexum, ut dogma non possit proponi infallibiliter, quin factum eadem infallibilitate proponatur: atqui Ecclesia est infallibis in proponendo dogmate, ergo et in facto dogmatico pro ponendo. Min. constat ex antecedentibus. Prob. ma. Quamvis dogma possit mente perpendi, et examinari sine facto, non potest tamen proponi fidelibus, sive vitandum, sive tenendum absque facto, id est absque textu propositionis, aut libri, quod si sit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, quia errat: ergo.

Prob. 2. ex usu Ecclesiae. 1. Concilium Chalcedonense Act. 4. declarat Haereticum quicumque non diceret anathema Eutycheti, et Act. 8. dixerat Theodoretum esse Haereticum, et foras ejiciendum, eo quod post plures instantias nollet simpliciter, et sine explicatione dicere anathema Nestorio, quod tamen tandem praestitit. Hoc factum ad rem praesentem omnino pertinens late discussum, et vindicatum adversus gerras Novatorum require in tractatu de incarnatione digress. 2. ad dissert. 4. sect. 5. in opere majori.

2. Concilium V. generale Constantinop. 2. Act. 8. damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis, et Ibae Edesseni, vulgo tria Capitula; imo ad hoc unum, et ad damnationem scriptorum Origenis fuit congregatum: neque solum damnavit haec tria Capitula, ut Nestoriana, sed anathematizavit, quicumque ea defenderet, aut excusaret, aut non condemnaret.

3. Concilium Lateranense IV. declaravit Haereticum, qui probaret, aut defenderet doctrinam Abbatis Joachim in suo libello de Trinitate.

In his, et pluribus aliis, quae brevitatis causa omitto, agitur, ut patet, de sensu librorum, et auctorum, seu de factis dogmaticis, atque in iis definiendis Ecclesia agnoscit suam auctoritatem infallibilem; alioquin quomodo posset declarare Haereticos, et anathematizare eos, qui judicio incerto, et fallibili non acquiescerent? Si vero Ecclesia se in his exhibet infallibilem, talis est indubie, alias erraret in dogmate.

Prob. 3. ab inconvenientibus. Si Ecclesia sit fallibilis in definiendo, quis sit sensus scriptorum, seu in factis dogmaticis definiendis: sequitur 1. quod nutet traditio, adeoque authenticitas Scripturae in traditione fundata. Prob. sequela; quia traditio non habetur nisi ex Scripturis Conciliorum, et SS. Patrum: ergo si Ecclesia errare possit in definiendo, quis sit sensus illorum scriptorum, nutat traditio in eo fundata. Explicatur amplius: quamvis jus sit Scripturam sacram, et traditionem esse verbum Dei, et omnes veritates in eis revelatas esse fide tenendas, est tamen factum dogmaticum, quod nostra vulgata contineat verbum Dei, quod sensus ejus sit conformis sensui autographi, quod sensus SS. Patrum sit talis, vel talis, quod conspirent ad formandam traditionem, quod Canones Conciliorum, puta Niceni, aut Tridentini, contineant dogmata catholica; haec, inquam, sunt facta dogmatica, in quibus definiendis si errare possit Ecclesia, corruit tota religio.

Sequitur 2. quod nullus Haereticus, nullus liber quantumvis perniciosus, possit convinci haereseos, et ut talis damnari, dicent enim omnes Haeretici, Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Lutherani, Calvinistae exemplo Jansenistarum, se omnes haereses abhorrere, se nihil nisi Scripturae consentaneum scripsisse, quod si Ecclesia aliter eorum libros intellexerit, sit quaestio facti, in quo est fallibilis, sicque resurgent omnes haereses antiquae, novae suscitabuntur absque eo, quod Ecclesia possit illis occurrere efficaciter.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiae, nisi in rebus fidei: atqui factum dogmaticum, v. g. quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei: ergo. Probatur min. Nihil est fidei, quod non sit revelatum: atqui non est revelatum, quod liber Jansenii contineat errores: ergo.

Huic argumento quod magni faciunt, et quo pro ense, et clypeo utuntur Jansenistae, duplex est responsio, quarum alterutra ad frangendum eorum contumaciam sufficit.

Prima responsio negat majorem, quae omnino gratis, et absque ullo Scripturae, aut traditionis testimonio asseritur, quin potius contrarium constat ex probationibus conclusionis: est enim necessaria haec infallibilitas in factis dogmaticis, etiamsi non sint fidei, nec revelata, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam, ut Ecclesia permaneat columna, et firmamentum veritatis, ut depositum fidei custodiat, bene pascat oves, et omnium fidelium saluti provideat: Christus autem non deficit in necessariis suae Ecclesiae, cui promisit adesse omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, et eam docere omnem veritatem. Haec itaque infallibilitas juxta praesentem responsionem non ex revelatione, sed ex spirituali assistentia Spiritus Sancti habetur. Enim vero contendunt Jansenistae Ecclesiam judicio infallibili pronuntiasse opera Augustini contra Pelagianos, et Semi-Pelagianos continere doctrinam catholicam: est ne magis revelatum istud factum, quam factum Jansenii?

Inst. 1. Si factum Jansenii non sit revelatum, non est credendum fide divina sed humana tantum: atqui quod creditur fide humana tantum, est incertum, et errori obnoxium: ergo.

R. Factum Jansenii juxta datam responsionem non esse credendum, neque fide divina, neque mere humana, sed fide ecclesiastica, quae est quasi media inter divinam, et humanam, sed firmissima et certissima, utpote innixa speciali assistentiae Spiritus Sancti, et inde infallibilitati Ecclesiae in his rebus. Neque dicas hanc assistentiam esse ipsam revelationem; aliud enim est alicui revelare veritates, aliud auxiliari, et adesse, ne a veritatibus revelatis deviet: patet in definitionibus Conciliorum, quibus non fiunt novae revelationes, alioquin Patres forent scriptores sacri, et definitiones eorum forent Scriptura sacra, sed quibus assistit Spiritus Sanctus, ne errent.

Inferes: ergo qui negant factum Jansenii, non sunt Haeretici.

R. ita quibusdam videri, qui censent eos duntaxat temerarios, inobedientes, rebelles, et excommunicatos. Possent tamen dici Haeretici, non praecise quia negant factum Jansenii, quod juxta hanc responsionem non est revelatum, sed quia illud negando, negant infallibilitatem Ecclesiae in his definiendis, quae infallibilitas videtur revelata, et de fide.

Secunda responsio omissa maj. distinguit min. Factum Jansenii non est revelatum immediate, C. mediate, N. Solutio explicabitur in sequenti responsione.

Subsumes: atqui quod est tantum mediate revelatum, non est objectum assensus fidei, sed Theologiae, ut diximus in prima parte: ergo.

R. D. subsumptum: quod est tantum mediate revelatum, ut effectus in causa, vel proprietas in essentia, non est objectum fidei, sed Theologiae, transeat, quod est tantum mediate revelatum, ut pars in toto, N. Itaque veritas a Deo revelatur dupliciter: 1. immediate in se in particulari, ut haec, *Deus est trinus*, *Christus est homo*. Mediate in alio, et hoc iterum dupliciter; vel ut effectus in causa, seu proprietas in essentia, ut haec, v. g. *Christus est visibilis*, revelata est in hac, *Christus est homo*, ut in sua causa: vel ut pars in suo toto, ut haec; *David peccavit in Adam*, revelata est in hac universali, ut pars in toto, *Omnes in*

Adam peccaverunt. Esto ea, quae revelantur ut effectus in causa non sint objectum fidei, sed assensus duntaxat theologici, quia effectus continetur tantum virtualiter in causa: quae tamen revelantur ut partes in toto, sunt objectum fidei, quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quae in illa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quas continet, sunt verae: unde eo ipso quo revelatur formaliter propositio universalis, revelantur etiam formaliter propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est, universaliter omnem textum, omnem propositionem, omnem librum ab Ecclesia damnatum esse vere damnabilem, id namque comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiae revelata; ergo et hunc textum hujus propositionis, puta Jansenii.

Itaque juxta hanc solutionem factum Jansenii est credendum fide divina, et censendi sunt Haeretici, qui illud negant, non solum quia inde convincuntur negare infallibilitatem Ecclesiae, sed etiam quia istud factum est revelatum, sicut revelatum est, quinque famosas propositiones continere haereses, institutiones Calvini esse haereticas, Canones Concilii Tridentini asserere dogmata fidei, textum Vulgatae esse conformem suo autographo, et continere verbum Dei, quis sit sensus Patrum conspirans ad fundandam traditionem: sicut, inquam, haec sunt fide divina credenda, et Haereticus foret qui ea negaret, ita qui factum Jansenii negat: atque eo titulo Theodoretus fuit a Concilio Chalcedonensi declaratus Haereticus; quia post plures expostulationes nolebat dicere sine explicatione anathema Nestorio.

Ceterum juxta utramque responsionem constat non sufficere silentium obsequiosum erga factum Jansenii, sed assensu interiori fidei sive divinae, sive ecclesiasticae esse credendum, atque formulae Alexandri VII. absque exceptione, limitatione, aut explicatione esse subscribendum, ut declaravit Clemens XI. Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, eosque esse perjuros, qui sine isto assensu interiori dictae formulae simpliciter subscribunt.

Obj. 2. Sexta Synodus generalis erravit circa sensum epistolarum Honorii, damnando illum ut Haereticum: et ita docet Bellarminus, et Baronius; ergo.

R. N. ant, Non enim Honorius fuit condemnatus in ea Synodo ut Haereticus sententia, sed ut fautor haereseos, de quo latissime vide tract. de Incarnat. digres. hist. in opere majori.

Quantum ad Bellarminum, et Baronium, 1. hoc dixerunt obiter, non discussa ex professo praesenti quaestione, quae tunc non ventilabatur, praesertim cum ipsi doceant Ecclesiam esse infallibilem in aliis factis non revelatis, ut in canonizatione Sanctorum. 2. Errorem circa sensum epistolarum Honorii non tribuunt toto Concilio, sed Graecis tantum. Denique quaecunque fuerit hac in parte sententia Eminentissimorum Scriptorum, nihil cogit nos, ut contra invictissimas probationes nostras illis adhaereamus, non enim fuerunt infallibiles.

Obj 3. Concilium Chalcedonense approbavit tria famosa Capitula; Concilium V. Constantinop. secundum illa damnavit: atqui tria Capitula, scilicet utrum scripta Theodori, Theodoreti, et Ibae continerent haeresim nestorianam, erant facta dogmatica. ergo.

R. 1. N. ant. pro prima parte: tria namque Capitula, neque approbata, neque reprobata fuere in Synodo Chalcedonensi, sed omissa, et neglecta, seu proposita, non ut judicialia, sed ut historica tantum. In primis de Theodoro Mopsuesteno, qui obierat, et de ejus scriptis nulla mentio facta est, nisi quod in epistola Ibae, quae fuit recitata, et non probata, ut mox dicam, quaedam ejus laudes continerentur. De scriptis Theodoreti, et epistola Ibae nullum Synodus tulit judicium, sed earum personas dumtaxat admisit ad consessum, postquam poenitentiae signa dederunt, et anathema dixerunt Nestorio, atque S.

Leonis epistolae subscripserunt. Synodus V. autem damnavit scripta, et personam Theodori Mopsuesteni, qui fuerat auctor Nestorianismi, et in quo eum obiisse constabat ex testimonio suae Ecclesiae, quae nomen ejus e sacris Dypticis expunxerat: scripta vero Theodoreti, et Ibae sub eorum nominibus damnavit, at eorum personas in pace Ecclesiae defunctas anathemate non confixit, et sic nulla est inter utramque Synodum contradictio.

Inst. 1. Relecta epistola Ibae, Legati sedis apostolicae dixerunt Ibam orthodoxum, ut habetur in actis: ergo.

R. Legatos sedis apostolicae dixisse quidem Ibam orthodoxum, sed non ejus epistolam orthodoxam, quae duo multum differunt: unde D. ant. Dixerunt Ibam orthodoxum attento dogmate epistolae, N. attenta retractatione epistolae, C. cum enim objicerent illi quidam Monachi, S. Cyrillum ab eo vocatum fuisse haereticum, respondit: *Donec S. Cyrillus semetipsum interpretatus fuerat, quia Orientale Concilium eum vocabat haereticum, et ut haereticum eum condemnavit, haereticum eum et ego putabam: postquam vero adunatae sunt Ecclesiae, et sua Capitula interpretatus est, omnes eum communicatorem habuimus.* Quibus aperte declarat se revocare, quae dixerat in sua epistola contra S. Cyrillum, et cum aliunde epistolae S. Leonis ad Flavianum subscripsisset, et anathema dixisset Nestorio, ideo declaratus est orthodoxus.

Inst. 2. Maximus Antiochenus in Concilio Chalcedonensi ipsam Ibae epistolam agnovit orthodoxam, his verbis, *Orthodoxa est ejus declarata dictatio*; et Ferrandus Diaconus Carthaginensis epistola ad Pelagium, et Anatolium, Ecclesiae Romanae Diaconos, asserit epistolam Ibae non potuisse damnari a quinta Synodo absque Synodi Calcedonensis injuria: ergo.

R. ad primum, in Conciliis non unius, aut alterius interlocutionem attendi, sed quod ab omnibus, aut majori parte definitur, ut observatum est in quinta Synodo Act. 6. Ad Ferrandum, non mirum, quod ita fuerit locutus: fuit enim trium Capitulorum acerrimus defensor: et insuper scripsit ante quintam Synodum, cujus auctoritas Doctoris privati auctoritati praeponderat.

R. 2. ad principale augumentum. Dato tria Capitula fuisse probata in Concilio Chalcedonensi, potuerunt nihilominus ad examen revocari, et damnari a quinta Synodo absque laesione infallibilitatis Ecclesiae in his factis: quia conscripta definitione fidei Act. 6. absolutum fuit Concilium Chalcedonense: quae vero postea circa praefatas quorundam Episcoporum causas acta sunt, non habent vim Concilii, nec a S. Leone sunt probata.

Obj. 4. Saltem negari non potest, quin Vigilius Papa admodum variaverit in causa trium Capitulorum, eaque modo approbaverit, modo damnaverit: ergo non est irretractabile judicium Ecclesiae circa facta dogmatica.

R. Vigilium nunquam tria Capitula, quoad sensum obvium textuum approbasse, quod est proprie factum dogmaticum; sed tantum variasse circa personas; utrum scilicet persona Theodori, et Ibae sub eorum nominibus deberent damnari. Haec autem variatio non fuit inconstantiae, sed prudentis oeconomiae.

Consectarium

De Appellatione a Constitutione Unigenitus *ad Concilium generale futurum.*

Supposita infallibilitate, non summi Pontificis, a qua nunc abstrahimus, quia eam non agnoscunt ii, contra quos hic agimus; sed Ecclesiae in controversiis fidei, et factis dogmaticis definiendis, quam in duobus Articulis praecedentibus asseruimus, sequitur non esse licitum appellare a Constitutione *Unigenitus* Clementis XI., damnante centum et unam propositiones Paschasii Quesnel, ad futurum Concilium generale: quod hoc brevi, et patenti argumento probatur.

Non est licitum appellare a judicio infallibili, et irreformidabili: atqui Constitutio *Unigenitus* est judicium infallibile, et irreformabile: ergo. Prob. min. Constitutio *Unigenitus* est judicium Ecclesiae de facto dogmatico: atqui judicium Ecclesiae est infallibile, et irreformidabile in dogmatibus, et factis dogmaticis definiendis, ut late probavimus in duobus praecedentibus Articulis. Ergo. Prob. maj. Ecclesia universa constitutionem *Unigenitus* acceptavit, et acceptando fecit suam: ergo. Ant. constat. 1. ex ipso Clemente XI. qui in litteris *Pastoralis officii* dicit; *Quam* (Constitutionem) *universa Ecclesia veneratione debita complectitur*. 2. Ex testimoniis omnium fere Ecclesiarum totius Europae, Italiae, Siciliae, Venetiarum, Genuae, Pedemontii, Sabaudiae, Germaniae, Belgii, Bohemiae, Hungariae, Poloniae, Hispaniarum, et Portugalliae; Accademiarum, Salmaticensis, Lovaniensis, Coloniensis, Duacenae, Conimbricensis, etc. Extant autem haec omnia testimonia in institutione pastorali Eminentis. Card. de Bissy tom. 3., in institutione 2. Illustris. D. Languet tunc Episcopi Suessionensis, postea Archiepiscopi Senonensis; et in opere, cui titulus; *Réfutation du Mémoire publié en faveur de l' Appel des quatre Evêques*, approbante Eminentis. Cardinali d' Alface, Archiepiscopo Mechliniensi. Quantum ad Galliam, ubi quaestio mota est, centum et decem Episcopi hanc Constitutionem acceptaruut, decem recusarunt, et quatuor tantum ad futurum Concilium generale appellarunt, ex Academiis vigintiquatuor in eodem regno, tres tantum, Parisiensis, Rhemensis, et Nannetensis acceptationem prius factam revocarunt: ergo.

Mirum est, quot effugia excogitaverint appellantes, ut vim hujus argumenti eluderent. igitur

Dicunt 1. equidem Ecclesiam in Conciliis congregatam esse infallibilem, at non dispersam.

R. hoc assumptum esse falsissimum, et aperte contradicens Christi promissionibus: promisit enim Christus, se futurum cum Ecclesia omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Nunquid omnibus diebus congregantur Concilia? Nunquid Ecclesia dispersa non est vera Christi Ecclesia, quae deficere non potest? Quin imo Ecclesia in Concilio congregata non est infallibilis, nisi quia repraesentat universam Ecclesiam dispersam: ergo a fortiori haec est infallibilis. Adde, quod alias Christus non satis providisset suae Ecclesiae; donec enim congregaretur Concilium generale, quod quandoque non nisi post saecula potest congregari, grassarentur haereses, et totam Ecclesiam inficerent.

Dicitur 2. Soli Episcopi Europae acceptarunt.

At unde id sciunt? Et esto, quid inde? Nunquid concilium Tridentinum (idem dic de pluribus aliis) non est oecumenicum, quia illi non adfuerunt Episcopi Americae, et Indiarum Orientalium? Nunquid constitutiones contra Bajum, Jansenium, Molinos etc. non sunt acceptatae ab Ecclesia, quia forte non fuerunt missae ad Indos, aut Americanos? Sufficit ergo acceptatio expressa Ecclesiae in ea parte mundi, in qua residet supremum ejus Caput, et est major Episcoporum multitudo, quia inde potest aliis innotescere: nec satis Christus providisset suae Ecclesiae, si expectari deberet consensus illorum, qui in extremis mundi partibus morantur; ita respondebat Augustinus Juliano lib. 1. contra Julianum c. 4.

Dicunt 3. Episcopi non acceptarunt libere constitutionem: quidam metu inquisitionis, omnes metu excommunicationis latae in non acceptantes.

R. 1. metum sive inquisitionis, sive excommunicationis non auferre libertatem in acceptanda constitutione, sicut metus poenarum inferni, aut suspendii, non aufert libertatem in observandis legibus, sive divinis, sive humanis. 2. Christus promisit, quod portae inferi, id est terrores, percussiones, exilia, incarcerationes, secures, patibula, omnia tormenta Diaboli non praevalerent adversus Ecclesiam: praevalerent autem, si metu inquisitionis, aut excommunicationis Episcopi acceptarent falsa dogmata.

Instant. Saltem extra Galliam Episcopi acceptarunt constitutionem ex motivo infallibilitatis Papae : atqui istud motivum est falsum : ergo acceptatio in eo fundata est illegitima, et nulla.

R. 1. Data nunc minori, quam alibi probabimus falsam, N. conseq. Quia infallibilitas Ecclesiae non innititur motivis, et rationibus, quibus Episcopi moveri possunt ad judicium ferendum in rebus fidei, sed assistentiae Spiritus Sancti sibi promissae, qua stante fieri non potest, quod Ecclesia aliquo principio decepta inducatur in errorem ; alias portae inferi praevalerent adversus illam, et Christus non esset cum illa omnibus diebus : sufficit ergo, quod Ecclesia definierit, quavis ratione inducta id fecerit ; quia errare non potest definiendo. 2. Si valeret instantia, nutarent Bullae contra Bajum, Jansenium, Molinos, et aliae, imo nihil foret fixum in Ecclesia, neque ipsorum Conciliorum generalium decreta forent fidelibus regula fidei : quot enim, et quam variae rationes, et deliberationes singulorum, antequam deveniatur ad definitionem ? Si ergo lata definitio pendeat ex rationibus, et motivis singulorum Episcoporum definientium, necesse erit illa scrutari, an vera, vel falsa sint, ut definitio habeat vim legis, et regulae : hoc autem semel admisso concutitur Ecclesia a fundamentis, et non habet amplius ubi pedem certo figat. 3. In Concilio, quod petunt appellantes, juxta instantiam adesse non poterunt Episcopi extra Galliam ; quia fere omnes imbuti sunt opinione infallibilitatis summi Pontificis, aut tenebuntur ingrediendo Concilium hanc suam sententiam exuere, quod est absurdum. Aderunt ergo huic Concilio summus Pontifex, et Episcopi Gallicani : eritne Concilium generale ? Fallor, nec Pontifex, nec Episcopi Gallicani adesse poterunt ; sunt enim partes in lite, summus Pontifex, qui constitutionem tulit ; Episcopi Gallicani centum et decem, qui illam acceptarunt ; convocandi ergo sunt Americani, Asiani, Africani, (si forte nihil audierunt de Bulla) et hi soli sine capite sedentes constituent Concilium generale ? Papae ! quanta absurda ! et quantis chimaeris pasci amant appellantes ad Concilium generale impossibile, et plane chimaericum.

Dicunt 4. Papa prohibet examinare suam Bullam : ergo Episcopi non acceptarunt, ut judices.

R. Id nos non legere, neque in Bulla, neque in litteris *Pastoralis officii*.

Instant. Saltem exigit omnimodam obedientiam Bullae: ergo non fuit licitum Episcopis illam examinare.

R. N. conseq. saltem si intelligatur de propositionibus contentis in Bulla ; dirigitur enim Bulla ad fideles secundum cujusque conditionem : Episcopi autem sic sunt subditi Papae, ut sint etiam cum, et sub illo doctrinae judices : Pontifex igitur ut superior exigit ab omnibus fidelibus, consequenter ab Episcopis, ut subditis, obedientiam suae constitutioni, sicut legislator in civilibus exigit obedientiam suae legi, ita ut Episcopi teneantur acceptare constitutionem ut legem pontificiam, non tamen ut legem Ecclesiae, nec prohibentur ut judices doctrinae examinare, si non Bullam ipsam, saltem propositiones in ea damnatas, et siquid inveniant fidei minus consonum, illud reverenter exponere Pontifici, quod cum non fecerint, exceptis admodum paucis, lex pontificia facta est lex Ecclesiae.

Nec refert, quod Papa nunquam revocet, quod semel pronuntiavit ex cathedra ; id enim signum est, quod nunquam docuerit ex cathedra aliquid contra fidem, aut mores : non enim permitteret Spiritus sanctus, qui semper adest Ecclesiae, quod Episcopi omnes acceptarent doctrinam fidei, aut moribus contrariam. Denique Bullae contra Bajum, Jansenium, Molinos, et aliae sub eodem tenore latae sunt, quo tamen non obstante, sic acceptatae sunt ab Ecclesia, ut sint modo leges Ecclesiae, et fidei regulae.

Dicunt 5. Episcopi non sunt unanimes in sua acceptatione, alii acceptarunt simpliciter, alii relative ad suas explicationes : ergo.

R. omnes acceptasse simpliciter, nullum relative, relationé scilicet restringente

Bullam ad suas explicationes, quasi sensus Bullae foret erroneus, aut non posset habere alium sensum legitimum, quam sensum explicativum, sed adjunxerunt explicationes. suae acceptationi, tantum ut praevenirent abusus Bullae, qui fieri possint, acceptatio autem hoc sensu relativa non impedit acceptationem simplicem. Sic acceptamus simpliciter Scripturam, eam tamen explicamus contra falsas haereticorum interpretationes, et ad instructionem fidelium, non vero ut restringamus ejus sensum ad nostrum, quasi ipsius sensus foret falsus, aut non posset esse legitimus alius a nostro.

Dicunt 6. Constitutio damnat vago, et indeterminato modo centum et unam propositiones respective ut falsas, erroneas, male sonantes, scandalosas, haereticas, etc. Atqui hujusmodi constitutio non potest esse regula fidei: ergo. Prob. min. Fides debet habere objectum fixum: atqui incertum nobis relinquitur, quae propositio sit erronea, quae scandalosa, quae haeretica etc. Ergo.

R. N. min. Ad prob. D. min. Nobis incertum relinquitur, quae propositio sit erronea, quae haeretica, etc., et hoc est objectum constitutionis, N. et non est objectum constitutionis, C. non ergo constitutio obligat, ut credamus hanc, vel illam propositionem in particulari, vel scandalosam, vel haereticam, etc. sed ut credamus nullam esse, super quam non cadat aliqua qualificatio, nec ullam esse qualificationem, quam non mereatur aliqua propositio, uno verbo omnes has propositiones esse defectuosas, et nullam posse sustineri: hoc autem objectum est fixum, et determinatum. Sit paritas: Medicus expertissimus, et fide dignus monet convivas, omnia fercula convivii esse venenata, non explicando qualitatem veneni, quod cuique ferculo competit, an sit frigidum, an calidum, an statim necans, an causans languorem, etc. Objectum fidei humanae in convivis est, quod haec fercula sint vitiata, et vitanda, et hoc sufficit, ut nullus ex eis quidquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualitate venenorum. Similiter in nostro casu: Ecclesia non exigit, quod credam, aut dicam hanc propositionem esse haereticam, illam male sonantem, istam scandalosam, etc. sed solum quod habeam omnes, ut defectuosas, et jure damnatas, quarum nullam ideo possim sustinere. Insuper non aliter damnatae sunt propositiones Wiclefi, et Joannis Hus in Concilio Constantiensi, propositiones Baii, libri *Maximes des Saints*, et aliae; quo non obstante, constitutiones adversus illas sunt ab Ecclesia acceptatae ut regulae fidei.

Dicunt 7. posse contingere, quod major pars Episcoporum cum summo Pontifice, paucis admodum exceptis ex adverso reclamantibus, errorem definiat, ac pertinaciter defendat: ergo ex acceptatione constitutionis a majori parte Episcoposum nihil potest extundi pro ejus infallibilitate. Prob. ant. ex Concilio Ariminensi, et Seleuciensi, ubi major pars Episcoporum haeresi Arianae subscripsit: ergo.

R. N. Ant. quod est totius religionis eversivum: hoc enim semel admisso, Ecclesia non est amplius catholica, ut patet, nec visibilis; cui enim parti credent fideles, si non majori auctoritati? debebunt discutere cujusque rationes, cujus tamen discussionis sunt ut plurimum incapaces, et suo privato spiritui fidere, quod est basis haerescos Lutheranae, et Calvinistae: et his haereticis nobis falibilitatem Ecclesiae objicientibus, nihil quod respondeamus, habebimus: unde Augustinus ex professo probat contra Donasticas, Ecclesiam apud eos non esse; quia licet inter eos numerarentur trecenti Episcopi, hi tamen erant pauci comparative ad caeteros, et concludebantur intra limites Africae. Insuper nullus haereticus, nulla haeresis poterint unquam damnari, nulla enim est causa adeo perversa, quae non inveniat aliquos patronos.

Ad probationem: in primis falsum est Patres Seleucienses subscripsisse Arianismo, nihil enim eo in Concilio ob sententiarum dissensionem fuit definitum. 2. Falsum est Patres Ariminenses subscripsisse haeresi Arianae: subscripserunt namque formulae secundum se catholicae, sed qua, propter omissionem ὁμοούσιον ex fraude Arianorum, hi abutebantur. 3. Falsum est majorem partem Episcoporum

totius Ecclesiae huic perfidiae Arianae subscripsisse. 4. Tandem falsum est Patres Ariminenses quoad suam subscriptionem conjunctos fuisse summo Pontifici; Liberius enim Papa jam a biennio sibi redditus, et Romam redux, fidem Nicaenam palam profitebatur, et propugnabat. Primum et quartum constant ex omnibus Historicis; secundum et tertium probavimus in tractat. de Trinit. digress. 3. ad dissertat. proem. in opere majori. Illuc recurre.

Observandum tamen est, quod dum quidam Patres dicunt tempore Conciliorum Ariminensis, et Seleuciensis, omnes, paucis exceptis, tempori obsecundasse, et peste, seu perfidia Ariana fuisse infectos; vel non loquantur de universa Ecclesia, sed de quibusdam provinciis Asianis, in quibus maxime grassabatur haec haeresis; vel intelligant pestem Arianam pervasisse omnes provincias, et ubique esse diffusam, non tamen infecisse omnes; vel loquantur hyperbolice, et per exaggerationem propter multitudinem illorum, qui videbantur defecisse; vel tandem per haeresim, seu perfidiam intelligebant formulam subdolam, cui subscripserant Patres Ariminenses, quae licet esset in se catholica, favebat tamen Arianis, qui ea abutebantur propter omissam vocem *Consubstantialis*. Vide locis citatis de Trinitate.

Dicunt 8. Plures propositiones Quesnelli iisdem plane terminis leguntur in Sanctis Patribus; ergo hi etiam sunt damnandi.

R. D. ant. Plures propositiones iisdem plane terminis, et eodem sensu leguntur in Sanctis Patribus N. sensu diverso, C. sensus enim alicujus propositionis eruitur non ex solis verbis, quibus componitur, nude spectatis, sed spectatis respective ad circumstantias, et conditionem auctoris, et temporis: unde N. consequens.

Dicunt 9. Summus Pontifex non declaravit appellantes Haereticos.

R. eos declarasse ab Ecclesiae communione separatos, quod valde est affine. Quod si aliud non expresserit Pontifex, id fecit ex prudenti oeconomia, sperans fore ut appellantes lenitate potius quam severitate essent revocandi.

Dicunt 10. Pater Quesnel fuit damnatus inauditus. Item, cur toties rogatus Pontifex noluit explicare suam Constitutionem?

R. ad primum. Non agebatur de persona Quesnelli, quae ne quidem fuit nominata; sed agebatur de ejus libro: liber autem est simul sui accusator, testis, et patronus, et ad eum probandum, vel damnandum sufficit legere, et sensum intelligere: unde quidquid dixisset Quesnellus, forte probasset, suam mentem, et intentionem fuisse rectam, at non sensum obvium sui libri esse orthodoxum.

Ad secundum, Pontifex explicavit suam Bullam, dum in litteris *Pastoralis officii* declaravit, per eam non damnari sententias in scholis catholicis tradi solitas. Quibus non sufficit haec explicatio, non sufficissent ampliores. Aliunde non tam explicationem, quam revocationem petebant. *Silebat Sacer Ordo*, inquiebat Facultas Theologica Parisiensis in instrumento suae appellationis, *pro sua in S. Sedem, sanctissimum D. Clementem filiali observantia, ac reverentia, et sperabat fore ut Sanctitas sua tantis malis commota, praedictam tandem constitutionem revocaret*. Item vel explicationes fuissent conformes proprio sensui Bullae, vel difformes. Si prius, illas rejecissent ut ipsam Bullam, aut explicationem explicationum petiissent, et sic sine fine. Si posterius, jactassent Bullam indiguisse emendatione, et esse reformatam, novamque, priori reprobata, editam esse.

Pluribus supersedeo quia morientibus appellantibus nunc communiter admittitur Constitutio, ut lex Dogmatica, seu ut dicit Benedictus XIII in Concilio Romano, ut Regula Fidei, non hoc sensu quod contineat prima, et praecipua elementa Fidei, sicut Symbolum Apostolorum, sed quia fidelis debet juxta illam se gerere in his, quae continet, et credere, ea quae damnat, esse legitime damnata, sicut credit, Dogmata Calviniana a Tridentino damnata esse legitime damnata.

Articulus VII.

Utrum Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum.

Canonizatio est publicum Ecclesiae testimonium de vera Sanctitate, et gloria alicujus hominis defuncti. Est autem per modum Judicii, quo homini canonizato decernuntur honores, qui cum Deo regnantibus debentur. Differt Canonizatio a Beatificatione. 1. Quod Canonizatio sit ultima, et definitiva sententia de sanctitate, et gloria alicujus, non vero Beatificatio, post eam enim adhuc requiruntur novae informationes, ut perveniatur ad Canonizationem. 2. Beatificatio non tam est sententia, quam indulgentia, seu permissio, ut alicui deferatur cultus Religiosus non in tota Ecclesia, saltem regulariter, sed in aliqua Provincia, vel Religione. Praevia discussio, et approbatio sanctitatis, seu Canonizatio fiebat olim ab Episcopo. vel Primate pro suis Ecclesiis tantum, sed cultus in eis institutus ex Populorum Devotione, accedente consensu tacito, vel expresso summi Pontificis, saepe extendebatur ad alias Ecclesias; Verum cum in hoc quidam Episcopi aliquando modum excessissent, aut aliunde irrepsissent abusus in cultu Sanctorum, Alexander III. cap. *Audivimus* de Reliquiis, et venerat. Sanctorum jus canonizandi sanctos soli sedi apostolicae reservavit.

Dico: 1. Ecclesia est infallibilis in Canonizatione Sanctorum. Est communior, et probabilior. Prob. Ecclesia est infallibilis in communi Doctrina morum. Atqui canonizatio Sanctorum videtur pertinere ad communem doctrinam morum. Ergo. Pr. Min. Ecclesia canonizando aliquem, obligat fideles, ut eum habeant pro sancto, eumque ipsis proponit ut colendum, et imitandum. Atqui haec videntur spectare mores. Ergo. Confirm. Ecclesia est sancta. Atqui si proponeret colendum, et imitandum impium, et damnatum, eumque ut talem haberent fideles, id graviter derogaret sanctitati Ecclesiae. Ergo.

Quod hic dicimus de Canonizatione, videtur dicendum licet non eadem certitudine de Beatificatione, quia licet Ecclesia in Beatificatione non definiat ultimate, concedit tamen, et approbat cultum hujus, vel illius, in qua concessione, et approbatione si erraret, suae infallibilitati in doctrina Morum, suae sanctitati, et suo honori derogaret eodem fere modo, quo dictum est de Canonizatione.

Dico 2. Non videtur esse de Fide, quod Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum, neque consequenter quod ab Ecclesia canonizatus sit Sanctus, et Beatus Prob. 1. Pars. ex S. Thoma *Quodlib. I. art.* 16 qui Judicium Ecclesiae in Canonizatione Sanctorum ponit medium inter judicium Ecclesiae de Rebus Fidei, et judicium de factis particularibus, et dicit non quod sit de Fide, sed sit *Pie credendum, quod in his Judicium Ecclesiae errare non possit*. Prob. 2. Quamvis sit Fide certum, Ecclesiam esse infallibilem in communi Doctrina morum, non est tamen eadem fide certum Canonizationem Sanctorum pertinere ad communem Doctrinam morum, neque id omnes concedunt. Ergo. 3. Nulla extat Ecclesiae definitio de sua infallibilitate ut Fidei divinae in Canonizatione Sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc sequitur 2. pars si enim non sit de Fide, quod Ecclesia sit infallibilis canonizando aliquem. Ergo a fortiori, neque quod iste canonizatus sit Sanctus, cum aliunde non sit revelatum, neque immediate, ut per se patet, neque mediate in ipsa infallibilitate Ecclesiae cum, ut dictum est, non sit certa de Fide.

Hinc inferes, quod qui negaret, aliquem ab Ecclesia canonizatum esse Sanctum, et in Gloria, non esset haereticus, sed esset 1. temerarius, quia contradiceret communi Ecclesiae sensui in re fundatissima, et cujus oppositum non habet idoneum fundamentum. 2. Esset scandalosus, quia retraheret Fideles a cultu Sanctorum 3. Impius, quia faceret injuriam Ecclesiae, et ipsis Sanctis. 4. Saperet hae-

resim Sectariorum, qui irrident Canonizationes, quas facit Ecclesia, et negant Cultum, et invocationem Sanctorum.

[Ex dictis facile patent Regulae legitimae argumentationis ex auctoritate Ecclesiae, quae breviter recensentur.

Regula 1. Nullius alterius Ecclesiae praeterquam Romanae catholicae Auctoritas per se praebet efficax argumentum in his, quae Fidem, vel mores attinent. Cum enim una duntaxat sit vera Christi Ecclesia, eaque Romano - Catholica, reliqui coetus, uti suam a Christo originem probare nequeunt, ita nec Auctoritatem ab eodem acceptam.

Regula 2. Ex communi consensu totius Ecclesiae catholicae, seu antiquae, seu modernae in amplectenda indubitanter aliqua veritate, vel rejicienda aliqua falsitate in materia ad Fidem, vel mores pertinente, firmum petitur argumentum ad ejusmodi veritatem amplectendam, vel falsitatem rejiciendam. Non potest enim tota Ecclesia Christi a fide deficere, nec tota errare sive antiqua, sive moderna. Cavendum tamen Theologo, ne pro Doctrina universalis Ecclesiae proferat, quod tale revera non est. Constabit autem esse, in primis ex Declaratione totius Ecclesiae repraesentative, tum etiam ex Testimoniis SS. Patrum, vel aliorum gravium Scriptorum, quae moralem certitudinem faciant de consensu omnium Ecclesiarum. Hinc sequitur,

Regula 3. Si quidpiam velut ad Fidem, Moresque pertinens indubitanter tenuerit Ecclesia priorum Saeculorum, inde efficax argumentum trahetur ad probandum, idipsum a quovis hujus aevi Orthodoxo pro tali esse habendum. Sic pro reali praesentia Christi in S. Eucharistia ex eo quod ante Berengarium nullus Catholicus dubitavit, efficaciter argumentatur contra Sacramentarios.

Regula 4. Judicium dogmaticum Ecclesiae repraesentativae, seu Antiquae, seu Modernae, sive in Concilium congregatae, sive per orbem dispersae, praebet Theologo firmum argumentum ad evincendum id esse indubitanter verum, aut falsum, quod illa pro tali habendum esse declarat. Quamvis enim Ecclesia posterior hoc pacto nova dogmata non procudat, aut novas Revelationes circa illa accipiat, eruit tamen ex Scripturis, vel Traditione, in quibus obscurius aliquo tempore delituerant, multa Religionis capita, in quibus determinandis ipsi etiam SS. Patres diu multumque desudarunt, atque subinde etiam ab invicem dissenserunt; esto eadem simul cum aliis omnibus Fidei Dogmatibus a Spiritu Sancto pridem Apostolis divinitus fuerint manifestata, et ab his Ecclesiae concredita. Sic disputatum fuit de valore Baptismi ab Haereticis collati, sic de gloria sanctarum Animarum haud differenda usque ad Corporum Resurrectionem, quod concilium Florentinum definivit.

Regula 5. Non enervatur argumentum ab Auctoritate Ecclesiae depromptum, ex eo quod pauci respective Episcopi illius definitioni refragentur. Probatur ex S. Augustino qui, cum idem argumentum contra Cresconium usurpasset, ejus exceptionem his Verbis redarguit: *Contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto Orbe displicuit, curanda non est Auctoritas* 50. *vel* 70. *aliorum. Lib.* 3. *cont. Cresc. c.* 3. Deinde argumenta, quibus Catholici contra Calvinistas ex Tridentini definitionibus pugnabant, enervare minime potuerunt 10. illi Galliae Episcopi, qui novatoribus ipsis favebant. Ex quibus liquet, quam debili scuto adversus Orthodoxae Ecclesiae fulmina tueri se tentent Janseniani, objectis 15 fere Episcopis, qui illa contempserunt, nisi absolute prorsus contendant, sic ipsos quidem Pelagianos, quibus 18. Episcopi adversus Innocentii I. ipsos damnantis constitutionem a reliquis receptam, oblatrantes favebant, legitimo judicio fuisse damnatos; imo neminem seu Episcopum, seu alium damnari posse ut Haereticum, nisi volentem.]

DISSERTATIO IV.

De Summo Pontifice.

Articulus I.

De Primatu S. Petri.

Haec quaestio praeludium est ad quaestionem de Primatu summi Pontificis: cum enim Romanus Pontifex sit successor sancti Petri, quam iste habuerit auctoritatem in Ecclesia, hanc habet Romanus Pontifex: unde quae dicam pro primatu S. Petri, probant primatum Romani Pontificis.

Dico. Petrus isque solus est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiae: sive soli Petro collatus est a Christo primatus non solum honoris et dignitatis, sed potestatis et jurisdictionis in Apostolos, et universam Ecclesiam.

Prob. 1. ex duplici loco Scripturae. Primus est Matth. 16, ubi Christus Petro prae caeteris Apostolis confitenti, quod esset Filius Dei, extemplo vices, et praemium confessionis rependens, dicit ipsi; *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est; et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Quibus verbis, sensu obvio acceptis, significatur, primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet fundamenti, et clavium; quod enim est in aedificio fundamentum, hoc est in corpore caput, in civitate Rector, Rex in regno, paterfamilias in domo; et cui traduntur claves, ipse instituitur Rex, aut Gubernator civitatis. Subsumo: atqui haec verba nulli alteri ex Apostolis quam Petro convenire possunt: ergo. Prob. min. Nullus praeter Petrum confessus fuerat divinitatem Christi, nullus praeter ipsum poterat dici *Simon Barjona*, seu filius Jonae, nullus praeter ipsum vocatus est *Cephas*, quod interpretatur Saxum, Petra, seu Rupes: non enim dixit Christus, ut habet versio latina, Tu es Petrus, sed Syriace loquens, *tu es Cephas*, hoc est, tu es Saxum, seu Petra, et super hoc Saxum seu Petram, ubi pronomen *hanc*, manifeste indicat petram, de qua prius facta est mentio, quasi diceret: Tu es Petra, super quam aedificabo Ecclesiam meam. Ideo autem Latinus Interpretes vertit, *Tu es Petrus*, et non *Tu es Petra*, quia secutus est codicem graecum, qui habet *Petros*, graece vero tam *Petros*, quam Petra significabant lapidem, et visum est Interpreti Latino convenientius homini tribuere nomen masculinum *Petrus*, quam faemininum Petra: ergo eis verbis soli Petro concessus est primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere SS. PP. praesertim August. quem opponunt Sectarii, scilicet in Psal. 60. et serm. 29 de Sanctis.

Alter locus Evangelii est Joan. 21., ubi Christus quod promiserat Petro Matth, 16. citato, propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem: *Simon Joannis diligis me plus his? Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Constat 1. haec verba, ut ante, non posse alteri convenire quam Petro; designatur enim nomine proprio et patris, *Simon Joannis*; ter ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trinae negationi; ipsum interrogando excludit caeteros dicens: *Diligis me plus his*, ideoque ipse Petrus proprio, et non aliorum nomine respondit; *Tu scis Domine, quia amo te*; cum aliunde scire non posset, an alii ipsum diligerent. Constat. 2. universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam: non enim committit illi has, aut illas oves, seu agnos,

sed indefinite *oves meas*, *agnos meos*. Omnes autem fideles sunt oves Christi, vel agni; per agnos significatur populus, per oves Pastores: unde Bernard. l. 2. de consid. cap. 9. *Cui* inquit, *non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum, sic absolute, et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas? Quas? Illius vel illius populos civitatis aut regni? Oves meas*, inquit, *cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes! Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Atque ita hunc locum communiter exponunt SS. PP., proindeque traditione confirmatur conclusio, quam etiam attestatur Concil. Chalcedon. Act. 3. ubi dicit de S. Petro: *Qui est Petra, et crepida Catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum.*

Prob. ratione theologica. Christus in Ecclesia instituit regimen monarchicum, in quo unus extat supremus Princeps, qui plena auctoritate rerum summam administrat: ergo non instituit ex aequo omnes Apostolos totius Ecclesiae Principes, et Rectores, sed unum duntaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus, ut ex dictis patet; nec alium assignant Haeretici.

Prob. multipliciter aut. 1. Ecclesia Daniel. 2. comparatur regno, Cantic. 6. exercitui ordinato, 1. Pet. 3. navi, Joan. 10. ovili: atqui haec omnia ab uno supremo moderatore gubernantur: ergo.

2. Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiae regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, *per quem Reges regnant, et legum conditores justa decernunt*. Proverb. 8. Atqui optimum regimen multitudinis est, ut regatur per unum. ergo. Prob. min. ex fine regiminis, qui est pax, et unitas subditorum: atqui unus est congruentior causa unitatis, et concordiae, quam multi; quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniuntur: manifestum est enim, quod plures non possunt unire et concordare, nisi ipsimet aliquo modo conveniant, et uniantur: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj 1. Ex laudato cap. 16. Matth. nihil erui potest pro primatu S. Petri, quia per has particulas, *Et super hanc Petram*, non intelligitur Petrus, sed Christus, ut docet Aug. Tract. ultimo in Joan. dicens: *Super hanc Petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam*; ergo.

R. Augustinum equidem utramque expositionem tradidisse, idque ipse agnoscit l. 1. Retract. c. 2. ubi neutram alteri praeponit, sed judicio lectoris relinquit: *Harum duarum sententiarum*, inquit, *quae sit probabilior, eligat lector*, dicitque nostram *cantari ore multorum versibus S. Ambrosii*, quia cum sit longe conformior textui, ut probatum est, eamque communiter tradant SS. Patres, omnino praeferenda est.

Si petas, cur Augustinus hanc alteram expositionem, ut in instantia, pluribus in locis tradiderit?

Respondent plures, id contigisse ex ignorantia linguae Hebraicae, seu Syriacae. Ratio enim, quam loco citato Retract. adfert S. Doctor, cur haec verba: *Et super hanc Petram*, ad Christum, et non ad Petrum retulerit, est, quia, inquit, *non est dictum illi* (Petro) *tu es Petra, sed tu es Petrus, Petra autem erat Christus*; existimans *Cephas* non significare Petram, sed aliquid derivatum a Petra, quasi petrinum, ut saxeum a saxo, hacque de causa latinum interpretem vertisse *Tu es Petrus*, et non, *Tu es Petra*: et quia Ecclesia super Petram, et non super aliquid petrinum erat aedificanda, existimavit S. Augustinus per illam Petram non intelligi Petrum, sed Christum, de quo dictum est, *Petra erat Christus*: si ergo S. Doctor advertisset *Cephas* nihil aliud significare, quam petram, aut saxum, et Christum dixisse: *Tu es Petra, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, procul dubio expositionem nostram ubique secutus fuisset.

Obj. 2. Christus Matth. 18. caeteris Apostolis parem ac Petro contulit potestatem, cum illis dixit: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis*, etc. Ergo.

R. Dato potestatem ligandi, et solvendi esse aequalem potestati clavium, quod negat Cajetanus cap. 5. et 7. de primatu summi Pontificis, D. ant. Christus concessit parem potestatem Apostolis, ac Petro, et eodem modo, N. et diverso modo, C. Concessit enim Apostolis ut delegatis, Petro ut pastori ordinario, Apostolis dependenter, et subordinate Petro; huic independenter, et supreme. cur enim, ut observavi, Matth. 16. soli Petro coram aliis dicitur: *Tibi dabo claves*, et Joan. 12. *Pasce oves meas*; idque ob singularem ejus fidem, et dilectionem, si nihil prae caeteris acceperit?

Inst. 1. Christus Matth. 28., et Joan. 20. aequaliter mittit omnes Apostolos, et omnibus pariter dicit: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos: Euntes ergo docete omnes gentes, etc.* Item Act. 8. Petrus missus fuit ab Apostolis; non est autem superioris mitti ab inferioribus.

R. Ad primum, ex missione Apostolorum sequi, eos pares fuisse Petro in ratione Apostolatus, non ratione officii pastoralis, ut jam dictum est, et magis explicatur modo.

Ad secundum, Apostoli miserunt Petrum non imperio, sed consilio, non jubendo, sed consulendo, et suadendo, sicut Capitula quandoque mittunt suos Praepositos, imo regis consiliarii regem pro rerum gerendarum gravitate, et exigentia.

Inst. 2. S. Cyprianus l. 2. de unitate Ecclesiae dicit: *Hoc erant utique caeteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris, et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur; et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur*: ergo.

R. D. ant. S. Cyprianus dicit caeteros Apostolos fuisse pares Petro consortio honoris, et potestatis in ratione Apostolatus, C. in ratione Episcopatus seu officii pastoralis, N. Itaque quoad auctoritatem Apostolatus fuerunt caeteri Apostoli pares Petro, quia poterant ubivis gentium praedicare, Sacramenta ministrare, Spiritum Sanctum impertiri, miracula edere, libros sacros scribere, fundare Ecclesias, leges condere, et Episcopos creare, sed ut delegati, et jure extraordinario, atque S. Petro subordinati: Petrus autem haec poterat ut pastor ordinarius, jure suo ordinario, aliis Apostolis non subordinatus, ita ut ipse eorum legibus non adstringeretur, cum ipsi legibus Petri tenerentur, si quas tulisset pro sedando schismate, haeresi comprimenda, vel aliter pro communi Ecclesiae bono: eo fere modo ac si Papa mitteret legatum ad Indos orientales cum plena potestate faciendi omnia, quae videbuntur necessaria, vel utilia his Missionibus; ipse posset quod Papa potest, sed diverso jure, ille ut delegatus, et jure extraordinario, Papa ut pastor ordinarius, et jure ordinario. Hanc esse mentem Cypriani indicant ipsa verba objecta; *sed*, inquit, *exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.* Habet ergo Petrus primatum pro servanda unitate Ecclesiae, quae servari non posset, si non esset primatus auctoritatis, et potestatis ad sedandas dissensiones, schismata tollenda, et alia mala, quae Ecclesiae unitatem laedere possent, removenda. Item eodem lib. 2. de Unit. Ecclesiae aperte pronuntiat haec Christi verba, *super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*, referri personaliter ad Petrum, et *super unum Petrum esse aedificatam Ecclesiam.*

Itaque in tribus potestas Petri praecellit potestati caeterorum Apostolorum: 1. Quod esset in Petro tamquam in pastore ordinario ad suos successores transmittenda: in Apostolis autem esset, ut in delegatis, quatenus necessaria erat exercendo Apostolatui in universo mundo, nec ob locorum distantiam facile poterant in casibus emergentibus Petrum convenire. 2. Quod potestas Petri se extenderet supra caeteros Apostolos, non potestas Apostolorum supra Petrum. 3. Quod Petrus pote-

rat ferre leges generales pro tota Ecclesia, Apostoli autem particulares pro Ecclesiis, quas fundabant.

Articulus II.

De Primatu Romani Pontificis.

Dico. Romanus Pontifex habet primatum auctoritatis in universam Ecclesiam. Est de fide.

Prob. 1. ex articulo praecedenti, Tota auctoritas Petri, qua pastoris, et rectoris totius Ecclesiae, quae fuit suprema, ut dictum est, transmissa est ad ejus successorem: atqui Romanus Pontifex est successor Petri: ergo. Maj. constat; quia cum Christus Ecclesiam fundaverit perpetuo duraturam, debuit in ea formam regiminis perpetuam instituere, quae moriente Petro non cessaret, sed ad ejus successores transiret. Min. etiam constat: quotquot enim ex Patribus, qui catalogum Romanorum Pontificum texuerunt, ut Optatus Milevit. l. 2. cont. Parmen., Aug. epist. ad Generosam 165. etc, originem successionis a S. Petro ducunt; magis adhuc constabit ex Conciliis, et Patribus mox citandis. Unde quaecumque probant primatum S. Petri, probant simul primatum Romani Pontificis.

Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Sardicense anno 347. in epistola synodica ad Julium Papam; *Hoc optimum*, inquit, *et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes.*.

In Concilio Ephesino anno 412. Patres dicunt, *se coactos* per epistolam Caelestini Papae, ferre sententiam in Nestorium.

In Concilio Chalcedonensi anno 451. Act. 2. postquam lecta fuit S. Leonis epistola: *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Haec Patrum fides: haec Apostolorum fides: omnes ita credimus; orthodoxi ita credunt. Anathema ei, qui non ita credit*, PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST, *Apostoli ita docuerunt.*

Actione 16. gloriosissimi Judices dixerunt: *Ex his, quae gesta sunt, et ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum, et honorem praecipuum secundum Canones, antiquae Romae Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.*

Tandem Patres Chalcedonenses S. Leonem rogant, ut suo consensu confirmare dignetur, quae statuerunt.

In concilio sexto generali Constantinop. 3, anno 608. Patres in litteris synodicis ad Agathonem Papam, quae extant post Act. 18., sic inter plura ipsum alloquuntur: *Libenter perlectis vestrae confessionis litteris a vestra paterna beatitudine missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam multiplicis erroris sectam depulimus.* Et infra: *Orthodoxae fidei splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem.*

Concilium Constantiense anno 1414. damnat hanc Wiclefi sententiam; *Quod Papa sit summus Pontifex, est ridiculum. Et Christus nec in Petro, nec in alio talem approbavit dignitatem.* Item hunc articulum decimum Joannis Hus; *Nec Romanus Pontifex est caput Ecclesiae*; et hunc 27. *Non est scintilla apparentiae quod oportet esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam.*

Concilium Florentinum anno 1439., ubi in pluribus collationibus ventilata fuit inter Orientales, et Occidentales quaestio de primatu Romani Pontificis, quem a schismate Photii negabant Orientales, tandem communi utriusque partis consensu sic definivit in decreto Unionis: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem,*

et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in sacris Canonibus continetur.

Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. *Merito*, inquit, *Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo poterant peculiari judicio reservare.*

Prob. 3. ex Patribus. Legendi sunt S. Irenaeus l. 3. adversus Haereses c. 3. Tertul. adversus Praxeam, S. Cyprianus epist. 45. et epist. 67.

S. Dionysius Alexand. de haeresi accusatus se purgavit apud Rom. Pontificem, ut refert Athanasius l. de Synodis Arimini, et Seleuciae.

Concilia Orientalia irrita habebantur nisi auctoritate Rom. Pontificis firmarentur, ut testantur Socrates l. 2. Hist. c. 5. et Sozomenus. l. 3. c. 9.

Julius Papa Athanasium a sede sua detrusum restituit, ejusque hostes ad apostolicum tribunal vocavit: apud Athanas. Apolog. 2.

S. Chrysostomus epist. 1. ad Innoc. I. ipsum rogat, ut sententiam exauctorationis in se a Theophilo Alexandrino latam rescindat.

S. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam: *Beatitudini tuae*, inquit, *id est cathedrae Petri communione consocior: super ipsam petram aedificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum: quicumque tecum non colligit, dispergit; hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est.*

S. Aug. epist. 157. 162., et l. 1. ad Bonifac. cap. 1., S. Prosper carmine de ingratis:

> *Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris*
> *Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,*
> *Religione tenet.*

S. Bernardus l. 2. de considerat. c. 8. ad Eugenium: *Tu* inquit, *potestate Petrus, unctione Christus. Sunt quidem et alii coeli janitores, et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius prae caeteris nomen haereditasti. habent illi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus; nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus Pastor....* et postquam id probavit, sicut nos, ex Matth. 16., et Joan. 21. sic concludit: *Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.*

Clerus Gallicanus in Conventu habito Parisiis anno 1681. de Romano Pontifice sic loquitur: *Caput est Ecclesiae, centrum unitatis; obtinet ille in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis, sibi a Christo Jesu in persona Petri collatum; qui ab hac veritate dissentiret, Schismaticus, imo et Haereticus esset.* Idem docet Gerson de statibus ecclesiasticis considerat. prima

Ex his itaque Conciliis, SS. Patribus, et scriptoribus ecclesiasticis habemus, sedem Romanam esse cathedram Petri, Romanum Pontificem esse successorem Petri, Romanos Pontifices causas fidei ut supremos judices diremisse, appellationes dejectorum Episcoporum recepisse, restituisse suis sedibus immerito exauctoratos, mulctasse censuris aliarum Ecclesiarum etiam Orientis Antistites, vel eos communione donasse, Concilia probasse, vel respuisse, jus denique dixisse caeteris Patriarchis et Episcopis: haec autem esse primatus jurisdictionis invictissima argumenta nemo non videt.

Et hinc sic formo argumentum. Ea est, ac semper fuit ab initio constans Ecclesiae fides, Romanum Pontificem esse successorem Petri, esse supremum totius Ecclesiae Pastorem, et Caput: atqui Ecclesia errare non potest in agnoscendo suo supremo Pastore, et Capite; alias portae inferi adversus illam praevalerent: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Canon 6. Concilii primi Nicaeni sic habet: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus harum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romae Episcopo parilis mos est, similiter autem et apud Antiochiam*, etc. Quibus verbis videtur coarctari potestas Romani Pontificis ad certas provincias, sicut potestas Alexandrini Episcopi.

R. D. ant. His verbis coarctatur potestas Romani Pontificis, ut est Romanus Pontifex Petri successor, N., ut est Patriarcha Occidentis, C, Ad cujus intelligentiam observandum est, plures esse in Romano Pontifice praerogativas. 1. Est Episcopus ordinarius urbis Romae, et ejus territorii. 2. Est Metropolitanus Romanae provinciae. 3. Est Primas, seu, ut olim dicebatur, Exarcha, seu Metropolitanus major provinciarum Italiae, cui Metropolitani inferiores subordinantur. 4. Est Patriarcha Occidentis. 5. Est totius Ecclesiae caput, et supremus Pastor. Comparatio igitur, quam Concilium Nicaenum instituit inter Romanum Episcopum, et Alexandrinum, non est quoad omnia jura Romani Pontificis, sed quoad jura patriarchalia tantum, quorum praecipuum erat jus ordinationum praesertim Metropolitanorum in toto Patriarchatu. Huic Canoni occasionem dedit Meletius; cum enim antiquam consuetudinem, secundum quam Episcopus Alexandrinus in Aegypti, Libyae, Pentapolis dioecesibus sacras ordinationes celebraret, aut celebrandi licentiam daret, schismate facto turbasset Meletius; Concilium Nicaenum, Canone sexto edito, asserta voluit Episcopi Alexandrini, et aliorum privilegia.

Inst. 1. Dignitas patriarchalis est posterior Concilio Nicaeno, nec in eo Canone fit mentio Patriarcharum, sed Metropolitanorum; ergo comparatio inter Episcopum Romanum, et Alexandrinum non est quoad jura patriarchalia.

R. D. ant. Dignitas patriarchalis est posterior Nicaeno quoad nomen, C. quoad rem, N. ante Concilium enim Episcopus Alexandrinus fruebatur juribus patriarchalibus, in quibus turbaverat ipsum Meletius Lycopolitanus, qui in istis provinciis ordinationes facere attentabat; usurpatum est autem in Canone nomen Metropolitani, quia tunc erat commune non solum Metropolitanis ordinariis, sed etiam Primatibus, et Patriarchis.

Obj. 2. Ex denegato Pontifici Romano appellationum jure: Si Romanus Pontifex haberet primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, posset ad eum ex toto orbe christiano appellari: atqui falsum consequens: ergo et ant.

Prob. min. 1. Concilium Milevitanum in Africa Can. 22, prohibet appellationes transmarinas, seu ad Sedem Romanam, his verbis: *Si qui provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum: ad transmarina autem qui putarent appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiantur*:

2. Episcopi Africani, inter quos convivebat Augustinus, in Concilio Carthaginensi VI. anno 418. noluerunt admittere appellationes ad Zozimum Papam, quas ejus Legati ipsi vindicare contendebant, allegatis Canonibus Concilii Nicaeni.

R. N. min. ut constat ex probationibus conclusionis, quibus adde Canones 3. 4. 5., et 7. Concilii Sardicensis anno 347., inter quos quartus sic habet: *Si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcoporum qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere; non prius in cathedram alius substituatur, quam Romanus Pontifex causa cognita sententiam tulerit.*

Insuper observandum est, quod quamvis jus appellationum sit primatui sedis apostolicae annexum, tamen Romani Pontifices illud nec semper, nec erga omnes exercuerint, sed juxta usum in pluribus provinciis introductum, consenserunt, ut simplicium Sacerdotum, et inferiorum Clericorum causae, vel ab Episcopis, vel a Conciliis provincialibus, vel a Primatibus ultimate definirentur, ne vel occasio praeberetur Clericis vagandi, vel ne ex nimia appellationum frequentia frangeretur auctoritas Episcoporum, et ii qui primo judicaverant, immerito vexarentur, atque causae alioquin faciles in longum tempus protraherentur. His praemissis

R. ad primam probationem. Concilium Milevitanum non prohibet omnium appellationes, sed Presbyterorum tantum, Diaconorum, et inferiorum Clericorum. Et hoc secundum usum receptum consentiente summo Pontifice propter rationes datas in observatione superiori.

Ad secundam probationem, R. Ecclesiam Africanam non jus, sed usum appellationum ad Sedem Romanam, equidem aliquamdiu errore facti deceptam, impugnasse; sed quem, errore non multo post deposito, agnovit, et venerata est. Explicatur: cum Apiarius Presbyter Africanus appellasset ad Sedem Romanam, idque aegre ferrent Episcopi Africani, Zosimus Papa in Commonitorio, quod dederat suis Legatis ad Concilium Carthaginense, fundabat usum appellationum ad Sedem Romanam in *Canonibus Nicaenis*, qui tamen non erant Nicaeni, sed Sardicenses: at moris erat apud sedem apostolicam citare Canones Sardicenses sub nomine Nicaenorum; quia Concilium Sardicense semper fuit habitum ut appendix Concilii Nicaeni, eo quod in Sardicensi nullus fidei Canon sit editus, sed tantum fides Nicaena confirmata, et ejus defensores vindicati. Hoc autem non attendentes Africani, scrutati sunt undequaque Canones Concilii Nicaeni, tum in codice quem apud se habebant, tum in codicibus asservatis Constantinopoli et Alexandriae, etc. et cum in eis non reperirent Canones citatos a Zosimo, collegerunt usum appellationum ad Sedem Romanam fundari in Canonibus suppositiis, et ideo illum impugnaverunt, non tamen aliquid in contrarium definiendo, sed rogando Bonifacium, et Caelestinum successores Zosimi (is enim a discessu Legatorum obierat) variis adductis rationibus, ut appellationes Africanorum deinceps non reciperet.

Verum haec nihil profuerunt, cum ips· Caelestinus appellationem iterum ejusdem Apiarii receperit, et ipsimet Episcopi Africani ab errore liberati, Antonii Fussalensis Episcopi appellationem ad sanctam sedem detulerint, ut constat ex ipso Augustino, inter Africanos tunc praecipuo, epist. 209. olim 261. ad eumdem Coelestinum.

Obj. 3. Episcoporum auctoritas est immediate a Deo, sicut auctoritas Papae juxta illud Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et S. Hieron. epist. ad Evagrium ait: *Si auctoritas quaeritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? ubicumque fuerit Episcopus, sive Romae, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriae, sive Tanis, ejusdem meriti est, et ejusdem Sacerdotii.* Ergo.

Ad primum, R. cum Sylvio l. 4. controv. a. 5, Soto, Banne, Bellarm. etc. D. ant. Auctoritas Episcop. est immediate a Deo, si per auctoritatem intelligatur potestas ordinis, C. sicut enim Christus principaliter baptizat, sic principaliter consecrat, ac confert characterem. Si per auctoritatem intelligatur potestas jurisdictionis, N. hanc enim Episcopi habent a Deo mediante summo Pontifice: quia cum regimen Ecclesiae sit monarchicum, omnis jurisdictio in uno residet tamquam in capite, a quo derivatur in alios, ut dicit S. Leo ep. 89. *Hujus muneris Sacramentum*, inquit, *ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Beatiss. Petro Apost. omnium summo principaliter collocaret, ut ab eo ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Unde Episcopi nominati, vel electi nullam jurisdictionem habent, nisi a Romano Pontifice confirmentur. Et ita censet Auct. in 4. d. 20. a 4. cont. Gent.

c. 76. ubi ait Christum soli Petro promisisse *Tibi dabo clave s regni coelorum ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivand a* . Quidam alii, ut Natalis Alexander saecul. 1. dissert. 4., Gersonius de statibus ecclesiasticis consid. 3. videntur agnoscere jurisdictionem Episcoporum esse etiam immediate a Deo, dependere tamen quoad exercitium a summo Pontifice, quod non multum differt.

Nec obstat quod dicitur Act. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, etc. Nec enim negamus, Spiritum S. instituere Episcopos, sed mediante supremo Ecclesiae capite, sicut eos, quos alloquebatur Apostolus, instituerat mediante Apostolorum ministerio.

Ad secundum, non loquitur S. Hieron. ibi de auctoritate summi Pontificis, sed de auctoritate consuetudinis urbis Romae, quam dicit esse minorem, quam auctoritatem consuetudinis totius Ecclesiae: agit enim contra consuetudinem a Diaconis Romae introductam, qui cum pauci essent, et thesauro ecclesiastico praepositi, se Presbyteris praeponebant contra jus, et antiquum totius orbis morem. Quod addit Episcopos ubique esse *ejusdem meriti*, intelligendum est de charactere Ordinis, non de potestate jurisdictionis. Confer textum Hieronymi in probationibus.

[Quoad Primatum Romani Pontificis juvat afferre, quae habet Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. 2. c. 1. „ Episcopatus Romanus, ac totius Ecclesiae Catho-
„ licae Praefectura, in praesenti rerum ordine non sunt duae distinctae sedes, ne-
„ que duae Dignitates, quae fortuito in una copulentur Romani Pontificis Perso-
„ na, quamvis secundum se spectatae tales esse potuerint. Nam Petrus univer-
„ salis Ecclesiae Pastor a Christo Domino renuntiatus, potuisset utique ea supre-
„ ma Ecclesiae Praefectura retenta, nullius particularis Ecclesiae regimen capesse-
„ re, sicut reipsa nullius specialem administrationem suscepit primis aliquot a
„ Christi Domini in Coelum ascensione annis; potuisset Antiochenam Ecclesiam,
„ quam deinde elegit, pluresque annos Episcopus gubernavit, perpetuo retinere,
„ potuisset denique Ecclesiam Romanam, ad quam postmodum suam transtulit se-
„ dem relinquere, alio se conferre, et alterius urbis peculiarem curam, seu Episco-
„ patum assumere. At cum haec, quae fieri potuerunt, minime facta sint, sed
„ Petrus suam sedem Romae fixerit, per annos viginti quinque firmiter retinue-
„ rit, et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino prae-
„ cepto, seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex so-
„ la voluntate Petri, licet divinitus inspirata: inde factum est, ut supremi Pon-
„ tificatus praerogativa ita insita remanserit Romanae sedi, ut qui in hac Petro
„ succedit, necessario succedat in totius Ecclesiae primatu Petro, ejusque le-
„ gitimis successoribus a Christo collato, quemadmodum bene explicant Card.
„ Bellarm. etc. Quamvis itaque possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiae
„ Monarchiam jure tantum humano esse annexam Sedi Romanae, quia nimirum
„ utriusque unio, nexus, et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non
„ videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt praefatam annexionem
„ ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, et una ab altera se-
„ parari. Etenim posito quod Petrus suam sedem stabiliter Romae collocaverit,
„ et Romanam regens Ecclesiam obierit, nullus qui Episcopus Romanus non
„ sit, potest dici verus Petri successor, ac propterea numquam ad eum re-
„ ferri possunt verba Christi Domini: *Pasce oves meas* Jo. 21, quibus univer-
„ salis Ecclesiae curam Petro, ejusque successoribus commisit. Quare jure ac me-
„ rito ejusmodi paucorum opinionem refellunt, et censura perstringunt Melchior
„ Canus, aliique non pauci Theologi „ Notandum tamen Primatum non esse prae-
cise annexum Loco Romano, seu Romanae Urbi, sed hujus Urbis antistiti, ubi-
cumque is moretur, quia ubicumque fuerit, manet *Romanus* Pontifex, et ibidem
esse censetur Romana sedes, et Petri Cathedra. Quare totis illis 70. annis, quibus

Pontifices Avenione habitaverunt, manebant Episcopi Romani, et illic erat Roma, seu sedes Romana, illiusque Primatus ibidem durabat.]

Articulus III.

De Infallibilitate, seu inerrantia summi Pontificis in definiendis quaestionibus Fidei, et Morum.

§. I. *Praenotanda*

Nota. 1. hominem, qui est Papa posse considerari dupliciter, ratione suppositi, et ratione officii, seu ut hominem privatum, et ut summum Pontificem Christi Vicarium, et utroque modo consideratum posse loqui. Tunc loquitur ut homo privatus, quando ex propria mente, non ex plenitudine potestatis librum interpretatur, privatam opinionem aperit, quaestionem tractat et resolvit: loquitur autem ut Pontifex, quando ut supremus Ecclesiae Pastor, et caput aliquid proponit toti Ecclesiae in rebus fidei et morum, obligans omnes fideles sub poena haereseos ad illud fide divina credendum: et sic dicitur loqui *ex cathedra*, hoc est ex plenitudine potestatis, quia per cathedram significatur auctoritas docendi, et praecipiendi: unde illud Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Quidam hanc distinctionem recenter adinventam dicunt, sed praeterquam quod ex natura rei petitur, et in omnibus aliquod officium publicum gerentibus reperiatur; non enim Rex, aut Praetor, seu Judex semper agit ex officio ut Rex, aut Judex: natio Gallica anno 1305. adhibuit hanc distinctionem in libello dato Clementi V. contra Bonifacium VIII., ut videbimus infra.

Nota 2. Ad hoc ut Papa censeatur loqui ex Cathedra plures ulterius requirere, quod definiat libere, et non ex metu, aut violentia coactus, fusis ad Deum precibus, praemisso rei definiendae maturo examine, praehabita consultatione Ecclesiae suae Romanae, seu Cleri Romani, nunc Eminentissimorum Cardinalium, quia haec censentur media ad id munus requisita, neque Christus Papam infallibilem constituit, nisi humano modo agentem, secundum quem decet Homines gubernari, et mediis ordinariis utentem. Neque solent Pontifices ex Cathedra definire, nisi his mediis adhibitis. Alii tenent haec, excepta libertate, non requiri, quia, inquiunt, Spiritus S., cujus assistentia Petro, et successoribus promissa est, non pendet ab adjutorio humano, ut aliquem illuminet circa Fidei veritates, nec legitur assistentiam suam tali auxilio alligasse.

Nos non negamus haec media requiri plus tamen, aut minus pro rerum exigentia; sed dicimus non teneri fideles inquirere, et scire, an sint adhibita. A quo enim id requirerent, et rescirent? Unde hoc ipso, quo a summo Pontifice emanat Constitutio in rebus fidei, et Morum, toti Ecclesiae directa, obligans omnes fideles eidem assensu interiori adhaerere sub poena haereseos, debent supponere omnia media necessaria fuisse adhibita, nisi manifeste constet de opposito, alioquin nihil esset firmum in Ecclesia, et quilibet posset recusare obedientiam eo praetextu, quod non omnia fuerint adhibita, aut saltem quod de hoc non constet. Idque jure supponunt, quia qui promisit infallibilitatem in docendo universam Ecclesiam, non deest mediis ad id necessariis.

Quaestio praesens itaque non est de summo Pontifice ut homine privato, quem ut talem communior sententia tenet posse errare, sed de Pontifice ut Pontifice loquente ex cathedra: circa quam est duplex sententia. Prima Gallorum, qui ut plurimum tenent, summum Pontificem non esse infallibilem in rebus fidei, et morum, nisi accedente consensu Ecclesiae, sive in Concilio generali congregatae, sive saltem per orbem diffusae, ex declaratione Cleri Gallicani 1682, cujus articulus quartus sic habet: *In fidei quoque quaestionibus, praecipuas summi*

Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes, et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

Altera sententia est omnium aliarum nationum, quae constanter tenent, summum Pontificem loquentem ex cathedra, eo modo quo explicuimus, independenter a consensu Ecclesiae, sive congregatae, sive diffusae, esse infallibilem in quaestionibus fidei, et morum dirimendis.

Quamvis autem hanc communem sententiam aperte in Scripturis, et traditione fundatam existimemus, ut patebit, eam tamen ut de fide obligante non proponimus, nec asserimus; quia Ecclesia, cujus est secundum omnes certo proponere revelata, nondum eam speciali, et expresso decreto solemni definivit, nec ad fidem obligantem sufficit certitudo respectiva revelationis,

Nota 2. in definitionibus duo distinguenda esse, intentam definitionem, seu conclusionem, et rationes conclusionis, aliave, quae obiter, et occasione data dicunt Pontifices. De definitione, seu conclusione intenta tantum intelligenda est sententia communis, non de rationibus definitionis, sive de iis, quae obiter, et ex occasione dicuntur.

§. II. *Communis sententia asseritur, et invictis Scripturae testimoniis probatur.*

Dico. Judicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra in rebus fidei, et morum est infallibile independenter a consensu Ecclesiae.

Prob. ex triplici loco Scripturae. Primus est Matth, 16., ubi Christus Petro confitenti ejus divinitatem dicit: *Beatus es Simon Barjona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum etc.* Haec verba dirigi ad solum Petrum probavimus art. 1., ubi de primatu S. Petri: item pertinere ad successores Petri in Romana Sede ostendimus art. 3., ubi de primatu Romani Pontificis; cum enim Christus fundaverit Ecclesiam in aevum duraturam, fundamentum illius debebat in aevum permanere in Petri successoribus. Neque de his modo difficultas est: haec enim concedunt adversarii, qui ex hoc loco, et sequentibus probant nobiscum adversus sectarios primatum S. Petri, et Romani Pontificis.

Subsumo: atqui his verbis continetur privilegium infallibilitatis promissum Petro, et ejus successoribus: ergo. Prob. subsumptum: his verbis promittitur infallibilitas Ecclesiae: atqui Ecclesia, seu aedificium non potest esse indefectibile, si fundamentum, cui innititur, sit defectibile: ergo.

Huic probationi respondent adversarii per *Petram* secundum omnes Patres, et Pontifices intelligi fidem Petri. Ergo. Resp. 1. aperte falsum esse Ant. 2. Dato Ant. Nihil contra Nos, una enim interpetratio non excludit aliam, sed optime conciliantur dicendo, quod Patres, et Pontifices non intelligant fidem Petri in abstracto, sed in concreto, nempe Petrum Divinitatis fidem profitentem, et hanc fidem fuisse causam meritoriam promissionis, Petrum autem subjectum, cui facta est promissio.

Dicunt 2. Infallibilitatem esse promissam Ecclesiae non Petro. Resp. Esse promissam utrique, Ecclesiae tamen per Petrum, non Petro per Ecclesiam, non enim Petrus est fundatus in Ecclesia, sed Ecclesia in Petro.

Secundus locus est Luc. 22., ubi Christus, instante passione, sic Petrum alloquitur: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* 1. Christus his verbis promittit Petro indefectibilitatem in fide; pro ea enim rogat, nec dubium est, quin fuerit exauditus pro sua reverentia. 2. Haec verba diriguntur soli Petro, non aliis Apostolis, nec in

eis toti Ecclesiae. facit enim apertam distinctionem Petri ab aliis Apostolis, et a tota Ecclesia, cum dicit: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; et cum immediate dixisset in plurali: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos*, statim in singulari subjungit: *Ego autem rogavi pro te, etc.* quod non dixisset, si omnes Apostolos, et in eis Ecclesiam allocutus fuisset; sed dixisset: *Ego rogavi pro vobis, ut non deficeret fides vestra, et vos aliquando conversi, etc.* Imo neque id dicere potuit, cum Ecclesia constet fidelibus, et praeter eos nulli sint in Ecclesia fratres, qui possint confirmari. 3. Quod praecipuum est, indefectibilitatem promittit Petro, non ut privatae personae, sed ut pastori Ecclesiae, qualem ipsum instituturus erat secundum promissionem factam Matth. 16., consequenter ejus successoribus: promittit enim illi indefectibilitatem, ut confirmet fratres suos in fide, quod pertinet ad officium pastoris, et capitis: unde haec propositio copulativa: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, habet vim rationalis, seu causalis, quasi diceret: *Ideo rogavi ut non deficiat fides tua, ut tu confirmes fratres tuos*: vel. *Rogavi ut non deficiat fides tua, tu ergo illa fide indefectibili praeditus confirma fratres tuos.*

Idque testantur SS. Patres, qui ex hoc loco inferunt infallibilitatem Romani Pontificis. S. Leo Serm. 3. in haec verba Lucae, S. Agatho epist. ad Constantinum Imperatorem, quae lecta, et probata fuit in sexta Synodo, Leo IX. Epist. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolit., S. Bernard. epist. 190. ad Innoc. II., Innoc. III. epist. 209. ad Patriarcham Constantin., S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. de quo infra.

Respondent adversarii indefectibilitatem hic promissam Petro transmitti ad ejus successores, non hoc sensu, quod quilibet sit in fide indefectibilis, sed hoc sensu, quod nunquam futurum sit, Petri successores, id est eorum series, atque successio, sedesque cui praesint, atque Ecclesia, quam docendam, et regendam susceperint, a fide deficiant: unde huic fidei nihil oberit, si aliquot Pontifices officio defuerint, atque a fide aberrarint; stat enim Romana fides ab eorum antecessoribus stabilita, ab eorum successoribus vindicanda.

Sed contra: 1. Patres mox laudati ex his verbis probant indefectibilitatem non Sedis Romanae tantum, aut Ecclesiae, sed cujuslibet Romani Pontificis. 2. Juxta hanc intelligentiam promissio indefectibilitatis non soli Petro, sed Ecclesiae facta est, cujus contrarium patet ex probatione. 3. Christus rogavit, non tantum, ut fides non esset simpliciter, et absolute defectura, sed ut non esset defectura in Petro: ergo nec in quolibet ejus successore. 4. Si unus ex Petri successoribus deficiat a fide docendo, non poterit confirmare suos fratres, quod ne unquam contingeret rogavit Christus. 5. Si unus Pontifex loquens ex cathedra possit errare, et erret in fide, quomodo sedes inviolata permaneret? Quomodo fides in ea subsistit? Debet enim sedes audire sedentem, et illi obsequi. Fuit, inquiunt, in antecessoribus, erit in successoribus: esto, sed nunc non est.

Instant, ipsa voce *confirmandi* non indicari supremum, et indeclinabile judicium: nam, *confirma*, hoc est, quantum in te est, enitere ut firmi sint: *Misimus enim Timotheum* inquit Apost. 1. Thess. 3, *ad confirmandos vos*: et cuique Episcopo dictum est Apocal. 3. *Esto vigilans, et confirma caetera, quae moritura erant*: ergo.

R. nos non ex hac sola voce, *confirma*, sed ex tota periodo, *Ego rogavi*, etc. *et tu confirma*, etc. probare judicium Romani Pontificis esse supremum, indeclinabile, et infallibile, quia his verbis Christus promittit Petro, et cuilibet ejus successori indeficientiam in fide, ut confirmet fideles, sicque eorum constituit supremum, et infallibilem judicem in rebus fidei, quod dici non potest de Timotheo, aut quovis alio Episcopo.

Tertius locus est Joan. 21. ubi Christus soli Petro prae caeteris Apostolis to-

tius Ecclesiae curam committit, *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Vide in a. 1. de primatu S. Petri ampliorem hujus loci expositionem ad rem nostram. Debet ergo Petrus, et quivis ejus successor pascere universam Ecclesiam verbo doctrinae, illum debet audire Ecclesia, et ejus doctrinam sequi; est enim indefectibilis, ergo nec Petrus, nec quivis ejus successor potest Ecclesiae falsam doctrinam proponere; et sane absonum foret, quod gregi infallibili praeficeretur pastor fallibilis; tunc enim potius grex pastorem, quam pastor gregem deberet pascere, et regere.

Reponunt ex his verbis, *pasce oves meas*, indicari tantum officium Petri, non autem praestari, ut praeceptum officium impleatur; alioquin sequeretur, quod Petrus, et ejus successor non modo in doctrinam nunquam peccaturus esset, sed nec in ulla parte officii pastoralis, cum nulla profecto sit, quam non illa vox complectatur.

R. N. ant. Absurdum enim foret, ut dixi, gregi infallibili praeficere pastorem fallibilem. Ad prob. N. seq. 1. Ex his verbis inferimus jure infallibilitatem Pontificis in fide proponenda Ecclesiae; quia Ecclesia est indefectibilis in fide suorum membrorum, cujus indefectibilitas infringeretur, si pastor proponeret ipsi falsam doctrinam, quam deberet sequi; at non sic est indefectibilis in moribus suorum membrorum: unde non sic est necesse, quod pastor sit impeccabilis in aliis partibus pastoralis officii, sicut in fide proponenda. 2. Quia quamdiu permanet fides, subsistit compago Ecclesiae, estque radix, qua permanente, aliae virtutes reviviscere possunt At ea sublata, non subsistit corpus Ecclesiae, et omnis ferme spes salutis aufertur, unde id maxime, et super omnia debet curare pastor spiritualis, ut fides servetur incorrupta in grege

Et hinc habes, cur caeteri Episcopi, qui sunt etiam pastores, non gaudeant privilegio infallibilitatis; cum enim privato tantum gregi praesint, eorum error Ecclesiam universam non inficeret, sed suum gregem tantum; et aliunde cum sint supremo pastori infallibili subordinati, eorum error ab ipso emendari potest.

Confir. conclusio argumento ad hominem: Theologi Gallicani ex his locis Scripturae citatis probant nobiscum contra Haereticos primatum Romani pontificis supra universam Ecclesiam: quidni infallibilitatem, cum non magis in his locis exprimatur primatus, quam infallibilitas?

§. III. *Probatur conclusio ex Patribus.*

Praeter jam laudatos §. praecedenti SS. Patres, legendi sunt S. Irenaeus l. 2. adversus haereses c. 3., S. Hippolytus Martyr Orat. de consummatione mundi, S. Basilius epist. 75., S. Flavianus epist. ad S. Leonem, S. Cyprianus l. de unitate Ecclesiae, et epist. 55., S. Ambrosius in Psal. 40. *Ubi Petrus* inquit, *ibi Ecclesia*, S. Hieronymus epist. 57. ad Damasum Papam, *Quicumque*, inquit, *tecum non colligit, dispergit.* Et in editione symboli ad eumdem.

Augustinus post damnatam ab Innoc. I. Pelagianam haeresim, serm. 2. nunc 131. de verbis Apostoli c. 10. dicit: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt, causa finita est: utinam aliquando error finiatur.* Et in Psalm. contra partem Donati de Romano Pontifice; *Ipsa est petra*, inquit, *quam non vincunt superbae inferorum portae.*

S. Thomas quaerit in hac parte q. 1. art. 10. utrum ad summum Pontificem pertineat fidei symbolum ordinare? Et respondet sic: *Dicendum, quod nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli ad cujus auctoritatem pertinet* FINALITER DETERMINARE EA, QUAE SUNT FIDEI, UT AB OMNIBUS INCONCUSSA FIDE TENEANTUR: *hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores, et difficiliores Ecclesiae quaestiones referuntur, ut dicitur in decretal. extr. de Bapt.*

C. Majores: *unde et Dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit, Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiae secundum illud 1. Cor. 2. Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, quod servari non posset, nisi quaestio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeest, ut sic* EJUS SENTENTIA A TOTA ECCLESIA FIRMITER TENEATUR. *Et ideo* AD SOLAM AUCTORITATEM SUMMI PONTIFICIS *pertinet nova editio symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, et alia hujusmodi.*

Ibid. ad secundum: *Pertinet*, inquit, *ad summum Pontificem* ordinare novum Symbolum fidei, *cujus auctoritate Synodus congregatur, et ejus sententia confirmatur.*

Item q. 11. a. 2. ad 3. *Universalis Ecclesiae auctoritas principaliter residet in summo Pontifice: dicitur enim 24. q. 1. Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros et Coepiscopos, nonnisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere, contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit: unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam: Haec est fides, Papa beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia, quamque semper tenuimus, in qua si minus perite, aut parum caute sorte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem, et sedem tenes.* Haec plana sunt et aperta, nec nos clarioribus terminis sententiam nostram exprimimus. Nihilominus

Respondent pontificiae infallibilitatis osores post Gersonem, S. Thomam concedere Pontifici supremam, et plenam potestatem ecclesiasticam respective ad singulos fideles, et particulares Ecclesias, non respective ad totam Ecclesiam. Sed contra. Non est nunc quaestio de potestate ecclesiastica Pontificis in universum, de qua art. subseq., licet aperte exprimat hic S. Th. eam esse supremam, et plenam respective ad totam Ecclesiam, *Toti Ecclesiae praeest*, inquit; sed est quaestio de ejus infallibilitate: formalissime autem docet S. Doctor, quod *ad solam auctoritatem* summi Pontificis pertineat edere Symbolum fidei, et finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

At, inquiunt, per *solam* intelligit S. Doctor *praecipuam*.

Per fidem numinum, quis unquam ex *solam* interpretatus est *praecipuam*; si praecipua, non sola; si sola, non praecipua. Dum dico ad solam auctoritatem Regis pertinet condere leges pro toto regno: quis finget, me per solam intelligere praecipuam? Neque juvat quod S. Th. in arg. *sed contra*, dicat Symbolum esse auctoritate universalis Ecclesiae editum: norunt enim omnes, apud D. Thomam levis esse ponderis probationem desumptam ex argumento *sed contra*, sed nec negamus Symbolum esse Ecclesiae auctoritate editum: verum juxta S. Doctorem auctoritate mutuata a summo Pontifice, qui *praeest toti Ecclesiae*, et ad cujus *solam auctoritatem* pertinet edere Symbolum, congregare, et confirmare Synodos generales, et gerere omnia, quae pertinent ad totam Ecclesiam.

Sed quid moramur in hac violenta interpretatione refellenda, cum habeamus S. Th. illam disserte excludentem. *Sicut posterior Synodus*, inquit q. 10. de pot. a. 4. ad 13, *potestatem habet interpretandi Symbolum a priore Synodo conditam, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cujus auctoritate* SOLA *Synodus congregari potest, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad ipsum a Synodo appellatur, quae omnia patent ex gestis Synodi Chalcedonensis:* NEC EST NECESSARIUM, QUOD AD EJUS EXPOSITIONEM FACIENDAM UNIVERSALE CONCILIUM CONGREGETUR. AD SOLAM ergo, AD SOLAM, et non tantum ad PRAECIPUAM in generali Concilio summi Pontificis auctoritatem pertinet ordinare Symbolum fidei, et finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur.

Haec subodorati sunt perspicacissimi Theologi: unde tandem concludunt, quod si S. Thomas concesserit summo Pontifici infallibilitatem absolutam, et independentem ab Ecclesiae consensu, liceat ipsis in doctrina Patrum, qui antecesserint, et in posterioribus Concilii Constantiensis decretis tuto quiescere:

Ergone S. Thomas *in doctrina Patrum* caecutiit, is cujus maxima laus est, quod SS. Patrum os fuerit, et omnes in se quasi uno transfuderit? S. Thomas, inquam, de quo celeberrima Parisiensis Academia in Decreto sub Stephano Episcopo Parisiensi edito, haec canit: *Divus Thomas fuit universae Ecclesiae lumen praefulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum,* UNIVERSITATIS NOSTRAE SPECULUM CLARISSIMUM, *et candelabrum insigne, ac lucens, per quod omnes, qui vias vitae, et scholas doctrinae sanae ingrediuntur, lumen vident.* Plura non urgeo. De Concilio Constantiensi dicam art. subseq.

§. IV. *Probatur ex Conciliis, et Pontificibus.*

De Concilio Sardicensi vid art. secundum praecedentem.

De Concilio Ephes. ibidem probatione secunda vidimus, quod Patres *coacti per epistolam Coelestini Papae* sententiam in Nestorium dixerint.

De Concilio Chalcedonensi etiam cod. art. diximus, quod act. 2. lecta celebri epist. S. Leonis ad S. Flavianum Patres exclamaverint: *Haec Patrum fides .... Petrus per Leonem locutus est.* Item Concilio finito Patres rogarunt S. Leonem, ut sancita in Concilio confirmaret: confirmavit autem dumtaxat ea, quae haeresim Eutychianam spectabant, improbavit, et rescidit ea, quae spectabant privilegia Ecclesiae Constantinopolitanae.

Opponunt adversarii, et multum urgent examen celebris epistolae sancti Leonis ad Flavianum, factum a Synodo, ex quo inferunt, judicium summi Pontificis in causis fidei non esse irretractabile.

R. istud examen factum fuisse, non quod Synodus suspicaretur, ullum in ea epistola errorem; jam enim antea, quod bene notandum est, illi absque examine subscripserat, et saepe Patres clamaverant: *Sicut Leo ita credimus, Petrus per Leonem locutus est, epistolae omnes subscripsimus, sufficiunt ad fidem, quae exposita sunt, altera expositio non licet fieri.* Factum est ergo istud examen post jam receptam epistolam, ut magis convincerentur Eutychiani, qui eam execrabantur ut Nestorianam, ut nulla amplius illis esset ratio eam retractandi, quae consensu totius Ecclesiae firmaretur, ut dicit ipse Sanctus Leo epist. 65. ad Theodoretum, et Patres Synodici in relatione ad Marcianum Imperatorem: *Credentibus*, inquiunt loquendo de ista epistola, *sufficit ad utilitatem fidei indiscussa perfectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos: hos autem, qui doctrinam rectam pervertere moliuntur, ad singula, quae male pariunt, oportet occurrere.*

Unde quando Patres V. Synodi collat. 6., ut pararent sibi viam ad condemnationem epistolae Ibae, quae non fuerat discussa, nec probata in Concilio Chalcedonensi dixerunt, epistolam S. Leonis non fuisse receptam in eodem Concilio sine inquisitione, et collatione cum doctrina Patrum, vel erraverunt in facto, ut patet ex actis Concilii Chalcedonensis; vel intelligunt de secunda receptione, quae est tantum amplior declaratio primae ad majorem, et efficaciorem confutationem Eutychianorum.

Agatho Papa occasione VI. Conc. generalis Constantinop. III. anno 680. scripsit duas epistolas Imperatori Constantino Pogonato, primam solus, secundam cum Concilio Romano. In secunda secure pronuntiat se suis legatis ad Concilium mandasse, ut quae ipse cum suo Concilio definierat, non examinarentur tamquam dubia, et incerta, sed ut certa, et immutabilia publicarentur. Et in eos, qui contradicerent, sententiam condemnationis profert: haec autem epistola lecta fuit in Concilio act. 4., et ab omnibus act. 8. probata, et subscripta, nullo contradicente, excepto uno Macario Monothelita, qui ideo fuit depositus.

In prima epistola dicit Agatho Ecclesiam Romanam, et Romanos Pontifices nunquam in fide defecisse, aut deficere, sed eorum partes esse, fratres in fide confirmare, idque semper praestitisse suos praedecessores.

Hanc epistolam sicut praecedentem pariter Patres susceperunt act. 18. singuli singillatim suo ordine assentientes: et in sermone acclamatorio dixerunt: PER AGATHONEM PETRUS LOQUEBATUR. Et in epistola ad ipsum Agathonem: *Tibi ut primae sedis Antistiti universalis Ecclesiae, quid agendum sit relinquimus stanti super firmam fidei petram.*

Reponit quidam epistolas Agathonis non fuisse receptas sine praevio examine, ex quo infert non habitas fuisse a Concilio infallibiles.

R. 1. unum, aut alterum dumtaxat ex Patribus mentionem fecisse examinis, caeteros omnes simpliciter suffragatos fuisse nulla facta mentione examinis.

R. 2. dato antecedente, N. illationem; non enim quicumque aliquam doctrinam examinat, de ejus veritate dubitat: sic Theologi quotidie examinant Scripturas sacras, decreta Conciliorum Oecumenicorum, ea cum Scriptura, et traditione conferendo, non quod ullatenus de veritate Scripturarum, aut decretorum fidei dubitent, sed ut magis ac magis in eis firmentur, sintque omnibus de iis inquirentibus respondere parati, et refractarios revincere magis idonei. Sic Patres Ephesini examinaverunt epistolam S. Leonis, nullatenus de ejus veritate dubitantes, ut superius diximus. Item si facto examine approbavit Synodus epistolas Agathonis: ergo approbavit examine facto infallibilitatem Romani Pontificis in eis clare assertam.

In VIII. Concilio generali Constantinop. IV. anno 869. contra Photium, nullus admissus fuit, quin prius formulae fidei ab Adriano II. missae subscripsisset: in hac autem fidei formula continentur sequentia: *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec, quae dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper servata religio, et sancta celebrata doctrina: Ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minime cupientes, et Patrum, et praecipue Sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses simul cum Iconomachis.* En in Concilio generali admissa infallibilitas Romani Pontificis, fundata in verbis Christi, *Tu es Petrus*, etc.

In concilio Viennensi, Clemens V. Clementina de summa Trinit. §. *Nos igitur*. definit, quod *ad apostolicam considerationem* DUMTAXAT *declarare pertinet*, quae in Scripturis obscura sunt.

Clemens VI. ipse Gallus, et Doctor Parisiensis quatuordecim doctrinae articulos Armenis, recenter ad fidem catholicam conversis proposuit, quibus deberent subscribere, si Romanae Ecclesiae integre vellent consociari. Horum quintus sic erat: *Si credidisti, et credis, quod in tantum fuerit, sit, et erit suprema, et praeeminens auctoritas, et juridica potestas Romanorum pontificum, et illorum, qui in posterum erunt, ut a nemine judicari potuerint, potuerimus, neque in posterum poterunt, sed soli Deo judicandi servati fuerint, servemus, et servabuntur. Et quod a sententiis, et judiciis nostris non potuerit, neque possit, neque poterit ad aliquem judicem alium appellari?* Decimus tertius sic habebat: *Si credidisti, et adhuc credis solum Romanum Pontificem in dubiis emergentibus circa fidem catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere: et esse verum, et caholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo, determinat esse verum, et quod determinat esse falsum et haereticum, tale sit censendum.* Haec apud Odoricum Raynaldum in Annalibus ad an. 1346. et 1351.

Dices. Summi Pontifices, quos hucusque laudavimus, locuti sunt in propria causa: ergo eorum testimonia nihil probant.

R. 1. D. ant. Summi Pontifices locuti sunt in propria causa palam, et nemine contradicente, C. ant. aliis contradicentibus, N. ant., et conseq. Sic dum in tota retro antiquitate, Episcopi suae Sedis, Reges, et Principes sui throni jura defendebant actis publicis, quibus nemo contradicebat, admittebantur eorum testimonia; quidni et Pontificum admittantur, qui monumentis, et actis publicis, quibus nemo suo tempore contradixit, privilegia suae sedis testati sunt, et propugnarunt?

2. Pontifices laudati non eruditione solum, sed vitae probitate fuerunt conspicui, et plures inter illos Sanctis numerantur: nulla est ergo ratio suspicandi, quod ex superbia, et ambitione privilegia arbitraria et injusta sibi vindicare voluerint.

§. V. *Probatur Conclusio ex Patribus, Episcopis, et Theologis Gallicanis.*

1. Patres Concilii Arelatensis anno 455. in epistola synodica ad Sanctum Leonem dicunt: *Apostolatus vestri scriptum* (indubie celebrem epistolam ad S. Flavianum) *ita ut Symbolum fidei, quisquis Sacramenta Religionis non negligit, tabulis cordis inscripsit, et tenaci ad confundendos Haereticorum errores, ut paratior sit, memoriae commendat.*

2. Anno 517. S. Avitus Episcopus Viennensis nomine Ecclesiae Gallicanae agnoscit summum Pontificem ut supremum judicem in causis fidei: sic enim epist. ad Hormisdam Papam scribit: *Quaesumus ergo, servitio meo juncto, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam, instruatis. Quia jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliae devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam. Orate, ut sic nos praedictorum confessio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat.* Idem Concilium Turonense anno 567., ad quod convenerat universa pene Ecclesia Gallicana.

3. Anno 1324. Stephanus Parisiensis Episcopus occasione Bullae canonizationis S. Thomae Aquinatis ejusdem Academiae Doctoris, edidit decretum de consensu Decani, et Capituli Parisiensis, et Magistrorum dictae Universitatis, ut fert edictum, sequentis tenoris: *Nos igitur attendentes, quod sacro-sancta Romana Ecclesia* OMNIUM MATER, ET MAGISTRA *in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad* UNIVERSAM REGULAM CATHOLICAE VERITATIS *pertinet approbatio, et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum, etc.*

Paucis post annis eadem Academia obtulit Clementi VII. Avenione residenti, quem Gallia pro vero Pontifice agnoscebat, Tractatum Theologicum, in quo asserebat, et probabat infallibilitatem Romani Pontificis in quaestionibus fidei iisdem auctoritatibus Scripturae, et Patrum, quibus eam probamus.

4. Ejusdem sententiae erat tota natio Gallicana anno 1305. cum regni proceres nationis nomine petebant, dato libello ad Clementem V., ut Bonifacii VIII. memoriam damnaret; dicebant enim: *Non quaeritur de haeresi Papae quondam, ut Papae, sed ut privatae prrsonae:* NEC ENIM UT PAPA POTUIT ESSE HAERETICUS, *sed ut privata persona: nec unquam aliquis Papa,* IN QUANTUM PAPA, *fuit haereticus,* Quo testimonio non solum evincitur conclusio ex mente Nationis, sed etiam habetur, hanc distinctionem inter Papam, ut Papam, et ut hominem privatum, non esse recens inventum, ut quidam effutiunt.

Anno 1579. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus Meloduni adversus Lutheri, et Calvini errores sic praecipit: *Clerici, et Laici aperta professione fidem pronuntient, quam sancta Romana* ECCLESIA MAGISTRA, COLUMNA, FIRMAMENTUM VERITATIS *profitetur, et colit. Ad hanc enim propter suam principalitatem, necessum est* OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM. Et in fine articulorum subjungitur: *Omnia haec sanctae Romanae Ecclesiae, cujus ex praeco-*

ptis populum fidem institui, et CERTAM FIDEI, AC MORUM CORRECTIONIS REGULAM *constitui oportet, judicio, et auctoritati subjicimus.*

5. Anno 1626. Comitia generalia Cleri Gallicani articulo 1637. statuunt, *hortandos Episcopos uti Sedem observent Apostolicam, Ecclesiamque Romanam, infallibili Dei promissione fundatam .... Petro cum clavibus datam* INFALLIBILITATEM FIDEI, *quam videmus divinae potentiae miraculo* IN PETRI SUCCESSORIBUS *ad hodiernum usque diem* IMMOBILEM *permanere.*

6. Anno 1655. octoginta quinque Episcopi, in Comitiis congregati, petunt ab Innocentio X. judicium de libro Jansenii hac potissimum ratione, quod *majores causae ad Sedem apostolicam referre, sollemnis Ecclesiae mos esset, in qua fides Petri* NUNQUAM DEFICIENS PERPETUO CONSERVATUR. Et anno 1658. gratias agentes eidem Pontifici pro condemnatione libri Jansenii datis litteris dicunt: *Perspectum habemus non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, judicia pro sancienda* REGULA FIDEI *a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione,* DIVINA, ATQUE SUMMA *per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur, seu suam Episcopi in consultatione sententiam ponant, seu non ponant*: hoc est, seu consultantium Episcoporum consensus accedat, seu non accedat; ergo Romani Pontificis judicium est infallibilis fidei regula independenter a consensu Ecclesiae.

§. VI. *Probatur conclusio rationibus.*

1. Sic arguo cum nostro Hyacintho Serry. Istud judicium in materia fidei est irreformabile, quod est supremum, et ultimum, post quod non datur aliud superius, ad quod appellari possit: atqui tale est judicium Romani Pontificis loquentis ex cathedra in materia fidei, et morum: ergo. Maj. patet. Probat. multipliciter min. 1. Ex tribus Pontificibus, Bonifacio I., Gelasio I., et Nicolao I. Is epist. 8. ad Michaelem Imperatorem sic loquitur: *Patet profecto Sedis apostolicae, cujus auctoritate* MAJOR NON EST, *judicium a nemine fore retractandum*; NEQUE CUIQUAM DE EJUS LICEAT JUDICARE JUDICIO. *Juxta quod Bonifacius Papa Rufo, et caeteris Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait*; NEMO UNQUAM *apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractare, manus obvias audacter intulit*: NEMO IN HOC REBELLIS *extitit, nisi qui de se voluit judicari. Et B. Papa Gelasius; Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluerunt deferri,* AB IPSA VERO NUSQUAM PRORSUS APPELLARI DEBERE SANXERUNT; *ac per hoc illam* DE TOTA ECCLESIA *judicare, ipsam ad nullius commeare judicium,*

Prob. 2. ead. min. ex Augustino, qui, ut vidimus, judicium Innocentii I. contra Pelagianos pro finali, et irreformabili habuit, dum dixit: *Rescripta Roma venerunt, causa finita est.* Id etiam constat ex pluribus aliis Patribus, a nobis prius laudatis.

Prob. 3. eadem min, 1. Appellans in causa appellationis eximitur a jurisdictione illius, a quo appellat, et ab ejus obedientia recedit: atqui nullus fidelis potest eximi a jurisdictione summi Pontificis, alioquin non esset amplius ejus ovis, consequenter nec fidelis, neque ab ejus obedientia recedere, cum sit supremus omnium Rector, Pastor, et Superior: ergo. 2. Judex, a quo appellatur, non debet dare et designare appellanti Judicem ad quem, alias ageret contra seipsum: atqui solius est Romani Pontificis indicere, congregare, confirmare, et robur tribuere Conciliis Oecumenicis: ergo judicium Romani Pontificis est ultimum in Ecclesia, consequenter infallibile, et irreformabile. Patet conseq. Quia si esset tribunal, ad quod a Papa posset appellari, foret indubie Concilium generale.

Prob. conclusio alia ratione. In Ecclesia a Christo bene ordinata debet admitti Judex semper permanens, et vivens, qui Scripturas, traditiones, et controversias de fide, ac moribus exurgentes, infallibiliter interpretetur, et dirimat; atqui is non est alius, quam Romanus Pontifex: ergo. Prob. min. Iste Judex supremus, et infallibilis semper vivens non est cujusque spiritus privatus, non Princeps saecularis, ut olim diximus, non Concilium generale; quia licet Pontifice praesidente sit regula infallibilis fidei, non sufficit tamen, quia rarissime, et difficillime congregantur Concilia generalia, et tamen continuo in Ecclesia oriuntur controversiae de fide ac moribus, ad quas dirimendas praesto adesse debet judex. Ergo.

Dicunt adesse Ecclesiam universam, cujus consensu fit irreformabile, et infallibillis summi Pontificis judicium; ita quarta propositio declarationis triginta quatuor Episcoporum Gallicorum, de qua supra. Et haec videtur epocha hodiernae sententiae Gallorum, quae licet ex hucusque dictis confutata maneat; juvat tamen ex absurdis, quae ex illa sequuntur, specialiter illam impugnare, unde sit.

§. VII. *Probatur Conclusio ex absurdis adversae Sententiae.*

Si summi Pontificis judicium non sit infallibile in quaestionibus fidei, et morum nisi ex consensu Ecclesiae, sequitur 1. quod Pontifex infallibilitatem suam mutuet ab Ecclesia, sicque quod Ecclesia non sit fundata in Petro, sed Petrus in Ecclesia; quod Petrus non pascat oves, sed oves pascant Petrum; quod Petrus non confirmet fratres in fide, sed fratres Petrum confirment; quae sunt aperte contraria Scripturis.

Sequitur 2. quod summus Pontifex non magis gaudeat privilegio infallibilitatis, quam Episcopus minimae dioeceseos. Hic enim definiat aliquid de fide, et suis dioecesanis proponat credendum, si accedat consensus caeterorum Episcoporum judicium ejus erit infallibile; idem dici potest de judicio simplicis Pastoris, ac Doctoris: atqui consequens est absurdum, et a Scripturis ac tota traditione prorsus alienum: ergo.

Sequitur 3. fideles fore fluctuantes in fide, nec habere aliquid fixum, et firmum, cui assensu fidei adhaereant. Quaero enim, qualis Ecclesiae assensus requiratur? An totius Ecclesiae, an majoris partis, an minoris, puta unius provinciae vel nationis? Non hoc ultimum; quo jure enim haec unius provinciae, vel nationis Ecclesia conferret Pontifici infallibilitatem, quam non habet? Non primum; alioquin sufficeret dissensus unius, vel alterius Episcopi, aut fidelis, ad infirmandum judicium summi Pontificis, sicque nullum unquam erit infallibile. Insuper quomodo, et quando posset haberi consensus Episcoporum, et fidelium, qui sunt in Indiis Orientalibus, et Occidentalibus? Et interim fideles fluctuabunt, et haereses grassabuntur. Non denique secundum, 1. Quia ut modo dicebam de tertio, unde pars Ecclesiae etsi major, et non tota Ecclesia habet infallibilitatem, quam tribuat Pontifici? 2. Quis dinumerabit partes consentientes, ut dignoscatur, an major pars adhaereat? Quis hunc consensum fidelibus annuntiabit? Id utique novimus in Ecclesia semel factum occasione Bullae *Unigenitus*, cui tamen nec omnes obediunt. Quid vero de innumeris, de quibus id non est factum? Quid de futuris, de quibus non est credibile quod unquam fiet? Interim nullus fidelis tenebitur assensum fidei praebere Decretis pontificiis; nemo enim tenetur, nec potest assentire fide divina nisi auctoritati, quam certo novit infallibilem, quia fidei non potest subesse falsum: sicque quilibet suo arbitrio dimittetur, et ut modo dicebam, haereses grassabuntur, et vires accipient. 3. Si sufficiat assensus majoris partis, non est, quod tanto zelo disputent Galli; cum enim, iis exceptis, omnes aliae Ecclesiae, ad minus tres partes totius universitatis, agnoscant summum Pontificem infallibilem, nullum ab eo dimanat decretum ex cathedra, quod non recipiatur a majori parte Ecclesiae.

At, inquiunt, debet acceptari praevio examine. D. Praevio examine, ut intelligatur quid contineat, C. ut tamquam dubium, aut erroneum reformetur, N. alioquin contingere posset, quod tres partes Ecclesiae cum Pontifice errarent in fide et sola Gallia sine summo Pontifice servaret veram fidem: insuper unde fidele, cognoscere certo poterunt omnes Episcopos praevio examine acceptasse? Quo usque autem id rescient, fluctuabunt, assensum fidei praebere nec tenebuntur, nec poterunt: ubi ergo erit fides Ecclesiae? ubi Ecclesia?

§. VIII. *Praecluditur commune, et praecipuum effugium Adversariorum.*

Quaecumque hucusque ex Scriptura, Patribus, Conciliis, Pontificibus, Theologis etc. pro infallibilitate Romani Pontificis protulimus, adversarii accipiunt dicta, non de homine sedente in cathedra Petri, sed de ipsa cathedra, de Sede Romana, de Ecclesia Romana, et, ut quidam dicunt, quod idem est, de serie, et successione Romanorum Pontificum; ita ut sensus sit, cathedram Petri, Sedem Romanam, Ecclesiam Romanam esse infallibilem, et nunquam defecturam in fide; quod si contingat unum Pontificem deficere, a successoribus emendabitur, sicque fides remanebit semper in Sede Romana, in cathedra Petri, in Ecclesia Romana: et in hunc finem laudant illud celebre dictum S. Leonis epist.. 53. ad Anatolium, *Aliud sunt sedes, aliud sedentes*, et quia alioquin, inquiunt, moriente Pontifice deficeret, seu periclitaretur fides Ecclesiae.

Praeter illa, quibus jam hinc et inde istam intelligentiam confutavimus, praeterquam quod plura testimonia, quae protulimus, adscribant infallibilitetem non solum sedi, aut cathedrae Petri, vel Ecclesiae Romanae, sed ipsi sedenti, et ipsi Pontifici, etiam quandoque ejus nomine expresso; praeter haec, inquam,

Quaero nunc tantum, quid intelligant per sedem, et cathedram Petri, seu Ecclesiam Romanam? An quae in ambitu urbis Romae continetur, an Ecclesiam universam, seu Catholicam? Video enim quosdam intelligere Ecclesiam urbis Romae; alios Ecclesiam universam, secundum quod argumentis premuntur.

Si intelligant Ecclesiam, quae in ambitu urbis Romae continetur, nunquam summus Pontifex aliquid fidei definit ex cathedra, quin habeat Ecclesiam urbis Romae cosentientem; tum quia illam consulit in praecipuis ejus membris, tum quia ipsa definitis a Pontifice statim annuit; sicque Pontifex definiens ex cathedra semper est infallibilis.

Si intelligant Ecclesiam catholicam, et universam, contradicunt aperte Scripturae in tribus locis prima probatione allatis, in quibus probavimus, dignitatem fundamenti Ecclesiae, pastoris Ecclesiae, confirmatoris fratrum, unde sequitur infallibilitatem soli Petro, et non toti Ecclesiae esse traditam. Contradicunt item traditioni, et toti retro antiquitati, decretis Conciliorum, et summorum Pontificum, Patribus, Theologis, sibimetipsis. Etenim SS. Patres, Concilia, Pontifices, Theologi, quos laudavimus, ipsimet adversarii dicunt Ecclesiam Romanam, quam superbae inferorum portae non vincunt, ad quam perfidia non potest habere accessum, quam denique agnoscunt esse infallibilem, esse Matrem, et Magistram omnium ecclesiarum, centrum unitatis ecclesiasticae, unde sacerdotalis unitas orta est, ad quam omnes Ecclesias necesse est convenire, Ecclesiam esse in ea fundatam, et plura similia: palam est autem haec dici non posse de Ecclesia universa, cum praeter illam nullae sint Ecclesiae. Quid enim est universa Ecclesia, quam omnes Ecclesiae simul sumptae? Totum autem non distinguitur a partibus simul sumptis: non potest ergo dici de Ecclesia universa, quod sit Mater, et Magistra omnium Ecclesiarum, sicut non potest dici, quod quis sit pater, et magister sui ipsius, neque quod sit centrum unitatis, sicut omnes lineae non possunt esse centrum cujusque lineae, neque quod ab ea sacerdotalis unitas oriatur, cum ipsa sit sacerdotalis uni-

tas, neque quod ad eam alias Ecclesias convenire necesse sit, cum praeter illam, ut dictum est, non sint aliae, neque quod Ecclesia sit in ea fundata, alias esset in seipsa fundata. Denique dignetur studiosus lector attendere ad testimonia, quae protulimus, vix unum reperiet, quo ista exotica interpretatio non confodiatur.

Quantum ad dictum S. Leonis indubie aliud sunt sedes, aliud sedentes: sedes est nomen auctoritatis, dignitatis, et officii: sedens est nomen personae auctoritatem, dignitatem, et officium obtinentis, eoque significatur eum, qui habet auctoritatem, et officium, non semper agere *ex* auctoritate et officio; sicque Romanum Pontificem posse non agere ex officio pontificio, sed se gerere ut privatam personam, quod nihil juvat adversarios, nec nobis nocet.

Ad id quod addunt de Pontifice mortuo, respondet Cano lib. 4. de Locis Theologicis, cap. ultimo, quod *mortuo summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in ea spiritus veritatis; sed manca, et diminuta sine Christi Vicario, et Ecclesiae uno pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit (non enim est in solo Pontifice passive), at si controversiae fidei, et religionis oriantur, Ecclesiae judicia sine capite in terris non adeo certa erunt.*

Instant: si per Petram, et fundamentum intelligatur persona Petri, sequitur inde, quod Petrus non solum fuerit infallibilis, sed etiam debuerit esse immortalis, cum aedificium Ecclesiae in eo fundatum, sit in aeternum permansurum: falsum consequens: ergo.

R. Praeter solutionem huic instantiae jam superius datam, D. sequelam: si per Petram, et fundamentum intelligatur persona Petri physice entitative, sequitur, etc. C. si intelligatur persona Petri moraliter, id est ipsa ejus dignitas, auctoritas, jurisdictio, et doctrina, sequitur, etc. N. sequelam, et ejus probationem: haec enim moriente Petro, virtute perseverant in Ecclesia, et ad ejus successores transeunt: sicut moriente Rege non perit regnum, quia remanent dignitas, auctoritas, jurisdictio, quae transeunt ad successores.

Petes utrum qui propositionem a Summo Pontifice damnatam defenderet esset Haereticus? R. juxta id, quod diximus initio, infallibilitatem summi Pontificis non esse de fide obligante, quod non esset Haereticus, sed temerarius, nisi forte condemnationi Pontificis accederet consensus Ecclesiae, quia est de fide obligante, quod Ecclesia sit infallibilis in proponendis revelatis.

Articulus IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Si summus Pontifex sit infallibilis in quaestionibus fidei et morum definiendis, inutilia sunt Concilia generalia: falsum consequens: ergo. Patet sequela; quia Pontifex hoc ipso, quo est infallibilis, potest se solo absque Concilio omnes fidei, et morum controversias judicio irreformabili definire: ergo:

R. N. sequelam. Ad probat. D. ant. Summus pontifex potest se solo absque Concilio omnes fidei, et morum controversias judicio irreformabili definire, et simul potest se solo absque Concilio aeque efficaciter Haereticorum proterviam reprimere, pertinaciam frangere, tumultus sedare, media executioni definitionum idonea providere, N. et haec se solo non potest aeque efficaciter, C., et N. conseq. Itaque per se absolute non sunt necessaria Concilia generalia ad certam, et infallibilem veritatis definitionem contra Haereticos: quot enim haereses ante primum Concilium generale Nicaenum, et etiam secutis temporibus a solis Pontificibus Romanis absque Conciliis generalibus fuerunt irretractabiliter damnatae? Per accidens tamen sunt quandoque necessaria, aut saltem valde utilia tum ad reprimendam Haereticorum

tumultuantium audaciam, et eorum pertinaciam frangendam, facilius quippe, et cum minori verecundia creditur omnibus quam uni : tum ad faciliorem decretorum executionem, quatenus omnes omnium nationum Episcopi eis subscribunt, et profitentur se illa amplecti, et illorum executionem suis dioecesanis demandaturos. Item melius innotescunt singularium provinciarum necessitates, et mores, quaeque media sint unicuique adhibenda ad occurrendum gliscenti errori, et ad legum, ac decretorum observantiam promovendam, quod enim convenit Italiae, vel Germaniae, forte non proderit Galliae, aut Hispaniae, sicut enim corporum, ita morum est varia complexio.

Hinc occurritur variis instantiis, quas petunt ex convocatione Conciliorum etiam post jam damnatas a summis Pontificibus haereses. Sic Coelestinus haeresim Nestorii damnaverat, sed non extinxerat propter potentissimos Nestorii amicos, et defensores ; et ideo fuit necessaria convocatio Synodi Ephesinae, ut opportunis remediis Haereticorum vesania comprimeretur, haeresis progressus sisteretur, et catholicorum fides muniretur. S. Leo in epistola celebri ad S. Flavianum Eutychianam haeresim damnaverat, sed quia Dioscorus, et alii in Latrocinio Ephesino eam rejecerant ut nestorianam, Flavianum verberibus, et plagis affecerant, atque ejecerant, imo et adversus S. Leonem sententiam dixerant, necesse fuit congregari Synodum Chalcedonensem, ut hos tumultus sedaret, et tot malis occurreret.

Obj. 2. S. Cyprianus doctrina, et sanctitate conspicuus, Stephano Papae definienti, non esse rebaptizandos ab haereticis baptizatos, restitit cum pluribus Episcopis Africanis : ergo ipse non agnoscebat summum Pontificem infallibilem, nec infallibilis tunc habebatur in Ecclesia.

R. N. utrumque illatum : quia quaestionem de Baptismo Haereticorum iterando Cyprianus nunquam apprehendit pertinere ad fidem, sed ad disciplinam tantum, nec illam ut fidei dogma definivit ex cathedra Stephanus. Duplex itaque quaestio hic est distinguenda. Prima, an invalidum sit baptisma Haereticorum ? Secunda, an sint rebaptizandi ab Haereticis baptizati ? Prima est speculativa, et ad fidem pertinet : secunda est disciplinae, et praxim spectat. Stephanus autem intacta prima quaestione, secundam prohibuit, jussitque nihil innovari, sed servari antiquam consuetudinem, nihil amplius ; idque non per decretum solemne, toti Ecclesiae directum, sed per rescriptum in litteris privatis ad Cyprianum, et collegas, quod sic refert Cyprianus epist. 74. ad Pompejum (ab eo enim solum illud novimus) : *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad poenitentiam.* Unde August. l. 2. de Bapt. c. 19. *Consuetudinis robore*, inquit, *tenebatur orbis terrarum, et haec sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Neque etiam illud rescriptum, tamquam Sedis Apostolicae decretum ex cathedra habuit Cyprianus, siquidem teste Augustino l. 2. contra Donat. c. 7. *Nondum erat diligenter*, tempore Cypriani, *illa Baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia.* Quod autem nondum erat sufficienter pertractatum, et discussum, non potuit proponi tamquam decretum Sedis Apostolicae, et articulus fidei : unde objectio non militat contra conclusionem, quae est de infallibilitate summi Pontificis loquentis ex cathedra in controversiis fidei. Hanc responsionem multis momentis probavimus in Digress. hist. de Sacram. in genere in opere majori, ubi plura, quae contra objiciunt adversarii, praeoccupata, et soluta reperies.

Inst. 1. Stephanus definiens non esse rebaptizandos ab Haereticis baptizatos, supponebat eorum baptisma esse validum, id saltem ex definitione inferri poterat : ergo.

R. hic non agi de suppositione, vel illatione, sed de definitione ex cathedra : quidquid in mente habuerit Stephanus, constat, nihil aliud definivisse, quam ut *nihil innovaretur*, sive teneret de fide, istud baptima esse validum, sive tantum ut quid certius haberet. Neque, ut dictum est, id definivit ex cathedra.

Inst. 2. Etsi Stephanus definivisset ex cathedra tamquam fidei dogma validum esse baptisma Haereticorum, et ab ipsis baptizatos non esse rebaptizandos, non debuisset illi acquiescere Cyprianus : ergo. Probatur ant. ex Augustino l. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 4. ubi dicit : *Nec nos ipsi tale quid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata, et declata per plenarium Concilium solidaretur* : Ergo juxta Augustinum solius Concilii plenarii, et non Romani Pontificis judicio acquiescere tenemur.

R. N. conseq. Sensus namque Augustini est, quod non auderet asserere, scilicet ut fidei dogma, sicut tunc asserebat, cum haec dicebat contra Donatistas, baptisma Hereticorum esse validum, et non esse rebaptizandos ab eis baptizatos, nisi id definitum fuisset in Concilio generali ; quia solum Concilium generale id definierat, ut dogma fidei, non Stephanus, cujus aetate nondum satis eliquata, et discussa erat haec quaestio, et qui novitati opponebat tantum antiquam consuetudinem, ut dicit ipse Aug. Unde per haec verba Augustinus non intendit infallibilitatem judicii pontificii excludere, sed infallibilitatem Concilii asserere : sicut si de propositione a Concilio Tridentino definita dicerem: Hanc propositionem non auderem asserere, si a Concilio Tridentino non esset definita : male quis inde inferret, me denegare infallibitatem summo Pontifici, et soli Concilio Tridentino tribuere : nulla enim fit ibi comparatio inter Concilium, et Pontificem, sic ut unum dicatur infallibile, et alter fallibilis: sed sensus planus est: Audeo asserere hanc propositionem ut doctrinam fidei, quia Concilium Tridentinum, quod est infallibile, eam definivit, et nullus alius, qui sit infallibilis, eam definivit.

Obj. 3. S. Petrus bis erravit in fide. 1. Quando negavit Christum tempore passionis. 2. Quando Antiochiae post Ascensionem observavit legalia, et gentes coegit judaizare, qua de causa fuit reprehensus a Paulo.

R. Ad primum, S. Petrum negasse Christum oretenus, non corde : ita interpretantur communiter SS. Patres: et esto corde negaverit, nondum erat tunc Pontifex constitutus, nec Ecclesiam universam docebat.

Ad secundum, Petrus deliquit observando legalia *Non falsi praedicatione ; sed imprudenti conversatione*, inquit Augustinus epist. 9. et 19. ad Hieronymum. De isto facto latius scripsi in Tract. de Relig. Digress. Hist. ad calcem Dissert. 9. in opere majori.

Obj. 4. Liberius subscripsit haeresi Arianae, et damnationi S. Athanasii, cujus causa erat conjuncta cum causa fidei, quatenus erat illius strenuus propugnator, atque communicavit cum Episcopis Arianis : ergo.

R. 1. N. ant. pro prima parte, sed subscripsit Liberius formulae, secundum se catholicae, ut prolixe probavi in Digress. Histor. ad Dissert. procm. Tract. de Trinitate in opere majori: vide. Ad secundam partem ant. subscripsit Liberius damnationi S. Athanasii, quia existimavit, ejus causam esse a fidei causa sejunctam, et Athanasium fuisse damnatum ob delicta disciplinam, et mores spectantia, de quibus fuerat revera accusatus. Ad tertiam partem ant. Liberius communcavit cum Episcopis Semi-Arianis, qui se damnasse Arium, et esse catholicos simulabant.

R. 2. Dato ant. quoad omnes suas partes, nemo somniabit, Pontificem in exilium actum, minis perterrefactum, libertatis desiderio victum, subscribentem oretenus formulae Arianae, et damnationi Athanasii, atque cum haereticis communicantem, locutum fuisse ex cathedra, et ex plenitudine potestatis, obligasse universam Ecclesiam subscribere Arianismo, quod solum tamen hic vertitur in quaestione.

Obj. 5. Zosimus Innocentii I. successor approbavit libellum Coelestii Pelagiani, in quo aperte negabat peccatum originale : ergo.

R. 1. D. ant. Zosimus libellum Coelestii, in quo negabat peccatum originale. approbavit ut catholicum habita ratione propositionum, et dogmatum, quae

continebat, N. habita ratione mentis, affectus, et modi loquendi auctoris, qui hunc suum errorem non absolute asserebat, sed ad modum dubitantis tantum proponebat, petens instrui, sensum suum judicio Sedis Apostolicae submittens, paratus corrigere quidquid corrigendum judicaret; insuper declarans, se consentire litteris Innocentii damnantis Pelagium, et se omnia, quae Sedes Apostolica damnaret, damnaturum, C. Nihil autem prohibet, quominus liber sub tali consideratione, quae pertinaciam ab auctore excludit, possit dici catholicus. Solutio est Augustini l. 2. ad Bonif. cap. 3.

R. 2. Dato antecedente, nihil sequitur contra nos: constat enim Zosimum approbantem privatim libellum Coelestii, et scribentem privatim litteras ad Episcopos Africanos, universam Ecclesiam non fuisse allocutum, nec eam obligasse ad credendum fide divina non dari peccatum originale, sicque non fuisse locutum ex cathedra, sicut postea locutus est, quando fraude detecta Pelagium, et Coelestium solemni decreto condemnavit missa ad omnes totius orbis Episcopos condemnationis epistola, quae communiter dicta est *Tractatoria*.

Obj. 6. Vigilius Papa modo probavit, modo improbavit tria Capitula, quae pertinebant ad fidem, erant enim facta dogmatica: ergo.

R. De causa trium Capitulorum, et Vigilio sat dixi in praecedenti Dissert. Unica restat instantia contra id, quod dixi Vigilium nunquam probasse tria Capitula quantum ad sensum obvium textuum, sed tantum vetuisse, ne damnarentur appellatis nominibus auctorum. Igitur.

Inst. Vigilius in suo constituto de Ibae epistola dicit *ipsam rectissimo, et piissimo sensu intellectam*, irreprehensam manere: Ergo.

R. Vigilium non dixisse Ibae *epistolam*, sed *fidem irreprehensam manere*; quia scilicet in Concilio Chalcedonensi mentem suam aperuerat, et quae in hac epistola contra Cyrillum errore facti scripserat, retractaverat, ut dixi loco citato.

Obj. 7. Honorius Papa fuit damnatus ut haereticus in sexta Synodo Oecumenica: ergo.

R. 1. D. ant. Honorius fuit damnatus ut haereticus sententia, N. ant., ut haereticus favore, id est, ut fautor haereticorum, quatenus jussit taceri voces unius, vel duplicis voluntatis, et operationis in Christo, C. Hanc responsionem multis, et gravissimis momentis probavimus, et alia, quae spectant Honorium, exposuimus in digress. hist. ad dissert. 4. tract. de Incarnat. in opere majori quam adeat Lector: omnia enim hic repetere non vacat. Unam duntaxat illic omisimus instantiam, quae tunc non occurrerat: unde

Inst. Honorius non solum vocem, sed etiam sensum duplicis operationis rejecit; nam in epist. 2. ad Sergium, quae lecta est in sexta Synodo act. 13. dicit: *Unius autem operationis, vel duarum esse, vel fuisse mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum sentire, et promere satis ineptum est*. Ergo.

R. D. ant. Honorius rejecit absolute sensum duplicis operationis, N., rejecit in ordine ad promendum, C. Patet tum ex adjuncto vocabulo *sentire, et promere*; tum ex tota serie utriusque ejus epistolae ad Sergium, in quibus nihil aliud urget, quam ut taceantur voces unius, vel geminae voluntatis, et operationis ad sedandos tumultus, et contentiones: tum quia non jussit Sophronium, qui duplicem operationem acriter defendebat, hunc sensum exuere, sed tantum ab eo missos monuit, ne duarum operationum vocabulum deinceps usurpare niterentur, ut ipsemet refert in eadem epist. 2. ad Sergium: tum denique, quia si ex his verbis sequitur Honorium rejecisse sensum duplicis operationis in Christo, sequitur pariter eum rejecisse sensum unius operationis, quia de utroque in his verbis loquitur, sicque cum nec unam, nec duas operationes in Christo agnovisse, quod est plane absurdum.

R. 2. ad objectionem. Dato Honorium damnatum fuisse ut haereticum, fuit utique haereticus ut homo privatus, non ut Pontifex loquens ex cathedra; errorem enim docuit, si docuit, non constitutione solemni ad universam Ecclesiam directa, qua illam ad credendum fide divina falsum dogma obligavit, sed ex privata sententia per privatas litteras, privato nomine scriptas et ad privatos directas: quod patet tum ex litterarum ipscriptione, quae est ad Sergium; tum quia nonnisi annis ferme quadraginta post mortem Honorii ex Archivo Constantinopolit. extractae sunt, ante quod tempus vix erant cognitae sive in Oriente, sive in Occidente.

Inst. Honorius de fide consultus a tribus Patriarchis, scilicet a Sergio Constantinop., Cyro Alexandrino, utroque Monothelita, et Sophronio Jerosolymitano orthodoxo, respondens docet errorem, eis mandat, ut hunc doceant, et ejus falsa dogmata toto Oriente vulgentur: ergo locutus est ex cathedra. Ergo.

R. omisso antecedente, N. conseq. Quae enim adferuntur in antecedente, non sufficiunt, ut Papa dicatur loqui ex cathedra; sed requiritur, quod Ecclesiam universam alloquatur solemni decreto, quod jubeat omnes fideles fide divina credere quae decernit: haec autem in causa Honorii non reperiuntur.

Obj. 8. Plures Pontifices se agnoverunt fallibiles, Leo IV. Can. *Si incompetenter*, causa 2. q. 4. Innocentius III. serm. 2. de consec. Pontif. Clemens VI. in diplomate dato 7. idus Decembris 1351., Gregorius XI. in testamento, et alii: ergo.

R. hos Pontifices se agnovisse fallibiles in dispensationibus, seu privilegiis concedendis, in factis particularibus, vel etiam in rebus fidei, sed ut Doctores privatos, non autem ut Pastores universali Ecclesiae loquentes ex cathedra. Neque obstat, quod Gregorius, XI. dicat se potuisse errare etiam in consistorio, non enim quae in consistorio aguntur, semper ex cathedra definiuntur; sed in eis saepe causarum merita expenduntur, consilia proponuntur absque eo, quod ad sententiam solemnem deveniatur.

Articulus V.

De Praeeminentia summi Pontificis supra Concilium generale.

Quaestio non est de concilio generali, ut complectitur Episcopos congregatos, et simul summum Pontificem: sic enim certum est, quod illi non sit superior Pontifex; alioquin sibi ipsi esset superior; imo Concilium sic sumptum est quid majus saltem extensive; sed est quaestio de Concilio generali, ut solos complectitur Episcopos congregatos Pontifice, sive absit, sive adsit, non computato: et quaeritur utrum Concilio sic sumpto Pontifex sit superior auctoritate, et jurisdictione, an Concilium Pontifici?

Hanc secundam partem tuentur Galli a tempore Concilii Constantiensis, et est secunda propositio declarationis celebris Cleri Gallicani 1682. Cum autem urgentur argumentis ex Scriptura, vel traditione, quibus probatur Romanum Pontificem esse supremum caput, Rectorem, Pastorem omnium fidelium, respondent, id intelligendum esse de omnibus fidelibus in particulari, seu seorsim, et distributive sumptis, non vero collective sumptis, et in concilio generali adunatis. quibus e contra sic sumptis Pontifex subjicitur, eo fere modo, quo Generalis est caput et rector ordinis, sic ut omnes Religiosi seorsim et distributive teneantur illi obedire, ipse tamen Capitulo congregato subjicitur, et ad ejus leges adstringitur: vel sicut Dux Venetorum singulis Reipublicae membris praeeminet, ipse tamen toti Reipublicae est inferior, et subditus.

Caeterarum nationum Theologi communiter tenent e contra summum Pontifi-

cem esse auctoritate, potestate, et jurisdictione superiorem toti Ecclesiae, sive divisim, sive collectim sumptae, ita ut quodcumque Concilium etiam generale ipsi subjiciatur, non ipse Concilio.

Dico. Summus Pontifex est auctoritate, et jurisdictione omni conciiio superior.

Probat. 1. Constat ex hucusque dictis de primatu S. Petri, et Romani Pontificis, nec non de ejus infallibilitate, ipsum secundum Scripturam, et traditionem esse totius, et universalis Ecclesiae Caput, Pastorem, Patrem, Doctorem, et Ducem: atqui caput aliis membris non solum seorsim, sed simul sumptis superius est; pastor non singulis ovibus seorsim tantum, sed toti gregi praecst, et superior est; pater non huic vel illi proli, sed toti familiae; Doctor non huic, vel illi discipulo, sed toti scholae; dux non huic et illi militi tantum, sed toti exercitui: ergo pariter Pontifex non solum singulis fidelibus seorsim, aut huic, vel illi Ecclesiae, sed toti Ecclesiae, non solum singulis Concilii Episcopis divisim, sed ipsi Concilio auctoritate superior est.

Prob. 2. Summi Pontifices jure summo, et nemine reclamante supremam potestatem exercuerunt supra Concilia generalia: etenim quibusdam definiendi regulam praescripserunt, quorumdam acta resciderunt, alia in integrum irritaverunt, alia probarunt, et confirmarunt: haec autem sunt aperta superioris auctoritatis indicia; ergo.

Prob. prima pars ant. Coelestinus definiendi formam, ipsamque sententiam contra Nestorium ferendam praescripsit Concilio Ephesino; S. Leo Concilio Chalcedonensi contra Eutychem; Agatho Concilio VI. contra Monothelitas; Adrianus I. Concilio VII. contra Iconomachos; et Adrianus II. Concilio VIII. contra Photium.

Prob. secunda pars antecedentis. S. Leo Canonem 28., quo jura Patriarchae Constantinopolitani decernebantur, quantumvis rogatus confirmare constanter renuit, et irritum misit.

Prob. tertia pars. S. Leo irritavit Concilium Ephesinum II. ex ejus assensu convocatum, et cui aderant ejus legati. Ergo.

Quantum ad quartam partem antecedentis de confirmatione Conciliorum per Pontificem, probabimus dissert. sequenti, dum de conciliis; nec eam omnino negant adversarii, sed dicunt, esse confirmationem honorariam consensus, et adhaesionis tantum, qualis dari potest ab aequalibus, aut etiam inferioribus, non autem auctoritativam.

Sed contra: esse auctoritativam constat, quia petitur et datur, ut concilia generalia *firmitatem* habeant; sic enim loquuntur Patres Concilii IV., et VI., et sine hac confirmatione non est ratum, nec firmum Concilium, ut patet de Concilio Ephesino II., de Canone 28. Concilii Chalcedonensis, et de V. Concilio generali Constantinop. II., atque jura ita expresse declarant d. 17. cap. *Regula* ex Julio Papa: *Nec ullum ratum est, aut erit nunquam Concilium. quod non fultum fuerit ejus* (Ecclesiae Romanae) *auctoritate*: et cap. *Multis* ex Pelagio II. Unde Socrates l. 2. Hist. cap. 5. ait: *Canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur.* Sozomenus l. 3. cap. 9. dicit: *Legem esse ad Sacerdotii dignitatem spectantem, quae pronuntiat, acta illa irrita esse, quae praeter sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Idem probant quae modo dicemus de appellationibus a Conciliis ad summum Pontificem, ac denique ipsa ratio: non enim Concilium generale habet firmitatem, et indefectibilitatem in suis Decretis, nisi quatenus repraesentat Ecclesiam universam; atqui non repraesentat Ecclesiam universam, nisi caput seu Romanum Pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus Pontifex cum Conciliis judicare, nisi dum Conciliorum Decreta confirmat; ergo.

Probat. 3. Conclusio, non est licitum appellare a summo Pontifice ad Concilium generale; est autem licitum appellare a Concilio generali ad summum Pon-

tificem : atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem : ergo Pontifex est auctoritate superior Concilio generali.

Primam partem auctoritate, et ratione probavimus art. 3. §. 6. Insuper Pius II. litteris, Mantuae in Conventu Principum publicatis anno 1469., Julius II, et Gregor. XIII in Bulla Coenae prohibent sub poena excommunicationis appellationem a Papa ad Concilium.

Opponunt adversarii quasdam appellationes factas a Papa ad Concilium, sed facto non probatur jus. De hoc latius in sol. obj.

Secunda pars antecendentis probata etiam manet ex tribus Pontificibus Bonifacio I., Gelasio I., et Nicolao I. laudatis loco prius citato. Insuper probatur. S. Flavianus a secundo Concilio Ephesino convocatione, et Legatorum praesentia generali, appellavit ad S. Leonem, ut constat ex epistola ejusdem S. Leonis ad Theodosium Imperatorem, in qua dicit : Legatis nostris *Libellum appellationis Flavianus Episcopus dedit*. Pariter Theodoretus Episcopus Cyri in eodem Concilio damnatus appellavit, ut constat ex actis Concilii Chalcedonensis. Macarius, et alii in sexta Synodo Oecumenica damnati appellaverunt ad Leonem II., ut patet ex litteris Constantini Pogonati ad eumdem Leonem.

Id denique evincit ratio. Licitum est appellare a tribunali fallibili ad infallibile, atqui summus Pontifex est infallibilis saltem in quaestionibus fidei, et morum, ut probatum est articulis praecedentibus; Concilium autem generale, prout hic sumimus, non computato summo Pontifice, est fallibile, quia sic non repraesentat Ecclesiam, non est enim Ecclesia sine capite ; non est autem Concilium infallibile, nisi quatenus repraesentat Ecclesiam.

Prob. 4. conclusio. Summus Pontifex non potest judicari a Concilio generali : ergo non est illi inferior. Prob. ant. 1. Can. *si Papa* dist. 40. dicitur : *Cunctos judicaturus ipse, a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.*

2. Cap. *Aliorum* causa 9. q. 3. *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, Sedis autem Romanae suo, sine quaestione, reservavit arbitrio* : quod excludit Concilium tam generale, quam particulare.

3. Concilium Romanum sub Adriano II. cap. 4. *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus.*

Probat. 5. conclusio ex avita Ecclesiae Gallicanae doctrina.

Circa annum 503. occasione Symmachi Papae, quem, licet sponte annuentem, Concilium Romanum vulgo *Palmare* in judicium vocaverat; S. Avitus Viennensis Archiepiscopus nomine Ecclesiae Gallicanae ad urbis Senatores sic scribit: *Non facile datur intelligi, quod vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur .... Non est gregis Pastorem proprium terrere, sed judicis* : Concilium autem generale est grex.

Anno 800. Episcopi Gallicani jussu Caroli Magni ad Concilium Romanum vocati in causa Leonis III. de variis criminibus ab aemulis accusati, parere renuerunt, nisi Pontifex ipse se illorum judicio sponte submitteret, hac ratione, quod, cum esset caput omnium Ecclesiarum, a nemine posset judicari. Apud Anastasium in vita Leonis III.

Saeculo duodecimo S. Yvo Carnoti Episcopus epist. 159. *Quoniam*, inquit, *judicia Romanae Ecclesiae a nemine foris retractari posse eadem Ecclesia Romana docente didicimus : siqui aliquando se praegravatos illius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen*. Idem docet epist. 233. ad Abbatem Angeriocensem in causa Paschalis II., qui dicebatur concessisse contra Ecclesiae jura investituras Henrico Imperatori.

Eodem saeculo S. Bernardus, Ecclesiae Gallicanae decus epist. 213. Pontifices alloquens : *Quis*, inquit, *mihi faciat justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi, sed absit ; ut ad illud appellem.... Itaque recurro ad eum, cui datum est judicare de universis, hoc est ad vos. Vos appello ad vos, judicate et me et vos.*

Anno 1305. cum regni proceres peterent a Clemente V. ut damnaret memoriam Bonifacii VIII., quem dicebant haereticum fuisse ut hominem privatum, nec legitimum extitisse Pontificem, ut vidimus art. 3. §. 5, addunt : *Cum de Bonifacii mortui haeresi quaeritur, non debet congregari Concilium generale. Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius, totum corpus Ecclesiae repraesentans, qui claves Regni coelestis habetis. Nec congregatum totum Concilium* SINE VOBIS, ET NISI PER VOS *posset cognoscere de negotio supra dicto, juxta Patrum sancita, sententiamque Doctorum Juris et Ecclesiae sanctae Dei.* Caecus sit, qui in his non videat, potiorem esse Pontificis auctoritatem quam Concilii.

Anno 1323. Theologi Facultatis Parisiensis obtulerunt Clementi VII., Avenione sedenti, tractatum theologicum, in quo agnoscunt, asserunt, et probant ejus *Supremam* auctoritatem in Ecclesia, ut vidimus artic. 3. §. 5. citato: si vero *Suprema*, ergo nulla major.

A tempore igitur dumtaxat Concilii Constantiensis coepit Ecclesia Gallicana ab hac avita majorum sententia recedere, agente, et duce Joanne Gerson Academiae Parisiensis Cancellario.

Articulus VI.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1., et praecipue. Concilium Constantiense sess. 4. sic decernit : *Haec sancta Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens pro extirpatione praesentis schismatis et unione, ac reformatione Ecclesiae Dei in capite, et in membris facienda.., in Spiritu Sancto legitime congregata.... ordinat, disponit, statuit, decernit, et declarat ut sequitur. Et primo, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, generale Concilium faciens, et Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite, et in membris.* Et sess. 5. idem Decretum repetit et addit : *Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis, status, et dignitatis, etiamsi papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut praeceptis hujus sacrae Synodi, et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super praemissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignae poenitentiae subjiciatur. et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.* Ergo.

Huic argumento, quod putant invincibile, triplex adhibetur responsio.

Prima, et communior est, haec decreta esse intelligenda non de Conciliis generalibus extra tempus schismatis, et quando est certus Pontifex, sed tantum de Conciliis tempore schismatis celebratis, et de dubiis Pontificibus, quales tunc erant Joannes XXIII., Gregorius XII., et Benedictus XIII., quo in casu cum nullus sit Papa, nam Papa dubius non est Papa, quia non est caput visibile Ecclesiae; fatemur, Concilium habere potestatem immediate a Christo, cui quilibet cujuscumque status, aut dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur in his, quae pertinent ad

fidem, et extirpationem schismatis, ac reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris.

Veritas hujus responsionis constat 1. ex ipsis terminis decretorum: in decreto enim sessionis 4., et in prima parte decreti sessionis 5. sermo est tantum de hoc Concilio Constantiensi pro extirpatione praesentis schismatis convocato. Equidem in secunda parte decreti sessionis 5. dicitur: *Et cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati*; sed dictum statim restringitur verbis sequentibus: *Super praemissis, seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis.* Quae sunt autem *Praemissa?* nisi schisma extirpandum, et dubii Pontifices deponendi; quod vera et propria causa fuit Concilii Constantiensis celebrandi, ut patet ex terminis initio decretorum positis.

2. Constat ex testimonio cardinalis Joannis de Turrecremata, qui Concilio praesens aderat, in Summa de Ecclesia c. 99. *Manifeste patet.* inquit, *quod decretum illorum Patrum non loquitur universaliter de qualibet Synodo, sed de illa singulariter, pro cujus tempore non erat in Ecclesia pastor totius Ecclesiae indubitatus.*

3. Ipsum Concilium Cardinalibus contendentibus Ecclesiam Romanam esse omnium aliarum Ecclesiarum, et ipsius Concilii caput, sic respondet. *Nota super verbo* Caput, *hoc concedatur, tamen non ad fovendum schisma aut difformitates, Item nota super verbo* Concilii, *est subdistinguendum; quia hoc est verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra catholicam fidem, seu haeresim extirpandam. Ubi autem agitur de schismate tollendo in Romana Ecclesia, quod per Cardinales ortum habuit, aut quia Cardinales alias abusi sunt electione, et in similibus, ibi non habet locum.* Ita referunt acta Concilii apud Vanderhat tom. 2. p. 13. pag. 287. Ex quibus luce clarius patet, Concilium decreta sua intellexisse de praesenti, et simili casu schismatis, et dubii Pontificis tantum, non de quibuscumque Conciliis generalibus.

4. Martinus V. canonice electus, et certus Pontifex se Concilio superiorem probavit; quia statim solus definivit cum clausula. *Sacro approbante Concilio.* 2. Dissolvit, quando voluit, Concilium: et quamvis quidam aegre ferrent, quod dissolveretur non facta reformatione, nullus tamen ausus est reclamare. 3. Bulla *inter cunctas* data in Concilio jubet interrogari suspectos in erroribus Wiclefi; *Utrum credant, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.* Porro si sit suprema, nulla datur major.

Secunda responsio. Esto decreta sessionis 4., et 5. sint intelligenda de certo Pontifice, et de Conciliis celebratis etiam extra casum schismatis, respondetur tunc Concilium Constantiense non fuisse Oecumenicum, quia Episcopi unius tantum obedientiae, scilicet Joannis XXIII. tunc aderant, nec inter se conveniebant quoad praefata decreta. Ita refert Cardinalis de Turrecremata, qui Concilio aderat, in Summa de Ecclesia l. 2. cap. 98. *Nullus*, inquit, *dubitat quod asserere, quod sola obedientia Joannis faceret Concilium* universale, *universalem repraesentans Ecclesiam esset temerarium, et scandalosum aliis obedientiis.* Et infra: *In illa determinatione non modo non intervenit universalis Ecclesia, sed obedientia una tantum, scilicet Joannis XXIII. ut dictum, sed etiam non integre tota illa obedientia, quoniam plures Patres doctissimi illius obedientiae illi non praestiterunt consensum suum.* Haec Joannes de Turrecremata Cardinalis piissimus, idemque doctissimus, et ut ipse scripsit, testis oculatus, cui fidem denegare summae impudentiae sit, inquit noster Serry.

Inferunt; ergo mentiti sunt Patres Constantienses, dum dixerunt in his duabus sessionibus; Haec S. Synodus Concilium generale faciens, etc.

R. N. illationem ; non enim quicumque dicit falsum , mentitur ; nec mirum si tunc bona fide erraverint Patres , non enim erant infallibiles nondum congregato Concilio universali.

Urgent. Ipse Martinus V. agnovit, Concilium generale esse in primis sessionibus ante unionem obedientiarum . siquidem in litteris apostolicis , quae extant inter acta ultimae sessionis , dicat , *quod condemnationes, errorum et haeresum Joannis Wiclef , et Joannis Hus , et Hieronymi de Praga factae de personis, et libris eorum per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint juste, et rite factae.* Item in alio interrogatorio ibidem dicit: *Credendum esse , et approbandum, quod in favorem fidei, et salutem animarum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentans approbavit, et approbat, condemnavit, et condemnat.* Sunt autem factae condemnationes sess. 8., quando sola adhuc obedientia Joannis aderat : ergo.

R. Cum Cajetano Opusc. de potestate Papae, et Concilii cap. 8. *Quod Congregatio Constantiensis inchoavit* 1. *in obedientia Joannis XXIII., et deinde iterum in conjunctione Gregorii XII. et tertio in conjunctione obedientiae Benedicti XIII. consummata est , et post electionem Martini V. in eodem Concilio praesidentis auctorizata, et ab hoc nobiliori, et certiori statu nuncupative in quolibet statu Concilium generale vocatur a Papa , nominibus utendo , ut plures , absque veritatis offensa. Imo ut insinuaret Pontifex , quod ab hoc ultimo statu Concilium appellabat generale, praefato interrogatorio fidei praeterito conjunxit praesens , dicens, quod Concilium approbavit, et approbat, condemnavit, et condemnat.*

Huic secundae responsioni si non stet prima , etiam favent quae diximus pro prima numero 3. et 4.

Tertia responsio. Dato gratis haec decreta intelligenda esse de quocumque Concilio generali etiam extra casum schismatis, et dubii Pontificis , atque a Concilio vere Oecumenico fuisse prolata, restat ea non fuisse probata, et confirmata a Martino V., quippe qui in ultima sessione probavit, et confirmavit duntaxat *Conciliariter acta, et definita in materiis fidei, non aliter , nec alio modo.*

Porro haec decreta neque conciliariter , neque in materia fidei fuerunt prolata. Non *conciliariter* , non solum quia tunc Concilium non erat Oecumenicum , ut dictum est, sed quia non fuerunt edita more aliorum Conciliorum, discussis prius maturo examine tanti momenti quaestionibus : fuerunt enim facta occasione recessus Joannis XXIII. a Concilio ; recessit autem 21. Martii vespere, et statim conclusum fuit decretum contra ipsum , atque 30. ejusdem mensis a quatuor nationibus, contradicentibus Cardinalibus, fuit pronuntiatum.

Non *in materia fidei* : nam in sessione 5. haec leguntur : *Surrexit de mandato totius sanctae Synodi Reverendus Pater Dominus Andreas electus Poznaniensis, et certa Capitula per modum* CONSTITUTIONUM SINODALIUM, *prius per singulas quatuor nationes conclusa , et deliberata legit , et publicavit , quarum tenores sequuntur, et suni tales.* Inter has autem constitutiones synodales primo et secundo loco recensentur decreta, de quibus hic agitur. Lectis autem his, et aliis constitutionibus Synodalibus subjungitur : *Quibus peractis supra dictus Reverendus Pater Dominus Andreas electus Poznaniensis* IN MATERIA FIDEI *et supra materia Joannis Hus legebat quaedam avisamenta , quae sequuntur, et sunt talia* , Palam est Concilium distinguere inter constitutiones synodales, et materiam fidei , reponere decreta , de quibus agitur , inter constitutiones synodales, et excludere a materia fidei ; consequenter Martinum V. qui decreta hujus Concilii tantum confirmavit *in materia fidei , non aliter , nec alio modo* , praefata decreta , de quibus est quaestio, non confirmasse .

Item haec decreta non fuerunt lata , sicut ferri solent decreta fidei sub poena

anathematis, aut haeresis, sed tantum sub poena poenitentiae, aut punitionis contra transgressores contumaces, nisi resipuerint: ergo idem quod prius.

Confirmantur hucusque dicta in tribus responsionibus. Si laudata decreta essent decreta fidei a Concilio vere Oecumenico sancita pro quocumque Concilio, et Pontifice etiam extra casum Schismatis, et dubii Pontificis, atque a Martino V. probata et confirmata, nullus catholicus cujuscumque status, conditionis, aut dignitatis etiamsi papalis, ausus esset illis contradicere, absque haereseos labe: atqui non solum Martinus ipse in Concilio illis contradixit, ut vidimus, sed paulo post Concilium plures Theologi eruditione, et sanctitate insignes contrarium docuerunt, inter eos Turrecremata in Summa de Ecclesia, Ferrariensis in l. 4. cont. Gentes cap. 75. S. Antoninus in summ. p. 3. tit. 23. c. 3. §. 3., ubi dicit: *Sed nec ad Concilium generale a Papa appellari potest, quia Papa omni Concilio superior est: nec robur habet, quidquid agitur, nisi auctoritate Romani Pontificis roboretur, et confirmetur. Sentire ergo quod ad Concilium a Papa appellari possit, est haereticum.* Sequentes Pontifices Pius II., et Julius II. prohibuerunt sub poena excommunicationis appellare a Papa ad Concilium. Idem quotannis solemniter sub eadem poena prohibetur in publicatione Bullae Coenae, a Gregorio XIII. innovatae. Omnes ferme Theologi omnium aliarum nationum excepta Gallia cujuscumque status, conditionis, et dignitatis palam contrarium docent, et quidam tamquam de fide: concludamus ergo laudata decreta non esse decreta fidei, ab omnibus certo, et pro omni casu tenenda, vel quia spectant tantum casum schismatis, et dubii Pontificis, vel quia non sunt a Concilio vere Oecumenico edita, vel denique quia non sunt confirmata a summo Pontifice.

Et ita censuerunt ipsimet praecipui horum decretorum defensores. Gerson in Tract. *Quomodo, et an liceat*, postquam multa dixit pro superioritate Concilii supra Pontificem, sic concludit. *Haec autem dicta, vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicujus (praesertim sanctissimi Domini Martini Papae) reprehensionem.* Sic ne locutus fuisset Gerson, si decreta Constantiensia pro fidei decretis, ab omnibus in omni casu certo tenendis habuisset? Inquirituine veritas, quando certo habetur? Cardinalis Petrus de Alliaco Gersonis magister, alter Pontificiae dignitatis infra Concilium depressor, Gersone tamen moderatior, in Tractatu *de Potestate Ecclesiastica*, quem post sessionem 5. composuit anno 1417. juxta novam editionem operum Gersonis tom. 2. pag. 926., et qui lectus fuit in Concilio prima Octobris ejusdem anni, post multa dicta, et allegata pro auctoritate Concilii supra Pontificem sic concludit: *Haec igitur ad decem Capitula, in prologo hujus operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere. Quae tamen non definitive determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt. Nam hujus rei definitionem sacri Concilii determinationi submitto.* Censebat ergo nondum latam ultimam hac de re definitionem a Concilio.

Instant. Concilium Basileense sess. 2. Decretum Constantiense innovavit et confirmavit, certo et indubitato Pontifice existente: idque Eugenius IV. aprobavit et confirmavit Bulla *Dudum* lecta sess. 16. ejusdem Concilii Basileensis, in qua etiam revocat alias Bullas a se ulterius datas contra idem Concilium: ergo.

R. Eugenium IV. numquam probasse hoc Decretum sessionis 2. Concilii Basileensis: equidem metu schismatis imminentis ex eo, quod Concilium Basilea Ferrariam, renitentibus Patribus Basileensibus, transtulisset, et omnibus Principibus instantibus, ut hanc translationem revocaret, annuit continuationi Concilii Basileae, revocavitque Bullas, quibus ejus translationem, et dissolutionem praeceperat atque declaravit se intendere Concilium omni favore prosequi: et nihil amplius Eugenius in dicta Bulla *Dudum*. Ex eo autem, quod Concilium legitimum agnoverit, ejus continuationem permiserit, et illud omni favore prosequi intenderit, non sequitur, quod omnia ejus decreta probaverit, et confirma-

verit. Martinus V. Concilium Constantiense legitimum agnovit, omni favore illud prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta confirmavit, sed ea solum, quae in materia fidei conciliariter essent facta, nec aliter, nec alio modo, ut vidimus. S. Leo Concilium Chalcedonense legitimum agnovit, et ipsum omni favore pariter prosecutus est, nec tamen omnia ejus decreta approbavit, ut constat ex supra dictis. Idem de Eugenio IV. respectu Concilii Basileensis. Id testatur Turrecremata citatus, scribens se audivisse Eugenium Florentiae in disputatione publica dicentem: *Nos quidem bene progressum Concilii approbavimus volentes, non tamen approbavimus ejus decreta*. Id etiam indicat ipse Eugenius scribens Episcopo Leodiensi, et Bononiensi, aliisque per Germaniam Legatis apud Raynaldum ad annum 1446. n. 3., et in Bulla *Moyses vir Dei* data in Concilio Florent., et refertur inter ejus acta p. 3. pag. 1186. Unde Nicolaus V., qui Eugenio successit, et quocum Basileenses, qui Lausanam Concilium transtulerant, inierunt pacem, ex omnibus Decretis Concilii Basileensis approbavit tantum, quae gesta erant circa censuras, et causas beneficiales.

Urgent. Qui Decreta Synodi scit, nec improbat, et edita Bulla Synodo adhaeret, censetur illa Decreta approbare, praesertim si ipsa Decreta prius ab ipso damnata, ipso quoque auctore convalescunt: ergo.

R. D. ant. Qui decreta Synodi scit, nec improbat, censetur illa probare, si tempus congruat, et obligatio urgeat approbandi, vel improbandi, transeat: secus, N. non congruebat autem tempus instante schismate ex obstinatione Basileensium, ut circa haec Decreta mentem suam aperiret summus Pontifex, nec urgebat tunc obligatio approbandi, vel improbandi, cum non soleant Pontifices nisi absoluto Concilio Decreta approbare, vel infirmare; neque per revocationem priorum Bullarum sic convaluerunt Decreta prius damnata, quasi essent approbata, sed ad eum statum revocata sunt, in quo erant ante damnationem.

Obj. 2. Saepe, praesertim in Gallia, appellatum est a summo Pontifice ad Concilium generale. Anno 1303. a Bullis Bonifacii VIII. Anno 1491. a Bulla Innocentii VIII. occasione decimarum extraordinariarum. Anno 1517. a concordato Leonis X. cum Francisco I. propter abrogationem pragmaticae sanctionis. Anno 1682. a Decretis Innocentii XI. in causa regaliae: atqui appellatio non fit nisi ab inferiori ad superiorem: ergo.

R. N. conseq. 1. Quia ex facto jus nec probatur, nec acquiritur, praesertim si sint jura positiva facto contraria, ut hic contingit, et patet ex probationibus conclusionis. 2. Quia istae appellationes non sunt factae ad Concilium generale excluso Pontifice, sed ad Concilium, quod Pontifex convocaret, et cui praeesset per se, vel per suos Legatos, sicque non tantum sunt appellationes, quam novae ejusdem causae cognitiones coram eodem Judice, aliis tantum judicibus Pontifici subordinatis assidentibus. Insuper appellatio a concordato non erat proprie appellatio ad Concilium generale, sed ad ipsum Pontificem, et plenius Concilium: quia Galli non reputabant Concilium Lateranense generale. Insuper non habebant Bonifacium VIII. pro legitimo Pontifice, ideoque existimarunt sibi licitum ab illo appellare. In aliis Regnis gravamini occurritur ordinarie per supplicationes, repraesentationes, legatos, sicque plerumque res pacifice componuntur.

Obj. 3. ab inconvenientibus. Non est credibile Deum destituisse Ecclesiam omni remedio in extremis: atqui id contingeret, si Pontifex non subjiciatur Concilio. 1. Si Pontifex esset noxius Ecclesiae, eamque vellet subvertere. 2. Si sit captivus. 3. Si sit amens: in his enim casibus nullum videtur remedium nisi in Concilio, quod possit Papam deponere: ergo.

R. N. min. Ad primum casum, si nitatur subvertere Ecclesiam in fide, cum tunc sit manifeste haereticus, hoc ipso excidit a Pontificatu: et requiritur tantum declaratio Ecclesiae, ut denegetur ipsi obedientia, sicut diximus antea. Si

autem aliter sit noxius Ecclesiae, quidam respondent, fideles posse vi armorum illi resistere absque eo, quod is amittat superioritatem : sic dum injuste invasus a suo superiore illi resistit, invadens non amittit ideo superioritatem. Sic iterum si Rex Galliae, qui nullum agnoscit superiorem in temporalibus, vellet Regnum subvertere, possent populi vi armorum illi resistere, nec tamen ideo amitteret dignitatem regni. Respondet S. Thomas *Recurrendum esse ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat*. vel dicendum, quod cum Deus speciali providentia regat, et conservet suam Ecclesiam, non permittet, sicut hucusque non permisit, hunc casum evenire, aut si permittat, non deerit in subministrandis mediis, et auxiliis opportunis.

Ad secundum casum Pontificis captivi, fient ab Ecclesia ad Deum preces, sicut fiebant pro Petro, dum detinebatur captivus ab Herode ; nec interim desinet esse Pontifex, aut poterit deponi a Concilio, sicut Rex Galliae captivus non desinet ideo esse Rex, nec deponi potest a populis.

Ad tertium casum : si Pontifex sit perpetuo amens, censebitur mortuus ; est enim amens revera mortuus quantum ad vitam rationalem; sicque Ecclesia sibi providere poterit de alio Pontifice. Interea vero in hoc, et praecedenti casu non desinet Ecclesia, sed servabit infallibilitatem fidei passivam. Quod si occurrant controversiae de fide, vel moribus, poterunt Episcopi, vel Concilium definire, sed definitio non habebit ultimam, et absolutam firmitatem, donec confirmetur a Pontifice sequente, ut jam diximus et dicemus.

[Regulae argumentandi ex auctoritate summi Pontificis sunt. 1. Ex sententia decretoria summi Pontificis loquentis ex cathedra, sive quidpiam definientis, vel approbantis tamquam credendum, vel observandum ab universa Ecclesia, firmissimum a Theologo argumentum trahitur, saltem si Episcopi plerique, sive in concilio congregati, sive per orbem dispersi, sententiam illam pacifice receperint. Cumque maximi ponderis sint momenta, quibus eruitur infallibilitas summi Pontificis loquentis ex cathedra, ejusque judicium in materia fidei, et morum esse irreformabile ante Episcoporum consensum, potest inde sumi validissimum argumentum ad convincendum non solum eos, qui isti extra Galliam communi sententiae contradicunt, sed etiam illos, qui definitionibus a Pontifice emanatis proterve refragantur, aut illas admittere tergiversantur, priusquam Ecclesiae consensus accesserit. Hanc argumentandi rationem sic perstringit Card. Gotti *tract. de loc. theol. qu*, 3. *dub.* 6 §. 5. *n.* 34. Dogma in quo omnes Ecclesiae, et universitates catholicae consentiunt, quamvis ex aliqua particulari Ecclesia, et universitate aliqui contradicant, ut Dogma certum, et infallibile tenendum est. In dogmate, quod Romanus Pontifex ex cathedra docens universam Ecclesiam aliquam veritatem spectantem aut Fidem, aut mores, etiamsi doceat extra Concilium, infallibilis sit nec errare queat in docendo, independenter a quocumque consensu subsequuto, consentiunt omnes Ecclesiae, et universitates totius Orbis Catholici, et solum aliqui ex Gallicana Ecclesia, aut Parisiensi facultate refragantur. Ergo tenendum est tamquam Dogma infallibile.

Regula 2. Judicium Pontificis tamquam *Doctoris privati* etiam in materia fidei, vel morum aliquid docentis, vel statuentis, vel tamquam *Judicis publici* quidem sed in materia meri facti Personalis sententiam pronuntiantis, non suppeditat argumentum prorsus irrefragabile, Potest tamen suppeditare magis vel minus probabile, solidum, et efficax pro majore, vel minore auctoritate, pensanda ex ipsius peritia, prudentia, rationum pondere, vel modo agendi, aliisque conditionibus ad sanum, et legitimum judicium ferendum requisitis.]

DISSERTATIO V.

DE CONCILIO GENERALI.

ARTICULUS I.

Cujus sit convocare Concilium generale?

Concilium, dictum vel a considendo, vel a concurrendo in eamdem Sententiam, significat Coetum, seu Congregationem, unde Comitia Regni, vel Provinciae possunt dici Concilium, sed hic quaerimus de Concilio in rebus Ecclesiasticis, et Religionem spectantibus. Potest definiri. *Congregatio Ecclesiasticorum praesertim Episcoporum, legitima auctoritate convocata, ad statuendum, quae spectant Religionem, moresque Christianorum.* Usum Conciliorum habemus ex Apostolis, estque probabile, institutionem esse divinam, tum ex illo Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* tum quia verisimile est Apostolos vel ex praecepto Christi, vel ex speciali motione Spiritus S. sua Concilia celebrasse.

Quadruplex solet distingui Concilium, Dioecesanum, Provinciale, Nationale, et Generale. Dioecesanum est, quod ab Episcopo celebratur cum Clero suae Dioecesis. Provinciale quod celebratur ab Archiepiscopo cum Episcopis suae Provinciae. Nationale, cui adsunt omnes Archiepiscopi, et Episcopi unius nationis, convocati a Primate, vel Patriarcha. Generale, quod dicitur etiam oecumenicum, et Plenarium, est coetus Episcoporum a summo Pontifice ex toto Orbe christiano convocatorum, et cui ipse summus Pontifex per se, vel per Legatos praesidet, et de illis est praesens dissertatio.

[Concilium Dioecesanum teste Card. Gotti tract. 1. *de Locis Theolog.* Cap. 5. §. 1. n. 7. vix nomen Concilii meretur, cum, dempto Episcopo, nullus ordinarie in eo sit, qui jurisdictione polleat ad ferendum suffragium, aut dicendam sententiam. Oecumenicum vero quamvis secundum nominis etymologiam idem sit ac Universale, canonice tamen solum tribuitur Concilio Generali, quod legitimum est, et tamquam tale a Pontifice approbatum, atque ab universa Ecclesia agnitum, et receptum.]

Dico. Solius est summi Pontificis certi et indubitati convocare Concilium generale.

Probat. 1. Julius epistola ad Orientales apud Socratem l. 2. c. 13. dicit: *Canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Romani Episcopi Ecclesiis sanciantur*; seu ut legit Cassiodorus in hist. tripar. *Non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Refertur cap. *Regula* citato: hunc que Canonem a Nicaena Synodo renovatum scribit Synodus Alexandrina epist. ad Felicem Papam.

Pelagius II. epist. 1. c. 1. ad Episcopos, qui non convenerant ad convocationem Joannis Constantinopolitani, dicit: *Multis denuo apostolicis, et canonicis, atque ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Refertur cap. *Multis* d. 17.

In Concilio Chalcedonensi act. 1. Dioscorus prohibetur sedere inter Episcopos, *quia*, inquiunt Patres, *Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis apostolicae, quod nunquam factum est.*

Si dicas ex his sequi, quod nec dioecesana aut provincialia Concilia possint nisi a Romano Pontifice convocari, praesertim cum cap. *Nec licuit* eod. d. 17. Pelagius II. dicat, nec Synodum particularem fine auctoritate Sedis apostolicae licere celebrare, consequens autem non admittitur: ergo.

R. Quod jura, et ipsimet Pontifices concedant, imo jubeant Episcopos, et Archiepiscopos ut particularia Concilia celebrent, sicque non sine eorum auctoritate celebrantur. Caput *Non licuit* loquitur de Synodis particularibus congregatis contra universalem Synodum: patet ex rubrica, quae sic est: *Absque apostolicae Sedis auctoritate Synodum particularem contra universalem aliquibus congregare non licet.*

Prob. 2. Illi soli competit jus convocandi Concilium generale, qui habet curam totius Ecclesiae, et auctoritatem in Episcopos convocandos: atqui is est Romanus Pontifex, ut patet ex dissert. praeced. Ergo. Maj. etiam constat, quia Concilium generale spectat universam Ecclesiam, et sine auctoritate in Episcopos, qua compellantur comparere Concilio, frustranea et impotens foret convocatio.

Dices: Concilia Orientalia ut plurimum convocata fuere auctoritate Imperatorum.

R. nullum Concilium ex orientalibus convocatum fuisse sine saltem assensu summi Pontificis, consequenter sine ejus auctoritate: quamvis enim absolute loquendo non sit idem auctoritas, et consensus, attamen in eo, qui habet auctoritatem aliquid faciendi, in illud consentire, est ejus auctoritate fieri: unde cum sit penes solum Pontificem auctoritas convocandi Concilia, ut probatum est, idem est respectu illius praebere consensum convocationi Concilii, ac illud per alium convocare.

Articulus II.

De convocandis ad Concilium generale, et illius Praeside.

Petes 1. Qui sint de jure convocandi ad Concilium generale?

R. solos Episcopos esse de jure vocandos ad Concilium generale.

Probat. 1. Ii soli sunt de jure vocandi ad Concilium generale, qui habent jurisdictionem non solum in foro interiori, sed etiam in foro exteriori ecclesiastico: atqui soli Episcopi habent hujusmodi jurisdictionem: ergo. Min. constat; non enim laici, cujuscumque sint conditionis, aut dignitatis, etiamsi Imperialis, habent jurisdictionem in foro exteriori ecclesiastico, cum sit spiritualis, neque inferiores Clerici, aut Curati: patet ex usu, et quia non sunt primarii, et proprie Pastores, sed, ut inquit Angel. 2. 2. q. 184. a. 6. ad, 2. *Habent tantum aliquas subministrationes sub Episcopis*, quas ad nutum limitant Episcopi. Prob. maj. In Conciliis generalibus non solum definiuntur simpliciter controversiae circa fidem, mores, et causas privatas Episcoporum, sed etiam feruntur leges, decernuntur poenae, et compelluntur contumaces obedire definitionibus, et sententiis prolatis: haec autem pertinent ad forum exterius Ecclesiae: ergo.

Probat. 2. ex usu Ecclesiae, quae non solet nisi Episcopos de jure vocare ad Concilia generalia.

Dixi, *de jure*, quia quandoque ex privilegio summorum Pontificum vocantur Abbates, et Generales Ordinum cum jure suffragii decisivi, idque non incongrue, ut scilicet repraesentantes subditos, ex priori privilegio a jurisdictione Episcoporum exemptos.

Vocantur etiam Theologi, et Canonistae non cum jure suffragii decisivi, sed ut res fidei, et Ecclesiae inquirant, et examinent, et sensus suos Patribus Concilii referant. Item quandoque vocantur Imperatores, non ut res Ecclesiae definiant, sed ut Concilium defendant et adjuvent, atque decretorum sint testes, et ea libentius, ac efficacius mandent executioni, atque rebelles poenis coerceant.

Petes 2. Quis Episcoporum numerus requiratur ad Concilium generale?

R. non requiri, quod omnes omnino totius orbis Episcopi adsint; alias nun-

quam possent celebrari Concilia generalia; neque requiritur certus Episcoporum numerus, quia id neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ex usu habetur; sed requiritur quod convocatio auctoritate summi Pontificis facta, omnibus saltem majoribus provinciis innotescat, et nullus ex toto orbe verus Episcopus non excommunicatus excludatur, sed aliqui ex majori parte provinciarum adsint. Sic tamen, ut si celebretur Concilium in Oriente, plures ex Oriente adsint, et aliqui ex Occidente, qui alios repraesentent; et e converso si celebretur in Occidente: patet ex praxi Ecclesiae in anterioribus Conciliis.

Petes 3. Utrum Episcopi in Concilio sint vere judices, an consiliarii tantum?

R. ut jam prius dixi, non esse tantum consiliarios, sed vere judices, gaudentes jure suffragii decisivi, subordinatos tamen summo Pontifici.

Probat. 1. Apostoli in Concilio Jerosolymitano Act. 15. fuerunt veri judices, dixerunt enim; *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*: et Jacobus sub his verbis sententiam dixit: *Propter quod ego judico*, 2. Episcopi in Conciliis subscribunt: *Ego N. statuens*, vel, *Ego N. definiens subscripsi.*

Nec refert quod summi Pontifices solcant dicere *Sacro approbante Concilio*, vel *de Fratrum nostrorum Consilio*, quia equidem Episcopi et approbant, et consilium dant, sed id non solum praestant, verum etiam judicant cum Pontifice. Dicit Pontifex de eorum consilio, et non judicio, quia Consilium ab eis accipit, sed non judicium, nec judicandi potestatem, quam a Deo solo habet.

Dixi: *Subordinatos tamen summo Pontifici*: summus Pontifex sedet in Concilio non ut simplex praeses, sed ut Princeps: Principi autem subordinantur judices in senatu, ita ut non teneatur sequi majorem partem judicum, sed possit eorum judicium irritare.

Petes 4. Cujus sit praesidere Concilio generali?

R. solius summi pontificis esse praesidere auctoritative Concilio generali per se, vel per suos Legatos.

Probat, 1. Illius est auctoritative praesidere Concilio generali, cujus est praesidere toti Ecclesiae, quam repraesentat Concilium generale: atqui solius est summi Pontificis praesidere auctoritative toti Ecclesiae, cujus nimirum est Caput, Pastor, et Princeps, ut patet ex dissert. praeced. Ergo. 2. Illius est praesidere Concilio generali, cujus est illud convocare, ut patet in Conciliis dioecesanis, provincialibus, et nationalibus: atqui solius est Pontificis convocare Concilium generale, ut probatum est art. 1. Ergo. 3. Si tempore Christi celebrata fuisset Synodus, Christus absque dubio illi praefuisset: ergo id ejus Vicario competit.

Probat. 4. ex usu et praxi Ecclesiae: nullum hucusque celebratum fuit Concilium generale, cui non praesederit summus Pontifex per se, vel per suos Legatos: ergo jus praesidendi Ecclesia constanter in eo agnovit.

Dices. Imperatores saepe dicuntur praesedisse Conciliis. Ergo. R. D. An. Imperatores saepe dicuntur praesedisse Conciliis loco, et honore C. Auctoritate, et Potestate. N. Vel dicuntur praesedisse ad protegendum Concilium, et servandum Ordinem C. Ad definiendum, et statuendum in rebus Fidei, et Ecclesiae. N.

Articulus III.

Utrum Concilium generale sit infallibile in definiendis quaestionibus fidei, et morum?

Dico. Concilium generale legitime congregatum, et confirmatum a summo Pontifice est infallibile in definiendis quaestionibus fidei, et morum.

Probat. 1. iis omnibus, quibus probavimus dissert. 3. art. 4. Ecclesiam universam, sive credentem, sive docentem non posse errare, est enim Concilium generale ipsa universa Ecclesia repraesentative.

Prob. 2. ex iis omnibus, quibus probavimus infallibilitatem summi pontificis ; quia si Concilium a summo pontifice confirmatum errare posset, sequeretur, quod ipse Pontifex erraret confirmando definitiones erroneas.

Prob. 3. Si Concilium generale a summo Pontifice confirmatum errare posset, nihil haberemus certum, et fixum in Ecclesia, cum judicio talis Concilii generalis non detur majus, et certius.

Item omnes haereses a Conciliis generalibus damnatae reviviscerent, dicerent enim Haeretici, Concilia a quibus sunt damnati, errasse. Item non certo Nobis constaret, utrum sint canonici libri, quos Concilia definiunt esse canonicos, unde tota subrueret Fides, et Religio. Item Ecclesia fuisset usque huc in errore intollerabili proponens ut fide credenda a Conciliis generalibus definita, quae possent esse falsa.

Quidam probant Conclusionem ex illo Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Verum pro hujus loci intelligentia recte observat Sylvius aliquos posse dupliciter in nomine Christi convenire. 1. Si conveniant in bonum finem, et animo vere Christiano. 2. Si auctoritate Christi conveniant; quod fit cum auctoritate ejus Vicarii conveniunt, et quae definiunt, ejus auctoritate firmantur. Qui priori modo conveniunt in nomine Christi, ut in Conciliis Provincialibus, Christus adest tamquam adjutor, non ut infallibiliter definiant, sed ut diligenter rem discutiant ; quod si contingat eos errare, a Capite infallibili erudiantur, et firmentur in veritate. Qui vero posteriori modo conveniunt in nomine Christi, Christus eis adest, ut infallibiliter definiant, quia summo Pontifici, et Ecclesiae promisit infallibilitatem.

Obj. Aug. l. 2. cont. Donat. c. 3. dicit Concilia plenaria priora posse emendari a posterioribus : ergo ea agnoscit fallibilia.

R. N. conseq. in sensu conclusionis, loquitur enim ibi Augustinus de Conciliis plenariis non in quaestionibus fidei, et morum, de quibus procedit conclusio, sed in factis particularibus, in quibus fatemur, Concilia plenaria ex falsis testimoniis errare posse, ideoque a Conciliis posterioribus posse emendari, nempe *cum*, ut ait ibidem S. Doctor, *aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat.*

Obj. 2. Quamvis sit de fide, omne Concilium generale legitimum esse infallibile, non est tamen de fide hoc Concilium generale, puta Nicaenum, esse legitimum, id enim tenemus ex historia humana. Ergo non est de fide hoc Concilium esse infallibile. R. 1. Nego Ant. Est namque de fide, quod omne Concilium ab Ecclesia acceptatum sit legitimum, quia Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei Regula. In hac autem propositione universali continetur ut pars in toto haec particularis : Hoc Concilium, puta Nicaenum, acceptatum ab Ecclesia, est legitimum, sicque est in sua universali revelata. Non enim repugnat cognitioni, seu assensui Fidei, quod supponat aliquem discursum, non tamquam motivum, propter quod praebeatur assensus, sed per quem revelatio universalis applicatur particulari subjecto. Unde si propositio universalis sit de fide, non obstante Minori naturali, Conclusio particularis in Majori contenta ut pars in toto, erit etiam de Fide. 2. Esto non sit de fide, hoc Concilium esse legitimum, sed tantum certum consequutione theologica, quia forte non requiritur tanta certitudo ad Praeambula fidei, quam ad ipsam fidem, saltem hujus Concilii Decreta, quae fide divina credenda proponit Ecclesia omnibus Fidelibus, ad fidem pertinent, cum certum sit Ecclesiam errare non posse circa res fidei.

Petes quid sit dicendum de Decretis Conciliorum Provincialium, aut Nationalium ? R. 1. Si secundum se spectentur sunt quidem veneranda, non tamen infallibilis auctoritatis, quia Concilia particularia nullo titulo gaudent privilegio infallibilitatis, et saepe erraverunt. 2. Si sint a S. Sede confirmata ut Dogma-

ta Fidei, ab omnibus Fidelibus fide divina credenda, sunt infallibilis auctoritatis ex ipsa summi Pontificis confirmatione. 3. Si seclusa confirmatione positiva et expressa Summi Pontificis pervenerint in communem Ecclesiae notitiam, et neque summus Pontifex, neque Ecclesia contradicant, Alphonsus a Castro, et Bannes, quos citat et sequitur Sylvius, censent esse infallibilis Auctoritatis. Nam si haec decreta omnibus nota essent falsa, nunquam Ecclesia, aut Pontifex taceret, sed errori per contraria Decreta occurreret. Hujusmodi sunt, inquiunt, Concilia Toletana, Arelatensia, Hispalensia, et quaedam alia.

Articulus IV.

Utrum Concilium generale debeat necessario confirmari a summo Pontifice?

Dico. Confirmatio summi Pontificis debet necessario accedere Concilio generali, ut sit ratum, et firmum.

Probat. 1. ex Julio I., Pelagio II., et Synodo quarta, quorum textus citavimus art. 1. hujus dissert., juxta quos nullum Concilium est ratum, et firmum, nisi auctoritate Romani Pontificis fulciatur, media autem confirmatione fulcitur.

Probat, 2. ex usu, et praxi Ecclesiae. Omnia Concilia generalia hucusque celebrata fuerunt confirmata a summo Pontifice, et plura ejus confirmationem petierunt: hoc autem apertum est indicium, hanc confirmationem existimatam fuisse necessariam; alioquin ut quid tam accurate, tam constanter data, et toties petita?

Probat. 3. Concilium generale non est ratum, et firmum in suis decretis, nisi quatenus repraesentat Ecclesiam universam: atqui non repraesentat Ecclesiam universam, nisi caput suum Romanum Pontificem secum judicantem habeat, nec censetur Romanus Pontifex judicare, nisi dum Concilii Decreta confirmat: ergo.

Verum statim occurrit difficultas non levis. Concilium generale legitime congregatum assidentibus et judicantibus cum Concilio Legatis Apostolicis, qui vices Romani Pontificis gerunt, et ejus nomine praesunt, repraesentat universam Ecclesiam, est enim suo capiti unitum: ergo hoc ipso ejus decreta sunt rata, et firma, nec indiget ulteriore confirmatione Pontificis.

Ad hujus difficultatis enodationem observandum est, Legatos Apostolicos mitti ad Concilia aliquando cum iustructione summi Pontificis circa quaestiones definiendas, quod fieri solet, quando pauca sunt definienda; aliquando sine instructione, quod contingit, quando plura sunt definienda, ut in Concilio Tridentino. Hac observatione praemissa ad difficultatem propositam,

R. 1. Si Legati habeant instructionem, et eam non sequantur definiendo cum Concilio, definitio non est rata, et infallibilis, cum enim non agant tunc ut Legati Pontificis, Concilium non est in definiendo suo capiti junctum, nec consequenter repraesentat Ecclesiam.

2. Si vero sequuntur adamussim suam instructionem, arbitramur, quidquid dicant aliqui, definitionem Concilii esse ratam, et infallibilem, quia tunc habet junctum suum caput, nempe summum Pontificem, expresse secum consentientem, et sic totam Ecclesiam repraesentat.

Neque dicas hanc Pontificis instructionem non esse definitionem ex cathedra, alioquin non essent libera Episcoporum suffragia; solam autem definitionem Pontificis ex cathedra esse infallibilem. Fateor equidem hanc instructionem, dum datur, non esse definitionem ex cathedra, sed dum illi consentit Concilium, et secundum illam formatur decretum, incipit esse definitio ex cathedra, estque sententia definitiva, non Concilii tantum, sed etiam Pontificis, quam retractare

non potest: sic enim mittuntur Legati, ut si Concilium instructioni assentiat, formetur decretum; si non assentiat, suspendatur decretum, et interim consulatur Pontifex.

Nihilominus in hoc casu existimamus necessariam esse confirmationem summi Pontificis, non ut decreta Concilii acquirant infallibilitatem, quam jam habent, sed ut innotescat Ecclesiae, omnia in Concilio rite fuisse servata, et juxta istructionem, et mentem Pontificis decreta fuisse formata, quod aliter certo sciri non potest; cum quandoque Legati praeter instructiones publicas habeant secretas, quas forte non exhibuerunt, aut saltem non exhibere poterant.

3. Si vero adsint Legati Concilio sine instructione summi Pontificis, quidquid definit Concilium, etiam iis assentientibus, non est infallibilis auctoritatis, nisi accedat confirmatio summi Pontificis, quia Pontifex non potest conferre Legatis privilegium infallibilitatis; est enim annexum summo Pontificatui, seu dignitati capitis, et supremi pastoris Ecclesiae, pro quo solo Christus oravit, ut non deficeret fides; non potest autem Papa Legatos constituere summos Pontifices, et supremos Ecclesiae pastores. Confir. Legati cum instructione Pontificis possunt ab ilia recedere, et errare: ergo pariter errare possunt sine instructione.

Verum redit argumentum prius factum. Concilium legitime congregatum praesidentibus Apostolicis Legatis repraesentat universam Ecclesiam: atqui universa Ecclesia errare non potest: ergo.

R. D. ant. Concilium legitime congregatum praesidentibus Legatis Apostolicis repraesentat universam Ecclesiam incomplete, et imperfecte, C. complete, et perfecte, N, nondum enim habetur consensio capitis cum corpore, siquidem Legati, quamvis nomine Pontificis praesideant, non sunt tamen caput, et Pontifex cum privilegio infallibilitatis, et ipse nondum mentem suam aperuerit circa definita.

Observandum est, quaedam definiri in Conciliis, quae spectant disciplinam tantum, et ea non indigent confirmatione Pontificis, quia non requirunt infallibilitatem. Quaedam definiuntur, et damnantur, quorum instructio praevia data est a summo Pontifice, aut quae jam a prioribus Conciliis, vel Pontificibus sunt damnata, et ab omnibus Catholicis damnantur, et haec pariter sunt rata, et infallibilia ante confirmationem Pontificis. Quae autem damnantur de novo sine instructione Pontificis, non exigunt quidem ante confirmationem Fidem, bene tamen obedientiam, ad quam non requiritur infallibilitas, sicut ad assensum Fidei. Ex his facile colliges, quomodo Concilium ante confirmationem possit quandoque procedere ad exequutionem suorum Decretorum.

Petes, quot sint Concilia generalia?

R. novemdecim vulgo numerari: Octo celebrata in Oriente, scilicet Nicaenum, cui adjungitur Sardicense, Constantinopol. I., Ephesinum, Chalcedonense, Constantinop. II., Constantinop. III., Nicaenum II., et Constantinop. IV. undecim celebrata in Occidente post schisma Photii, scilicet quatuor Lateranensia, duo Lugdunensia, Viennense, Constantiense, Florentinum, Lateranense V., et Tridentinum. Quidam addunt Pisanum.

[Traduntur regulae legitimae argumentationis ab auctoritate Conciliorum. Prima Regula. Secernenda sunt Concilia genuina, ac legitima tum a spuriis, et reprobatis sive in toto, sive in parte, tum ab iis, quae Auctoritate Apostolica non sunt approbata. Haec enim non praebent Theologo firmum argumentum.

2. Decreta Fidei, et morum in Concilio generali legitime convocato, et celebrato, probante summo Pontifice condita, vel saltem ab eo confirmata, exhibent argumentum irrefragabile ad probandum istorum dogmatum veritatem.

3. Concilium particulare a Pontifice approbatum, vel confirmatum praebet argumentum efficax. Si vero utroque illo subsidio careat, non tamen sit positive reprobatum, neque aliquid doceat contrarium aliis Conciliorum, vel Pontificum

definitionibus, fundat argumentum valde probabile, immo si ipso saltem usu Ecclesiae probetur, adeo solidum, ut temerarium videatur ei non acquiescere.

4. Decreta Conciliorum etiam Generalium, a Pontifice confirmata, non praebent argumentum irrefragabile ad probandas conclusiones, quas Theologi ex illis proliciunt, nisi liquido ostendatur, quod illa has saltem implicite contineant, vel cum iis certo connectantur. Hinc Theologi orthodoxi haud infrequenter conclusiones inde eliciunt solum probabiles, imo quandoque conclusiones ex Diametro oppositas, ita ut singularum respective Patroni Concilium pro se stare praetendant.

5. Non omnia, quae gesta sunt in Concilio, licet Oecumenico, eamdem vim exhibent Theologo ad argumentandum, vel convincendum, quia non omnia pertinent ad Fidem catholicam. Hinc 1. Secernenda sunt *Decreta conciliaria*, seu ab ipso Concilio conciliariter, seu communi Decreto edita, a colloquiis, vel assertionibus praeviis, a quibusvis dumtaxat Patribus in deliberationem prolatis, ut condendis Canonibus viam aperiant. Haec enim non eamdem profecto vim habent, ac conciliaria Decreta. 2. Secernenda ipsa conciliaria Decreta ab eorum praeambulis, clausulis, atque etiam iis, quae obiter solum, et praeter institutum praecipuum, ab ipso Concilio interseruntur. 3. Secernenda sunt Fidei, morumque Dogmata a Decretis mere disciplinaribus. Illa enim prorsus immutabilia sunt, non semper ista. 4. Secernendae sunt ipsae Fidei, morumque definitiones a quibusdam rationibus, quae iis adjiciuntur, non enim omnes rationes allegatae etiam ab ipso Concilio sunt semper aequalis ponderis cum ipsis Definitionibus, neque etiam quaevis ejusmodi ratio in eodem certitudinis gradu consistit cum altera. Potest enim ab uno, vel altero Patre adjungi causa explicandi, vel illustrandi aliqua ratio, quae non habeat eamdem firmitatem, quam habent momenta, quibus definitio Conciliaris innititur. 5. Pensanda sunt attente verba Definitionis, ac dispiciendum in primis, quid per illa, in proprio sensu intellecta, clare definiatur; item an sola rei substantia, an etiam ipse modus. 6. Denique cum non omnes Conciliorum definitiones veritates, quas proponunt, nec omnes censurae errores, quos proscribunt, in eodem gradu constituant, attendendum est, sub quo certitudinis gradu aliquid definiatur. An ut Fide certum, an ut Fidei proximum, an vero aliquam sententiam ut probabilem Concilium amplectatur. Hac de re assignantur a Theologis aliquae Notae ex quibus Conciliorum de fide judicia internosci queant. Uti 1. si expressis terminis pronuntient aliquid a Fidelibus esse firmiter credendum, aut tamquam Fidei Dogma accipiendum. 2. Si contrarium expresse declarent Fidei catholicae, Evangelio, vel Doctrinae Apostolorum refragari. 3. Si hoc asserentes pro Haereticis habendos esse declarent. 4. Si aliter sentientibus, vel dicentibus Anathema dicant; vel in eos, qui contradixerint Definitioni, sententiam ferant excommunicationis ipso facto incurrendae. Haec tamen postrema Nota interdum ambigua est, nec semper quidquid in Concilio sub Anathemate prohibetur, ratione sui proxime Haeresis est, cum nonnumquam propositiones in cumulo diverso Censurae gradu notentur, et tamen omnes sub Excommunicationis poena doceri prohibeantur.

DISSERTATIO VI.

DE AUCTORITATE SS. ECCLESIAE PATRUM.

ARTICULUS I.

Qui sint sancti Ecclesiae Patres, et quae eorum auctoritas.

Quamvis nomine SS. Patrum Ecclesiae, latius sumpto, venire possint quicumque Ecclesiae Pastores, et Doctores, qui speciali lumine perfusi, ac insigni

sanctitate conspicui, Ecclesiae plantandae, vel salubri Fidei, morumque Doctrina irrigandae sedulam operam collocarunt, pressius tamen accepto, dumtaxat intelliguntur hi, qui post Apostolorum tempora, his tamen paullo viciniores, et eminentis Doctrinae, sanctitatisque fama magis celebres, Ecclesiam qua voce, qua libris ad posteros transmissis, illustrarunt, atque ita exemplo Apostoli Filios plurimos in Christo Jesu per Evangelium, ejusque Fidei, ac Doctrinae legitimam expositionem genuerunt. Possunt Ecclesiae Patres jure meritoque Doctores etiam appellari, quippe qui sapientiae, sanctitatisque suae radiis eam collustrarunt. Sunt tamen ex illis quidam, qui speciali etiam honoris praerogativa nuncupantur *Ecclesiae Doctores*, eo quod praeter eminentem scientiam, et virtutem, qua in domo Dei praeluxere, publico Ecclesiae ipsius testimonio pro talibus agniti, ac declarati fuerint, cujusmodi ex antiquioribus, Graecis quidem, sunt *SS. Basilius Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus; e Latinis SS. Gregorius Magnus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus*. Quibus recentius accessere *D. Thomas Aquinas*, et *S. Bonaventura*, hic *Seraphici*, ille *Angelici* Doctoris titulo insignitus. Novissime quoque declarationem obtinuerunt S. Petrus Damianus, et S. Bernardus qui jam Doctoris melliflui nomine decorabatur.

Inter scripta SS. Patrum quaedam sunt *genuina*, et propria eorum, quorum nomine inscribuntur. Quaedam *spuria* vel ex toto, vel ex parte, quia vel Librarii ignorantia, aut injuria, unum nomen fuit suppositum pro altero; vel ab illo, aut alio auctore, quamvis Catholico, ad conciliandum operi pretium sub nomine alicujus celebris Patris edita, vel denique fraude Haereticorum supposita, aut quibusdam seu insertis, seu expunctis corrupta, quibus suos errores tali patrocinio tuerentur. Alia demum *incerta*, et *dubia*, quae quamvis quandoque verosimilius habeantur pro genuinis, sunt tamen fidei admodum ambiguae.

Inter Res, de quibus in suis scriptis agunt SS. Patres, quaedam sunt *prophanae*, quas saltem in decursu quandoque admiscent, ut quaestiones philosophicae, et aliae, quae solo naturali lumine investigari solent, de quibus, utpote a nostro instituto alienis, advertere sufficiat, plures ex SS. Patribus etiam naturales disciplinas egregie excoluisse, ac perinde eorum auctoritatem modeste, ac observanter esse accipiendam pro ipsorum perspecta peritia majori, vel minori talium materiarum. Quaedam vero *Sacrae* quarum aliae pertinent ad Fidei, morumque Dogmata; aliae quae salva Fide, morumque christianorum puritate, materiam tangunt inter ipsos orthodoxos controversam. Observandum praeterea in operibus SS. Patrum alia reperiri ad erudiendos Christianos in fide, et moribus, aut convellendos, revincendosque Haereticos presse, rigideque prolata; alia ad Populum dicta pro concione non sine amplificatione Oratoribus familiari.

Contra SS. Patrum auctoritatem duo peccata committunt Haeretici. Alii eam omnimode deprimunt, et contemnunt, uti Lutherani, et Calvinistae, nisi forte aliqua eorum verba a contextu decerpta sibi specie tenus favere videant. Alii SS. Patrum auctoritatem nimium extollunt, ut Jansenistae, qui S. Augustini doctrinam, ab ipsis haud secus ac olim ab Adrumetinis Monachis, aliisque male intellectam, omnibus Pontificum Decretis, etiam ab universa Ecclesia receptis, ante habent. His praemissis.

Dico 1. Generatim loquendo magna semper fuit in Ecclesia SS. Patrum quoad res Fidem, moresque spectantes Auctoritas. [Prob. 1. Qui propius a fonte Fidei, morumque dogmata hauserunt, Coaevi testes antiqui Spiritus Ecclesiae, fidi Custodes apostolicarum Traditionum, quas vel a Majoribus, qui Apostolorum temporibus viciniores fuerant, acceperunt, vel in Synodis, quibus interfuere, dixerunt, semper habiti sunt ab Orthodoxis omnibus tamquam Fidei Magistri; Atqui hi sunt SS. Patres. Ergo.

2. Concilia, et SS. Pontifices, quoties de Traditione, aut de Scripturarum ex-

positione actum fuit, Patrum mentem ex ipsorum monumentis diligenter indagarunt, ac saltem, ubi uniformis fuit, secundum illam sententiam tulerunt. Sic Ephesinum *in tali sensu*, inquit, *SS. Patres fuisse comperimus.* Item *Sequentes itaque SS. Patrum confessiones, et intentioni eorum aequis vestigiis insistentes profitemur etc.* et Chalcedonense. *Haec est Fides Patrum.* Denique ipsi Patres posteriorum Soeculorum in rebus fidei, et morum, soliti sunt anteriorum sententiam ex ipsorum Scriptis sedulo explorare, et libenter sequi, memores illius Oraculi Eccli. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens. Narrationem Virorum nominatorum conservabit.*

Dico 2. Singuli e SS. Patribus non habent irrefragabilem Auctoritatem in quaestionibus Fidei, et morum dirimendis. Prob. 1. Quia nullibi legitur singulis promissa Spiritus S. assistentia, neque necesse est ad conservandum Fidei depositum, eam cuivis illorum fuisse promissam. 2. Quia liquido constat ex historia ecclesiastica, quosdam illorum nonnulla docuisse, quae postea fuerunt improbata ab Ecclesia, ut opinio S. Cypriani de rebaptizandis Haereticis, itemque quorumdam aliorum de millenario Christi in Terris Regno, de differenda sanctarum Animarum Beatitudine. 3. Quia ex ipsis SS. Patribus quidam expresse scribunt nolle sibi irrefragabilem auctoritatem attribui, ita Hieronymus, et Augustinus apud Card. Gotti *tract. Isagog.* 94. 3. *Dub.* 2. §. 1. *n.* 1. *et* 7. Additque idem Augustinus *Lib.* 2. *de Bapt. contra Donat. a.* 3. omnia Episcoporum, et Doctorum scripta, sola excepta S. Scriptura, posse reprehendi, non tamen temere, et per quodlibet privatum Doctorem, sed *per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, et per Concilia.* Et quamvis hic S. Doctor in materia de Gratia, et Praedestinatione inter caeteros Ecclesiae Patres praefulgeat, *ejusque sententiam*, ait Suares, *semper esse praeferendam*, nisi *cum major Patrum, aut Ecclesiae auctoritas obstare videtur, quod raro, vel nunquam contingit*; attamen ejus Auctoritas non est irrefragabilis nisi quoad puncta a Conciliis, et Pontificibus approbata. Merito igitur damnata ab Alexandro VII. fuit haec propositio. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

Hinc sequitur cuilibet Catholico recedendum esse a sententia unius, vel alterius Patris, quam is, innoxie docuit, cum nondum ab Ecclesia fuerat reprobata, ut postea fuit. Quod tamen ita faciendum est, ut nihil detrahatur auctoritati ejusdem Patris in caeteris, ut enim ait Facundus Hermaniensis *Errores Patrum* intucantur veluti *luminarium defectus, quae licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt.* Et praeterea nonnisi modeste, et *salva* ut ait Augustinus, *honorificentia*, quae illis debetur Hominibus, et cujus ipse exemplum exhibet, cum disputans adversus Donatistas non tam S. Cyprianum, quam ipsam opinionem, in quam ille incautus impegerat refellit, et arguit. *Reddens*, inquit, *debitam reverentiam, dignumque honorem quantum valeo persolvens pacifico Episcopo, et glorioso Martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de Schismaticis, vel Haereticis baptizandis, quam postea veritas prodiit.* Si vero privati alicujus Patris opinio error apertus non sit, non facile est illi contradicendum, sed si quid minus consone dictum videatur, reverenter, ac benigne interpretandum, si quid ambiguum, quod ex aliis ejus sententiis explicari, et excusari possit, excusandum potius, quam Patri errorem adscribendum.

Quamvis autem unius Patris auctoritas in rebus fidei, et morum non sit irrefragabilis, magnum tamen habet pondus, praecipue si non fuerit plane singularis, neque ab aliis Patribus communiter fuerit illi contradictum. Insignis enim doctrina, et sanctitas ejusmodi Doctoris idonea est per se loquendo, ad extorquendum

assensum propositioni ab illo assertae. Pondus tamen auctoritatis non est in singulis Patribus aequale, cum unus alteri sicut sanctitate, sic et doctrina praestet, neque etiam par in singulis, quas pertractant, materiis. Hinc eorum, quos Deus posuit in Ecclesia, ut catholicam Doctrinam contra haereses sui saeculi defenderent, maxima est auctoritas circa ea Dogmata, quae propugnanda susceperunt; veluti Athanasii, et Hilarii circa Verbi divinitatem, et cum Patre Consubstantialitatem contra Arianos, S. Cyrilli circa unam in Christo Personam contra Nestorianos; S. Augustini circa liberum arbitrium, Gratiam, et alia contra Manichaeos, Pelagianos, Donatistas etc.

Dico 3. Auctoritas plurium SS. Patrum, immo majoris partis illorum in quaestionibus fidei, et morum, adhuc inter Orthodoxos controversis, aliis tamen etsi paucis reclamantibus, multo gravioris quidem ponderis est, sed nondum plane irrefragabilis. Prima pars patet ex dictis; altera vero ex eo, quod opinio contraria licet paucorum, quando non reprobatur ab Ecclesia, possit manere probabilis, immo firmioribus rationibus niti. Consequenter illa communior plurium Sententia non est omnino certa, saltem ea certitudine, quae ad Sphoeram divinae fidei pertingat.

Dico 4. Unanimis SS. Patrum consensus in rebus fidei, et Morum, saltem cum aliquam Doctrinam aperte, constanterque proferunt tamquam communem Ecclesiae fidem, ab Apostolis descendentem, aut contrariam velut haereticam impugnant, est Auctoritatis prorsus irrefragabilis. Hoc jam expressit Vincentius Lyrin. dum de SS. Patribus, qui diversis licet temporibus, et locis in unius tamen Ecclesiae catholicae Communione, et fide permanserunt, ait, quidquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse dignoscuntur, id nobis absque ulla dubitatione credendum esse.

Prob. ex Concil. Ephesino, cui divinitus placuit: nihil aliud Posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. Patrum tenuisset antiquitas. Idem (omissis aliis Synodis Oecumenicis) placuit Tridentinae, quae speciatim cavit, ut nemo in rebus fidei, et morum ad aedificationem Doctrinae christianae pertinentibus, contra unanimem consensum Patrum Scripturam S. interpretari audeat. Exemplo praeivere eisdem Conciliis SS. Pontifices, qui quoties aliquid circa fidem occurrebat determinandum, diligenter praecedentium Patrum monumenta scrutari consueverunt, et ubi concordes illos invenerunt, secundum eorum sententiam definitionem protulerunt.

Prob. ratione. Viri illi Sapientes, ac Sanctitate illustres, qui diversis locis, et temporibus viventes in ejusdem Dogmatis assertionem unanimiter consenserunt, illudque tamquam dogma catholicum proposuerunt, non aliud sensisse credendi sunt, quam quod ipsa sentiebat, et credebat catholica Ecclesia: *Quod enim invenerunt in Ecclesia, tenuerunt* inquit *S. August. l. 1. cont. Jul.* Quapropter esto consensus iste non sufficeret ad fidem ingenerandam *a priori*, sufficit tamen a *posteriori* per modum signi, et argumenti, ex quo colligimus, id quod omnes Patres velut dogma catholicum proponunt, reipsa Doctrinam esse a Christo, vel Apostolis ejus nomine traditam Ecclesiae.

Praeterea credibile non est, tot, tantosque Patres, quos Deus posuit in Ecclesia Doctores tempore, locoque adeo dissitos, in unam eamdemque Sententiam circa fidei, morumque Dogmata Fidelibus explananda, uno animo convenire potuisse, nisi Spiritu S. Auctore; unde ajebat Hieronymus in Cap. 1. ad Galatas *Doctores Ecclesiae non tam ipsi docent, quam in ipsis Deus*, maxime cum si omnes in ejusmodi Dogmate errassent, simul in eodem amplectendo errassent reliqui Fideles, quos Deus jubet sequi Doctores, quos ipse in Ecclesia posuit. Eccli. 8. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientum, et in proverbiis eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam*: et mox. *Non te praetereat nar-*

ratio Seniorum; ipsi enim didicerunt a Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, et alibi pluries. Ergo errasset, et adhuc erraret universa Ecclesia, quod stantibus Christi promissis esse non potest. Unde nihil mirum, si illi, qui unanimem Patrum sententiam in materia dogmatica contempserunt, in turpissimos errores, manifestasque haereses prolapsi sunt.

Obj. Quae fide catholica credi oportet sunt verbum Dei. Sed Patrum sententiae non sunt Verbum Dei, non enim sunt Scripturae Sacrae. Ergo. R. 1. non oportere quod omnia, quae Fide catholica credi debent, expresse contineantur in S. Scripturis. 2. SS. Patres habere interdum aliquas sententias, quae licet in Verbo Dei expresse non contineantur, in eo tamen sunt implicite, ideoque ad Fidem pertinere, cum non tam sint eorum, quam Spiritus S. 3. Nos non tribuere Patribus auctoritatem, qualis concedenda est Scriptoribus canonicis, sed qualis tribui debet Patribus, Magistris, et Testibus, quomodo eos vocat Lyrinens. cap. 42.

Obj. 2. Nullum Testimonium humanum ex se potest facere fidem indubitatam; sed consensus etiam omnium Patrum est testimonium humanum. Ergo. Resp. Dist. Min. Consensus Patrum est testimonium humanum, et doctrina, quam proponunt, non est humana C. min. Et doctrina, quam proponunt universi est humana. N. Min. Vel etiam aliter dist. Min. Consensus Patrum est testimonium humanum, quatenus Patrum est, Conc. Min. Quatenus Ecclesiae fides est. N. M. Licet Testimonium Patrum humanum sit, dogma tamen, quod uno consensu docent, humanum non est, sed apostolicum, et divinum; Non enim illud semper Ecclesia docuisset, nisi ab Apostolis accepisset, nec Apostoli tradidissent, nisi a Christo, vel a Spiritu S. edocti fuissent.

Articulus II.

De Regulis argumentandi ab Auctoritate SS. Patrum.

Regula I. Veterum Scriptorum, qui in Ecclesiae Communione mortui non sunt, seu aliorum etiam Sanctorum titulo insignium, auctoritas quoad opiniones ab Ecclesia reprobatas nullius est roboris. Ita Vincent. Lyrin. monens *Eorum duntaxat Patrum sententias esse conferendas, qui in Fide, et Communione catholica mori feliciter meruerunt.*

Regula 2. Ut solidum ex Patribus argumentum efformetur tria sunt observanda. 1. An liber, ex quo depromitur ejus effatum, sit legitimus ejus partus an suppositititius, vel dubius. Poterit autem id cognosci, si moderni Critici Catholici, et sobrii illa opera pro genuinis agnoscant, maxime vero si a Conciliis, aut summis Pontificibus, aliisque Patribus pro talibus aliquando fuerint allegata. 2. Ut Textus ex legitimo Patrum volumine depromptus fideliter, integre et incorrupte proferatur, ne legentium, vel audientium mentibus sensum alium ingeneret, quam Auctor in animo habuerit, immo verbis ipsis cum toto contextu recitatis expresserit. 3. Ut sensus genuinus, et mens Auctoris rite intelligatur.

Ad cognoscendum autem sensum genuinum, et mentem Auctoris plura dispicienda sunt. 1. Si loquatur in Persona propria, an in aliena. 2. Si in persona propria videndum utrum asserendo procedat, an solum disputaudo, ac veluti dubitanter inquirendo. 3. Si assertive S. Pater procedat, videndum an *dogmatice* vel *concionatorie*, nam ut observat Lyrin. Verba a SS. Patribus pro concione prolata, non sunt in rigore semper intelligenda. 4. Si procedat *dogmatice* advertendum, utrum principaliter, et ex proposito illic agat de substrata materia, an solum obiter. Hoc enim dum faciunt Patres, non ita studiose rem expendunt. 5. Inquirendum quando SS. illi Patres scripserint. Tum quia si scripserunt eo tempore, quo opinio, cui visi sunt adhaerere, nondum erat ab Ec-

clesia reprobata, pondus non habent quoad ejusmudi doctrinam post reprobationem, ut Papias, Justinus, Irenaeus quoad Regnum millenarium. Tum quia si scripserint ante exortas quasdam Haereses, nonnumquam minus *caute loquebantur* (ut testatur S. Hieron. lib. 2. Apol. 1. contr. Ruff.) *et catholice in Ecclesia catholica intelligebantur*. 6. Attendendum contra quos hic, vel ille Pater, cujus testimonium profertur, eo loco scripserit, tum quia saepe intendit contradicere Haereticis, quos illic impugnat; tum quia saepe dum unum errorem impugnat, videtur in alium oppositum inclinare. 7. Juvabit etiam spectare scribentis Patris aetatem, an quod occurrit effatum scripserit Juvenis, an Vir, aut Senex, an quod aetate junior scripsit, adultior retractaret, uti S. Augustinus in libris Retractat. plura humiliter correxit, unde Bellarminus observandum monet, quam aliter sapiat Augustinus juvenis, quam Augustinus senex.]

DISSERTATIO VII.

DE AUCTORITATE THEOLOGORUM, ET JURIS CANONICI PERITORUM.

Articulus I.

Qui sint Theologi Scholastici, Jurisque Canonici Periti, et quae eorum Auctoritas.

[Sicut Apostolis SS. Patres, ita SS. Patribus Theologi Scholastici successere, quorum nomine illos intelligimus, qui de Deo rebusque divinis, aut ad Fidem seu stabiliendam, seu illustrandam, moresque dirigendos pertinentibus, ex fontibus Theologiae propriis, sacra auctoritate contentis, advocata in auxilium recta solidaque ratione, apte, prudenter, docteque discurrunt, ac idoneas conclusiones eliciunt. Placita Theologorum Orthodoxorum, cum non omnia Fidei sphoeram attingant, quaedam sunt propria unius, alteriusve Theologi aliqua tamen auctoritate polientes; Alia ab integra Schola inter Catholicos illustri (puta Thomistica) adoptata, aliis Scholis dissentientibus; Alia demum omnibus passim scholis, ac Theologis, catholico nomine, famaque Doctrinae celebribus, communia.

Ad Theologos proxime accedunt juris canonici Periti, qui tamen ab illo jure sunt secernendi, sicut interpretes S. Scripturae, ab ipsa Scriptura. Jus canonicum, sive *Pontificium* sic dictum, quod a Pontificibus, vel eorum jussu compilatum, aut confirmatum sit, continetur volumine, quod *Corpus juris canonici* appellatur, et complectitur 1. Decretum Gratiani Monachi Benedictini collectum ab eodem circa annum 1151. ex sacris litteris, SS. Patrum sententiis, Summ. Pontificum responsis, et Conciliorum tum Generalium, tum particularium Decretis. 2. Quinque libros Decretalium, sive Epistolarum variorum Pontificum, ad propositas sibi quaestiones respondentium, jussu Gregorii IX. circa Annum 1230. a S. Raymundo de Pennafort. collectarum 3. *Sextum Decretalium* ex Rom. Pontificum Gregorio IX. posteriorum rescriptis, et constitutionibus, nec non ex Decretis duorum Conciliorum generalium Lugdunensium circa annum 1300. a Bonifacio VIII. confectum 4. *Clementinas*, seu Constitutiones jussu Clementis V. compilatas, et a Joanne XII. anno 1317. publicatas. 5. *Extravagantes Joannis XXII.* sic appellatas, quia diu extra corpus juris, quasi incerta sede vagabantur. 6. *Extravagantes communes* sic dictas, quia a pluribus Pontificibus editas.

Extra Corpus juris canonici dantur etiam aliae sanctiones canonicae, atque inter alias eae, quas exhibent Bullae a SS. Pontificibus editae, et intra Romanum

Bullarium comprehensae, quod *Magnum* appellatur, auspicio Sixti V. primo vulgatum, successu vero temporis pluribus Romanorum Pontificum Constitutionibus auctum.

Liquet ex dictis in corpore juris canonici multiplicis generis sententias reperiri. Ac 1. Sententias e SS. Scripturis excerptas. 2. Decreta Pontificum. 3. Conciliorum tum generalium, tum particularium Canones. 4. SS. Patrum oracula. Sunt praeterea Glossae Gratiani, et quaedam additiones seu marginales, seu in contextu, quae *Paleae* dicuntur. Porro qui libros juris canonici Commentariis, et notis illustrarunt, aut singulari eorum doctrina praediti interpretantur, atque ex jure canonico velut e fonte conclusiones eliciunt, *Juris* ejusdem *Periti* vocantur.

Constat praeterea ex dictis, jus canonicum complecti etiam proprios Theologiae fontes. Ab hac tamen differt, quod haec principaliter intendat veritatum a Deo revelatarum cognitionem, et actionum moralium pro foro interno, seu conscientiae directionem; Illud vero principaliter praxim spectet, et versetur circa causas, vel actiones, prout pertinent ad judicium, et forum externum Ecclesiasticum. Quia tamen Theologia ea ex parte, qua practica est, maximam connexionem habet cum jure canonico, recte monet Canus Theologo maxime utilem, et quasi necessariam esse juris canonici notitiam.

Dico 1. Nullius praecise Theologi, seorsim accepti, immo nec multorum, seu unam Scholam conficientium, seu ex diversis in aliqua opinione consentientium Auctoritas, contradicentibus aliis Scholis, aut Viris doctis, et probe catholicis, est irrefragabilis. Statuitur hoc principium a *Cano lib.* 8. *c.* 4. qui duo notatu digna superaddit. Primum est. " In scholastica disputatione plurium auctoritas ob„ ruere Theologum non debet, sed si paucos viros, modo graves secum habeat, „ poterit sane adversum plurimos stare, non enim numero judicantur, sed pon„ dere „. Secundum est. " Arguendos esse Scholasticos nonnullos, qui ex opinio„ num, quas in schola acceperunt, praejudiciis Viros tamen catholicos notis gra„ vioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur. . . . Neque enim „ siquid aut Scotistis, aut Thomistis pronunciatis contrarium est, error illi„ co est „.

Dico 2. Communis Theologorum consensus in asserenda aliqua conclusione dogmatica, licet nondum ab Ecclesia definita, tantae auctoritatis est, ut temerarium sit illi refragari Pr. In unaquaque arte, vel scientia Peritis, praesertim in unam sententiam conspirantibus, merito credendum est, nec nisi imprudenter ab eorum mente discedi potest, ut inductione demonstrare non difficile foret. Ergo. Praesertim cum Theologi scholastici, tum diversarum Scholarum, tum etiam ejusdem, passim inter se dissentiant. Ergo si in aliqua firmiter asserenda Conclusione conveniunt, hoc ipsum indicio sit, illam adeo perspicue ex ipsorum principiis deduci, ut negari prudenter non possit.

Dico 3. Concors omnium Theologorum sententia, qua firmiter asserunt, aliquid ad Fidei, Morumve Dogma pertinere, vel ex ejusdem Dogmatis, eorumque principiis indubie deduci, tanti est facienda, ut ei contradicere vel haereticum, vel haeresi proximum jure videri possit. Prob. eadem ratione paulo ante data, quod conspirantibus in unum artis, vel scientiae Peritis, non sit pertinaciter resistendum. Ergo cum ad Theologicae scientiae Peritos, quales sunt Theologi, pertineat, non quidem ex proprio solum judicio decidere, sed ex sacris fontibus eruere, quae sint Fidei, morumve dogmata, atque veritates iis affines inde deducere, ubi consensu unanimi tenent aliquid velut tale, dubitandum non est, quin reipsa tale sit, adeoque illorum uniformi sententiae in hoc refragari vel haereticum, vel haeresi proximum merito videri potest. Praeterea si Theologi omnes in ejusmodi sententia errarent, hic error in totam Ecclesiam facile redundaret. Errarent enim Pastores, utpote qui Doctrinam, quam seu palam ad Populum pro concione pro-

ponunt, seu privatim in sacro tribunali, alioque modo suis ovibus instillant, a Theologis in schola acceperunt, errarent proinde cum Pastoribus oves, quae illorum vocem passim sequuntur. Errare ergo censeretur Ecclesia, saltem in eo, quod tam communem errorem dissimulando suo silentio, eidem consentire videretur, et Fideles decipere. *Error enim, cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum non defenditur, opprimitur*, inquit Innocentius papa *Dist.* 83. *c. Eorum.*

Dico 4. Jus canonicum in suis responsis, vel Decretis tantam habet Auctoritatem, quantam habent fontes, ex quibus illa liquido profluxerunt. Hinc 1. Quae in materia fidei, vel morum ex Sacris Scripturis, Traditione, SS. Patrum, aut Conciliorum definitionibus proponuntur, habent eam firmitatem, quae ex iis fontibus derivatur. 2. in materia pertinente ad Disciplinam Ecclesiasticam firmam quoque habet auctoritatem pro iis locorum, temporumque circumstantiis, pro quibus emanarunt. 3. Responsa Pontificum in jure canonico contenta, quibus solum ut Doctores privati, ad casus particulares rogati, opinionem suam aperuerunt, quin Dogma sancire voluerint, in veneratione quidem habenda sunt, sed non illico pollent irrefragabili auctoritate. 4. Multo minus Glossae et Paleae, quae majus pondus non habent, quam privati auctores, e quorum calamo profluxerunt. Hinc, ut observat Card. Gotti, non statim, si aliquid in juris volumine continetur, Fidei Dogma habendum est.

Dico 5. Concors omnium Canonistarum sententia in legum Ecclesiasticarum interpretatione ea pollet auctoritate, ut illi refragari temerarium sit. Prob. quia omnibus in arte peritis in unum convenientibus credendum omnino est. 2. Quia hujusmodi sententiam amplectuntur Ecclesiae Judices, et Ministri, hoc probante saltem tacite Ecclesia. 3. Quia cum, ut ait Damasus Papa, SS. Canones, excitante Spiritu S. ad Ecclesiae utilitatem sint editi, consentaneum est, quod Deus Ecclesiae, cui Canones illi vel necessarii sunt, vel utiles, ut Fideles in Religione, et Moribus contineantur, providerit Interpretes sanos, qui non possint saltem omnes errores docere, et hinc illis assistat, ne omnes errent.

Articulus II.

De Regulis argumentandi ex auctoritate Theologorum, et Canonistarum.

Regula 1. Auctoritas unius Theologi catholici, sapientis, gravis et famae Doctrinae celebris suppeditat argumentum valde probabile, sed non convincens; Totius alicujus scholae orthodoxae consensus unanimis longe probabilius, sed nondum irrefragabile. Hujusmodi vero praebet uniformis, ab omnibus scholis ac Theologis universis indubitanter asserta sententia. Non est tamen statim ac temere allegandus unanimis Theologorum consensus, ut nonnulli faciunt, qui ex paucorum, quos legerunt, opinione, reliquos metientes, suo adjecto suffragio, confidenter pronuntiant *Ita omnes Theologi*; sed indagandum sollicite, an reipsa omnes, et quidem assertive, et indubitanter in Dogmate conveniant. Ad quod non est necesse omnium prorsus, qui Theologorum nomine gaudent, scripta pervolvere, quod fere impossibile esset; sed sufficit nosse praecipuos, ac fere caeterorum Duces, vel certe in singulis scholis catholicis ampliori doctrina, fideique fama celebres ita sentire, et de aliis, quod ita communiter quoque sentiant, indubie attestari, quin obstet unum, vel alterum obscurioris nominis extra communem chorum saltare, maxime si non afferat rationem novam, et efficacem caeteris incognitam, vel ab iis relictam insolutam, neque ipse horum momenta liquido dissolvat.

Regula 2. In alleganda Juris canonici Auctoritate attendendum ad fontem, ex quo Canon, vel Decretum dimanat, tantam enim Canones, et Decreta habent Auctoritatem, quantum habent fontes, a quibus hauriuntur: Hinc observandum, an

Decreta Pontificum procedant ab illis ex cathedra pronunciantibus, an velut Doctoribus privatis, suo vel alieno nomine loquentibus; an Pontifex definiat aliquid tamquam de fide credendum, an aliquid jubeat, vel prohibeat pertinens ad externam disciplinam, an ad particularium aliquorum directionem, vel correctionem. Si primum illud est immutabiliter divina Fide credendum, non semper si alterum.

Regula 3. In his, quae ad fidem pertinent, Jurisconsultorum Auctoritate Theologus non eget, quin potius eorum titulorum expositionem, qui de Fide decernunt, Legisperitus a Theologo mutuari debet. Audiatur *Bened. XIV. in Instit Eccl. 37.* „ Professoribus igitur Pontificii Juris non proponuntur ista Dogmata. ut ea spe- „ culative, vel ex professo in scholis legant, aut de illis tamquam de suis axio- „ matibus disputent, quia cum ex Articulis fidei deducantur, ut talia ad Theolo- „ giam pertinent. Juris tamen Peritus debet ea scire tamquam certa, et accepta „ ex prioribus Theologiae principiis, cum SS. Canonum disciplina sit Theologica „ subalternata, et illam praesupponere debet, ut Medicina praesupponit Philoso- „ phiam naturalem, et Musica praesupponit Arithmeticam „

Regula 4. In his etiam, quae ad mores pertinent, quatenus vel lex evangelica, vel ratio Philosophiae de hujusmodi praescribit, Jurisconsultorum auctoritas parum, vel certe nihil Theologo conferre potest; quin rectam, et sanam earum rerum cognitionem jurisperiti a Theologis mutuam accepturi sunt. Ita Canus. l. 8. c. 7.

Regula 5. Ubi de moribus Ecclesiae, et Religionis Institutis per leges tantum Pontificias decernitur; Item ubi poenae Juris praefiniuntur, Jurisconsultorum omnium communis consensus Theologo magnam fidem facere debet. Ut si moveatur quaestio, an hic homo sit irregularis, excommunicatus etc. An iste Pastor sit legitime electus. An episcopus possit in his, vel illis dispensare, an Delegatus possit subdelegare, etc. Ratio autem est, quia Peritis in arte sua praecipue in unum convenientibus, omnino sit credendum. Accedit quod in ejusmodi Canonum interpretatione Ecclesiae Judices, et administri concordem Jurisperitorum sententiam amplectantur, quem usum, cum ipsa Ecclesia videatur probare, qui illis refragaretur ipsi Ecclesiae judicio videretur obsistere.

DISSERTATIO VIII.

De Fontibus, seu Locis Theologiae extraneis.

Articulus I.

De ratione naturali, Philosophia, et Juris prudentia Civili.

Rationis naturalis nomen sumi potest vel pro ipso *lumine rationis*, nobis a Deo naturaliter indito, aut facultate ipsa ratiocinandi, et ratiocinando verum cognoscendi; vel *pro medio* ad verum cognoscendum ex principiis naturali lumine cognitis deprompto, in quo posteriori sensu ratio naturalis hic praecipue accipitur.

Quoad Philosophiam, et Philosophos duo sunt praenotanda. 1. In ipsa Philosophia quasdam quaestiones pertinere ad contemplationem, ut Metaphysica, et Physica Generalis, alias ad praxim, ut Physica experimentalis, et Ethica, quae tota est in moribus naturalibus praecipue informandis. 2. Quaedam Philosophorum placita esse fidei principiis contraria, quaedam illis stabiliendis saltem minus idonea.

Jus civile, quod debet distingui ab ipsis Jurisperitis, qui ad Philosophorum classem revocantur, aliud est commune, et est Jus Romanum, aliud particulare proprium unius Provinciae, vel Civitatis. Corpus juris civilis communis complectitur 1. Institutiones 2. Digesta, seu Pandectas. 3. Codicem Justinianeum. 4. Authenticas, seu Novellas, aut jus novum, quibus adduntur duo libri Feudorum.

Dico 1. Usus rationis, acceptae pro facultate veritatem ratiocinando indagandi, etsi non sit a Theologia alienus, imo sine illa Theologus conclusiones ex suis principiis elicere non possit, tamen in Rebus Fidei, quae nostrum captum excedunt, est intra hos terminos continendus, 1. Ut sacrae auctoritati demisse serviat, non dominetur, nec eidem, quamvis sana appareat, praeferatur 2. Ne sit nimis curiosa, et temere in Divinitatis secreta penetrare contendat, altius inquirendo in Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Praedestinationis, aut Reprobationis. 3. Ut non ad infirmandas, sed ad confirmandas, et illustrandas Religionis veritates omnes nervos intendat. 4. Ne, cum materiis theologicis occupatur, in quaestiones frivolas controversas, aut, quod pejus esset, in sophisticas argutias licentius evagetur. Qui enim hos praefixos rationi limites excesserunt, in turpissimos saepe errores prolapsi sunt.

Dico 2. Subsidium rationis naturalis, acceptae pro medio investigandae per ratiocinium veritatis ex principiis naturali lumine cognitis, ne in ipsis quidem fidei, morumque Dogmatibus firmandis et illustrandis, est respuendum; ita tamen, ut cedat momentis ex sacra auctoritate praecipue S. Scripturae, traditionis, aut Ecclesiae definitionum depromptis. Huic principio refragantur 1. Novatores, qui omnem naturalem rationem a Theologia exulare volunt, decernuntque soli auctoritati standum esse, praesertim in rebus ad fidem moresque pertinentibus, eaque ad genium suum contorta: quo pugnae genere, si non sperent victoriam, vinci certe minus metuunt. 2. Illi qui ex adverso omnem respuunt auctoritatem, vel plus aequo rationi concedunt, illamque regulam statuunt, ad quam fidei mysteria expendi debeant, et quidquid minus intelligunt, vel imbecilli suo intellectu capere non valent, tamquam falsum, et improbabile repudiant, inter quos etiam reperiuntur aliqui, qui catholico nomine volunt adhuc insigniri, *regnum rationis*, ut vocant, extollentes, et ad Reginae illius imperium omnia revocantes.

Dico 3. Philosophia humana Theologiae tanquam principali deservit, et interdum ex principiis Philosophiae sapientia divina procedit. Eruitur ex D. Thoma, et confirmatur a Benedicto XIV., qui diserte pronuntiat. „ necessariam esse praeviam „ verae Philosophiae institutionem, quae viam ad Theologiam aperiat, sed ita quidem, ut eidem semper obsequium praestet, quod Agar Sarae praestare debuit „ ex imperio Abrahami „ Advertendum tamen est, sermonem hic esse de sana, seu vera Philosophia, et nullius apud Theologos roboris esse illa sectarum placita, quae principiis orthodoxis, vel rectae rationi sunt contraria, qualia sunt permulta non solum antiquorum, sed etiam quorumdam modernorum Acatholicorum. Immo inter ipsos catholicos Philosophos ex opinionibus controversis, eas praeferri debere a Theologo, quae non solum sunt magis remotae ad favendum errori in materia Dogmatica, sed etiam firmandis, ac illustrandis Fidei nostrae veritatibus sunt magis idoneae.

Dico 4. Ubi jus civile corrigitur a jure canonico, vel quidpiam disponit circa res, aut personas Ecclesiasticas, nullius est auctoritatis apud Theologos, nisi ejus leges contineant merum favorem, aut privilegium; vel nisi fuerint a jure canonico expresse approbatae; aut publica auctoritate in illius corpus relatae, seu, ut aiunt, *canonizatae*. Tunc enim praebent Theologo probabilissimum ragumentum, maxime si fuerint longo christianae Reipublicae usu, et more probatae, ita *Canus. l.* 10. *c.* 9., *et Card. Gott. de locis theol. qu.* 3. *D.* 10. §. 3. qui id suadent ex eo, quod hujusmodi leges, cum sint justae, ac aequae, videantur non sine Dei nutu per Imperatores hominibus latas fuisse. Insuper sicut leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita et SS. Canonum Statuta Principum Constitutionibus adjuvantur. Praeterea leges hujusmodi praesertim in materia de justitia, et jure non exiguum lumen afferunt ad decidendas quaestiones occurrentes circa rerum dominia variis modis acquirenda, contractus multiplices, varia Hominum officia, et alia similia.

Articulus II.

De Regulis argumentandi ex tribus indicatis fontibus.

Regula 1. Argumentari a ratione naturali debet Theologus in his Fidei veritatibus, quae naturalem rationem non superant, v. g. ad demonstrandam Dei existentiam, unitatem etc. contra Atheos, Polytheos, aliosque libertinos, qui sacram auctoritatem impie contemnunt.

Regula 2. In mysteriis, quae captum nostrum superant, demonstrandis frustra petitur efficax argumentum a sola ratione naturali, etsi inde peti possint quaedam momenta ad emolliendam ejusmodi Mysteriorum arduitatem, et apparentem implicantiam. Sic reputantur parum efficacia argumenta, quibus Lullistae, et nostris temporibus recens scriptor, demonstrare nituntur Mysterium SS. Trinitatis. Non desunt tamen quaedam rationes praesertim reflexae, quibus suadetur incredulis istiusmodi mysteria non involvere contradictionem apertam, neque ex eo, quod captum superent esse incredibilia, vel neganda, cum multa etiam in rebus creatis admittere cogamur, quas minime capimus.

Regula 3. In stabiliendis, aut illustrandis Fidei Mysteriis deligantur rationes firmae et efficaciores, praeteritis ambiguis, proculque repetitis, et hinc facile ab adversario eludendis; Relictis vero penitus elumbibus, ne impotens ab illis patrocinium quaerere videamur, et Fidei hostes arbitrentur Religionem, et Theologiam adeo infirmis fundamentis innixam esse.

Regula 4. Philosophia tum speculativa, tum moralis et Philosophorum etiam Ethnicorum placita, possunt esse Theologo ad argumentandum utilia. 1. Quia ut monet *S. August. de Doct. christ. l.* 1. *cap.* 40. Philosophorum etiam Ethnicorum doctrina quaedam morum praecepta utilissima continet, quae acceptat Christianus, ad usum praedicandi Evangelii convertenda. 2. Quia non pauca Philosophorum placita valent ad revincendos Infidelium errores, illosque propriis armis, suorumque auctorum Testimoniis debellaudos, tum ad quaedam Dogmata illis, ac etiam Fidelibus reddenda credibilia, dum ea vel ipsis gentilibus sapientioribus, aut magis moratis placuisse commonstrantur. 3. Quia in conclusionibus stricte theologicis una praemissa, quae est naturaliter nota, erui debet ex principiis philosophicis.

Regula 5. Concors sententia omnium Philosophorum tum veterum, tum recentiorum praecipue Catholicorum, aliquod principium velut lumine naturali notum, aut quaedam consectaria, ex primis principiis profluentia asseverantium, sicut fidem facit Dogmatis philosophici, ita firmum praebet Theologo argumentum; Ita tamen ut istiusmodi principium non alio sensu intelligatur, quam fides divina intelligi deposcat, quae si non claritate, certitudine naturalem rationem superat, eamque in quibusdam corrigit, aut sensum detegit, in quo praeterea illius dictamina intelligi debeant, ut sint universaliter vera. Hinc non legitime argumentatur in mysterio SS. Trinitatis: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Subsumendo: *Atqui Pater, et Filius sunt idem uni tertio, nempe divinae Naturae*, et concludendo *Ergo sunt idem inter se.*

Regula 6. Ab opinionibus propugnatis ab una Philosophorum secta, altera reclamante, praesertim ex scholis catholicis, nonnisi probabile, et saepe inefficax argumentum haurit Theologus ad suas conclusiones stabiliendas. Idque majoris, vel minoris ponderis, prout ejus ratio gravior fuerit, vel minus gravis; non enim ullius Philosophi auctoritas communiter plus valet, quam ejus ratio.

Regula 7. Legum civilium auctoritas, non reprobata ab Ecclesia, nec a jure canonico correcta, potest argumentum saltem admodum probabile suppeditare Theologo 1. ad revincendos Infideles et Haereticos, contra quos illae leges latae

sunt a justis, et prudentibus Imperatoribus Orthodoxis. 2. in materia ad jus, et justitiam spectantibus, de quibus supra.

Articulus III.

De adminiculis Historiae, et Artis criticae in Theologia.

Historia alia est *Ecclesiastica*, quae gesta ad Ecclesiam pertinentia, alia *profana*, quae alia facta perscribit. Utraque scripta vel ab auctoribus Coaevis, vel ab ea aetate, qua gesta sunt, magis, minusque remotis. Fidem Auctoribus conciliant tum *prudentia*, et *perspecta* rerum, quas scribunt, *notitia*, ex qua credibile fiat, eos non fuisse deceptos, tum *probitas*, qua sit credibile, eos non voluisse decipere.

Ars critica, quae per plura saecula sine certis legibus vagabatur tandem postremis hisce temporibus, statutis regulis quam plurimis, sed pro ipsius Criseos genio apud varios admodum variantibus, et non paucis etiam satis incertis, in artem erigi coepit, et palam doceri, erecto etiam ipsi tribunali, ex quo tamquam Judex in libros quoscumque, eorum Auctores, textus, horumque sensum, ac res ipsas, de quibus scribunt, judicium exerceat, et sententiam ferat.

Dico 1. Nullus historicus praeter Auctores sacros, est per se idoneus ad faciendam in Theologia fidem omnino certam. Quilibet enim homo, ex spiritu proprio scribens, falli potest et fallere, praecipue in iis, quae propriis oculis non vidit, vel quorum memoria humanitus excidere potuit.

Dico 2. Historici graves, et fide digni rem, quam narrant, nisi aliunde fuerit incredibilis, aut falsa, sua Auctoritate credibilem faciunt, et fidem ejus probabilem merentur. Sicut enim *qui cito credit, levis est corde*, ita nimis pertinax est, qui absque causa sufficiente credere renuit Auctoribus probatis, et gravibus.

Dico 3. Historici ab Ecclesia reprobati nullam fidem merentur in iis, quae improbantur ab illa. Item sublestae, vel nullius Fidei sunt Auctores acatholici in iis, quae adversus Catholicam Ecclesiam, Romanam Sedem, et similia alia solent effutire, tum quod depravatae mentis vertigine, et sinistro partium studio agitantur, tum quod apertissimorum mendaciorum saepissime sunt convicti. Nec melioris notae sunt quidam etiam catholici, ut Thuanus, qui suam historiam, ex Acatholicorum fontibus haustam non diffitetur, velut etiam Platina, qui vitas Pontificum multis fabulis, et calumniis ab Haereticis excerptis, suo calamo foedavit. Denique fidem non merentur variae narrationes in specie piae, quas quibusdam Auctoribus, etsi probe catholicis dictavit vel antiqua simplicitas, vel zelus, sed non secundum scientiam.

Dico 4. Si omnes graves Historici in eamdem rem gestam, praesertim ab origine sua notissimam, concurrant, tanta est eorum auctoritas, et certitudo, ut negari factum non possit sine pervicacia, vel dementia. Ponit hoc principium *S. Aug. lib. 1. de Mor. Ecc. Cat. c. 29.*

Dico 5. Si veteres omnes Historici de aliqua re gesta conveniant, quoad substantiam, etsi non quoad modum, vel alias circumstantias, certum haberi debet rem illam evenisse, quamquam circumstantiae istae sint incertae. Du-Plessis exemplum statuit in eo, quod Symbolum, vulgo dictum Apostolorum, fuerit quoad singula verba traditum ab Apostolis, additque contrariam Erasmi, aliorumque recentiorum opinionem valde temerariam esse.

Dico 6. Ars critica genuina recte usurpata, laudem meretur, illius enim opera multa e tenebris eruta sunt, et alia ad tenebras, e quibus eruperant, meritissime relegata; Non ea tamen pollet Auctoritate, ut se ingerat ad examinanda, vel dijudicanda Fidei principia, aut Religionis mysteria. Christus enim

non artem criticam, sed Ecclesiam suam privilegio donavit ad judicandum de Authentia, vero sensu, et interpretatione SS. Scripturarum, nec non de sacrarum Traditionum legitima origine, et caeteroquin latissima porta aperiretur ad Spiritum privatum, unde ait Mabillonius non esse viam breviorem ad perdendam fidem, quam ipsam fidem ad crisin velle revocare.

Articulus IV.

De Regulis circa usum Historiae, et Criticae in Theologia.

Regula 1. Theologo magnum adjumentum affert Historiae non solum Ecclesiasticae, sed etiam profanae cum illa connexae notitia, tum ad rectam SS. Litterarum intelligentiam, tum ad argumentandum adversus Fidei hostes, eosque ex propriis etiam subinde Historiarum monumentis convincendos. Est *S. Augustini lib. 2 de Doct. christ. c. 28.* ubi ait: *Quidquid de ordine temporum transactorum indicat ea, quae appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad SS. libros intelligendos, etiamsi praeter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

Regula 2. In usu historiae sive Ecclesiasticae, sive profanae delectus est habendus, cum constet ex una parte, non paucos Auctores ex odio, invidia aliove sinistro affectu multis falsitatibus et calumniis chartas implevisse, alios ex altera parte aniles fabellas ex vulgi credula traditione, nullo Auctore suffultas, pro veris historiis venditare. Praeterea Historici coaevi praeferendi sunt, praesertim qui rem, quam narrant propriis oculis, vel auribus excepere, et alioquin sunt Testes idonei. Advertit tamen Card. Gotti, posse veraciorem interdum esse historiam, a posteris evulgatam, quam a Coaevo; tum quia Coaevus rem narrat, quae contigit in loco, a quo ipse vixit, remotiore, ex quo falsi rumores ad eum deferri haud aegre potuerunt; cum aliquis e Posteris eam in loco, in quo gesta est, hauserit ab oculatis, aut certe fide dignis Testibus; Tum quia licet Auctor Coaevus eodem in loco vixerit, in quo res gesta fuit, potuit quaedam seu ex metu, seu ex adulatione, aliaque sinistra Animi affectione reticere, dissimulare, alterare, vel adaugere circa Principes, et alios, qui adhuc erant superstites. Advertendum insuper Historicos frequenter de mendacio, calumnia, et infidelitate convictos nullam mereri fidem, nec esse a Theologo allegandos in his, quae pro se, vel domo sua scribunt: Posse tamen adduci in his, quae contra semetipsos vel incaute, vel ex nimia veritatis evidentia convicti, silere non potuerunt, quia non est credibile ab ipsis falso scriptum esse, quod ipsorum intererat reticeri.

Regula 3. In usu Artis criticae duae sunt cautelae Theologo adhibendae. Prima est, ut inter debitos limites contineatur. Unde non ea utatur in libris canonicis aut discernendis, aut corrigendis, aut exponendis praeter mentem Ecclesiae, et sensum Patrum, ut faciunt passim Novatores, et ne falcem Critica immittat in sacras traditiones praeter Ecclesiae mentem ex antiquis monumentis eruendas, atque expungendas, cum hoc etiam judicium ad Ecclesiam pertineat.

Altera cautela est, ut Crisis servet modum, qui prudentiam requirit, et modestiam. *Prudentiam* quidem, ut in iis examinandis, et dijudicandis, quae ad artis criticae sphoeram pertinent, nihil statuatur praecipue contra communem antiquitatis sensum absque gravi momento. *Modestiam* quod attinet, debet Crisis *non solum* esse sobria, ac moderata, sed erga veteres Auctores huc usque pro fide dignis habitos, praecipue SS. Patres, reverens et officiosa; maxime vero obsequiosa *quoque*, et submissa, ut neque communi Patrum illorum sensui refragetur, eoque minus praevalere velit judicio Ecclesiae catholicae, Conciliorum, aut SS. Pontificum decisionibus, aut etiam communi sententiae Theologorum catholicorum.

TRACTATUS

DE DEO ET EJUS ATTRIBUTIS

Quia principalis intentio hujus sacrae doctrinae est Dei cognitionem tradere, non solum secundum quod est in se, sed etiam secundum quod est principium rerum, et finis earum et specialiter rationalis creaturae, ad hujus doctrinae expositionem intendentes, 1. tractabimus de Deo; 2. De motu rationalis Creaturae in Deum. 3. De Christo, qui secundum quod Homo, via est nobis tendendi ad Deum Et haec est partitio totius operis, seu summae in tres partes. Sed cum secunda nimium excresceret, divisa est in duas partes, quarum prima vocetur *Prima secundae*, idest prima pars secundae partis; secunda dicitur, *secunda secundae*, idest secunda pars secundae partis.

DISSERTATIO I.

DE DEI EXISTENTIA. D. TH. I. P. Q. 2.

Articulus I.

Utrum Deum esse sit per se notum.

[Divina Existentia, seu Deum existere nobis Viatoribus solum triplici via potest certo innotescere: nimirum aut per naturalem intelligentiam, sive lumen primorum principiorum, quo nobis innotescunt prima principia indemonstrabilia; aut per fidem et divinam revelationem; aut denique per Discursum. Nobis enim solum triplex lumen affulget, quo detegere possimus veritatem, nempe lumen fidei, naturalis intelligentia, et discursus. Certum est lumine fidei constare nobis Deum existere: hoc enim demonstrant S. Scripturae textus innumeri, quibus Deus, nedum alia, sed et sui ipsius existentiam revelavit, e testificatus est. Ex quo enim Deus mentiri non possit, dum dicit se existere certi sumus ita esse; et insuper quia non posset revelare, nisi esset. Sed hunc modum cognoscendi divinam existentiam hic supponimus. Quare solum quaerimus an lumine naturalis intelligentiae etiam cognoscatur, vel solo discursu ad certam ejus existentiae cognitionem deveniamus: ideoque statuitur quaestio an haec propositio *Deus est* sit lumine naturali per se, et immediate nota ex sola perceptione terminorum, et quaestio procedit non de propositione illa vocali aut mentali, sed de re per ipsam significata, quae est unio realis existentiae cum Divinitate, quae unio per propositionem mentalem repraesentatur, et per vocalem significatur.]

Propositio dicitur per se nota, cujus veritas per se et sine medio a se distincto innotescit, sicut dicitur sol per se visibilis, quia se ipso et non per aliud medium magis lucidum videtur.

Dico, 1. Haec propositio, *Deus est*, est per se nota quoad se, non quoad nos.

Probatur prima pars: illa propositio est per se nota quoad se, cujus praedicatum includitur in ratione subjecti, tamquam ejus definitio aut pars definitionis, ut haec, homo est animal; hoc ipso enim est immediata et caret medio probativo a priori: atqui existentia Dei sic includitur in ratione Dei, Deus enim est essen-

tialiter suum esse, seu est necessario et essentialiter ens existens, ut probabimus infra: ergo.

Probatur secunda pars: illa propositio non est per se nota quoad nos, in qua quidditas subjecti ex prima et communi apprehensione terminorum nobis non innotescit, sed indiget discursu ut nobis innotescat; quia tunc non potest statim nobis innotescere an praedicatum conveniat subjecto: atqui quidditas Dei ex prima et communi terminorum apprehensione non innotescit nobis, sed per discursum; ergo. Patet minor; quia quid sit Deus non intelligimus statim ac audimus hanc vocem, *Deus*, sicut ex prolatione horum terminorum, totum et pars, ens et non ens, statim intelligimus quid sit totum, quid pars, quid sit ens, quid non ens; sed quid sit Deus, per discursum et valde imperfecte intelligunt ipsi sapientes: ergo.

Dices. In principiis D. Thomae puer perveniens ad usum rationis tenetur in illo primo instanti se convertere ad Deum: atqui in illo primo instanti non potest Dei notitiam assequi per discursum, tum quia tunc est incapax discursus, tum quia discursus exigit moram temporis. Ergo etc.

Resp. 1. ad maj. Puerum pervenientem ad usum rationis teneri dumtaxat se convertere ad Deum eo modo quo illum cognoscit, ita ut si cognoscat illum confuse tantum sub ratione boni ut sic, seu boni honesti, ita et non aliter teneatur ad illum converti.

2. Data majori potest negari minor: quia puer tunc solum censetur pervenire ad usum rationis, quando est capax discursus: nec obstat quod discursus requirat aliquam morulam temporis; quia primum instans rationis in puero, non intelligitur instans physicum, sed morale. Insuper non desunt alia media, quibus Deus omnibus etiam pueris innotescit, puta per inspirationem, per Parentes, aut Magistros, vel aliter, ut infra dicam.

Hinc habes confutatam opinionem illorum recentiorum, qui dicunt notionem existentiae Dei esse nobis innatam: per hanc enim innatam Dei notionem nihil aliud intelligunt, quam quod sine discursu etiam facili, ex sola ipsa terminorum apprehensione, mens sana et attenta intelligat Deum esse, sicut ex sola terminorum apprehensione sine discursu intelliguntur prima principia: *Quodlibet est vel non est, totum est majus sua parte*, ut explicat ipse Honoratus Tournely hujus opinionis assertor: hoc autem est idem ac dicere esse per se notum quoad nos, quod Deus sit: quod impugnavimus in secunda parte conclusionis.

Articulus II.

Utrum sit Deus et quibus rationibus demonstretur?

Quamvis Deum existere non sit per se notum quoad nos, ut diximus articulo praecedenti, id tamen esse demonstrabile per effectus constat ex ipsa Scriptura, Rom. 1. *Invisibilia Dei*, inquit Apost. *per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles*, etc.

Suppono, nomine Dei ab omnibus etiam ipsis Atheis intelligi id, quo majus et melius cogitari non potest, hoc est substantiam intelligentem, summe et infinite omni genere perfectam. Hanc dicunt Athei esse in re impossibilem, maxime ob illam in ea collectionem omnium perfectionum, quarum aliquae videntur inter se oppositae, v. g. immutabilitas et libertas.

Suppono iterum moventia, et agentia dupliciter inter se subordinari, per accidens scilicet, et per se. Tunc est subordinatio per accidens, quando unum accipit esse, seu virtutem activam ab altero, non tamen accipit actualem influxum, nec eo indiget dum actu operatur; sic filius subordinatur Patri, accepit

enim virtutem agendi, et movendi a Patre, agit tamen, et movet independenter a Patre. Subordinatio per se est, quando unum movens, aut agens indiget actuali influxu superioris, ut actualiter agat, ita ut superius actu influat in inferius dum agit, sic causae secundae subordinantur Deo. Porro licet in moventibus, et agentibus per accidens subordinatis possit admitti processus in infinitum, secus tamen in per se subordinatis; quia cum in moventibus, et agentibus per se subordinatis ultimum non agat, nec moveat nisi motum, et applicatum a priori, et istud ab alio, et sic semper, ita ut ultimum non moveat, aut agat nisi ab omnium primo mediate saltem moveatur, posito processu in infinitum, nullus esset motus, aut actio, quia infinitum est impertransibile, nec in eo potest deveniri ad primum; His suppositis.

Sanctus Thomas quinque potissimum rationibus probat Deum existere,

Prima sic proponitur. Datur primus motor omnino immobilis: atqui ille est Deus, ergo datur Deus. Quantum ad minorem, patet: quia primus motor omnino immobilis est actus purissimus carens omni potentialitate. In tantum enim aliquid est mobile, in quantum est in potentia ad id ad quod movetur, unde quod est omnino immobile caret omni potentialitate, sicque est actus purissimus. actus autem purissimus continet omnem perfectionem imaginabilem, si enim aliqua careret, esset in potentia ad illam, sicque non esset actus purissimus, adeoque est id quo majus et melius cogitari non potest, consequenter Deus.

Probatur major: omne quod movetur, ab alio movetur; atqui in moventibus per se subordinatis non potest dari processus in infinitum; ergo datur primus motor qui non movetur et est omnino immobilis. Minor constat, quia moventia per se subordinata dicuntur, quod unum movens, ut moveat, indiget actuali influxu superioris, ita ut ultimum non moveat aut agat, nisi motum et istud ab alio, et sic semper donec deveniatur ad primum; cum autem infinitum sit impertransibile, non potest in eo deveniri ad primum; unde posito processu in infinitum, nullus esset motus nec actio. Probatur major; idem non potest esse movens et motum secundum idem. ergo omne quod movetur, ab alio movetur. Probatur antecedens. Idem non potest esse in potentia et in actu respectu ejusdem: esse enim in potentia respectu alicujus est tendere ad illud, adeoque illo carere; esse vero in actu respectu alicujus est illud jam habere: non potest autem aliquid haberi simul et non haberi: atqui si idem secundum idem esset movens et motum, esset in actu et potentia respectu ejusdem; in tantum enim aliquod movetur, in quantum est in potentia, cum moveri sit reduci de potentia ad actum: et in tantum aliquid movet, in quantum est in actu; movere enim est actum efficere, ergo.

Nec dicas. Idem posse esse in potentia simul, et actu virtuali, quo possit seipsum movere ad actum formalem, ut viventia ex actu virtuali se movent ad formalem: Nam actus virtualis, seu quod idem est potentia activa creaturarum non est simplex activitas, sed potentia partim activa, in quantum elicere potest actum, partim passiva, in quantum indiget ad id etiam ab alio moveri. Unde quantumvis supponatur in actu virtuali, ut tamen sit et ponatur in actu formali semper indiget ab alio moveri. Dicitur ergo actus virtualis, seu potentia activa in quantum potest elicere actum ut mota ab alio, per quod distinguitnr a potentia pure passiva. Quod si ille actus virtualis, seu potentia activa posset se sola reducere ad actum formalem, foret simul in actu, et in potentia respectu ejusdem. Quantum vero ad viventia, dico se movere secundum diversas partes, quarum aliae sunt motae, aliae moventes. Prima pars movens est cor, motus autem cordis, licet sit elicitive a corde, est tamen efficienter a generante, tamquam propria passio entis vitalis, in quantum generans dando foetui vitam participatam, ultimate determinat cor ad motum, quo mediante alias partes movet.

Secunda ratio. Datur prima causa omnium efficiens, omnino infecta : atqui haec est Deus : ergo datur Deus. Minor patet ex ratione praecedenti. Probatur major ; omne quod fit, ab alio fit, et caussatur, nihil enim potest efficere se ipsum alias esset antequam esset ; atqui in causis efficientibus per se subordinatis non potest dari processus in infinitum, ut patet ex ratione praecedenti: neque etiam in causis per accidens subordinatis si non est Deus. ergo. Probatur ultima pars minoris.

Licet non repugnet processus in infinitum in causis per accidens subordinatis, quando datur primum agens extra totam collectionem causarum infinitarum, et de facto datus fuisset, si generationes fuissent ab aeterno, repugnat tamen si non ponatur primum agens extra totam collectionem : atqui si non est Deus non est primum agens extra totam collectionem causarum infinitarum ; ergo etc. Prob. major. Sicut quaelibet causa non est a se, sed ab alia, ita etiam tota collectio non est a se sed ab alio : atqui, ut supponitur, non datur aliud causans extra totam collectionem. Ergo etc. Major patet, quia in omnibus praedicatis, exceptis quantitativis, aut quae quantitatem sapiunt, valet argumentum a singulis ad totum. Ergo etc. Dixi *exceptis quantitativis*, quia tota collectio importat in genere quantitatis aliquid supra quodlibet singulare, nimirum majorem quantitatem : sic esse populum non convenit uni vel singulis seorsim, sed omnibus collective. At vero in praedicatis essentialibus, quae rei secundum se competunt, legitima est consequentia a sensu distributivo ad collectivum: sic valet, quilibet homo est rationalis, ergo omnes homines sunt rationales, etiamsi forent infiniti.

Tertia ratio. Datur ens necessarium, hoc est cui necessario et ex natura sua competit existere : atqui tale ens est Deus : ergo datur Deus. Patet minor, 1. quia ens necessarium est ens a se, ens improductum, independens, immutabile, aeternum, ens a quo contingentia participant esse ; quod est enim per se tale, est causa caeterorum, quae per accidens sunt tale, adeoque ens substantiale, spirituale intelligens, omnium opifex : ergo Deus. 2. Ens necessarium nullis in perfectione limitibus circumscribi potest, ergo est infinite perfectum: ergo Deus. Probatur antecedens : A quo enim potest limitari in perfectione? Non a se, non est enim causa sui, et si esset, omnem possibilem perfectionem sibi conferret. Aliunde quod est necessarium tantum est, quantum esse potest : non ab alio, nullum enim agnoscit superius ; ergo.

Probatur major : si non daretur aliquod ens necessarium, sed omnia forent contingentia et possibilia in rerum natura, nullum de facto daretur ens a parte rei : atqui falsum consequens : ergo. Probatur sequela majoris: ea quae dumtaxat dicunt possibilitatem et contingentiam ad actum, ad eum non possunt reduci nisi per causam, quae ipsum actum necessario contineat; sic quia aqua est in potentia ad calorem seu calida accidentaliter, nunquam posset calefieri, nisi daretur aliquod ens ex natura sua calidum, a quo mediate saltem vel immediate calor in aquam promanaret : ergo si non detur aliquod ens necessarium, cui ex natura sua et necessario competat existere, nullum de facto daretur ens a parte rei.

Confirmatur ; pone de facto nulla entia esse, ut potest fieri si omnia sint contingentia ; nam contingens potest esse et non esse ; aut saltem finge nulla esse ; a quo habebunt esse, si nullum sit ens necessario existens ? Non a se: quod enim non est, non potest sibi dare ut sit ; non ab alio, nihil enim aliud existit ut supponitur : ergo esse non possent : ergo forent et non forent possibilia ; forent ut supponitur, et non forent, quia nihil esset a quo possint habere esse: ergo admittendum est ens necessarium a quo caetera omnia habeant esse.

Quarta ratio. Datur aliquod ens summe perfectum, summe nobile, summe ens quod est causa omnis perfectionis aliorum : atqui illud est Deus : ergo datur Deus. Minor patet ex dictis, maxime ex primo supposito. Probatur major : vide-

mus inter entia, quaedam esse magis vel minus entia, magis vel minus perfecta, atqui magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant magis vel minus ad aliquid quod est magis tale, et de illo diversimode participant. sicut magis calidum est quod magis appropinquat maxime calido, et de eo magis participat: ergo datur in rerum natura aliquod ens summe perfectum, summe nobile, summe ens, et quidem, quod sit causa aliorum perfectorum, vel efficiens, vel saltem exemplaris, utpote ex cujus accessu vel recessu, majori vel minori participatione, imitatione vel defectione descendat aut mensuretur aliorum perfectio. Etenim juxta commune axioma primum in unoquoque genere est causa caeterorum quae sunt illius generis: efficiens scilicet vel exemplaris.

Dixi *vel exemplaris*, quia si primum in unoquoque genere non sit semper caussa efficiens caeterorum illius generis, sicut v. g. ignis est caussa efficiens omnium calidorum, est saltem caussa exemplaris: perfectiora enim alicujus generis sunt ad minus exempla imperfectiorum illius generis.

Quinta ratio. Datur summus Provisor et Gubernator; atqui talis est Deus: ergo datur Deus. Minor patet. quia per Deum nihil aliud intelligimus quam supremum numen omnia regens et gubernans. Probatur major: videmus quod aliqua quae cognitione carent, operantur non temere et fortuito, sed propter finem; quod apparet ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur: coeli v. g. eodem modo semper moventur, gravia deorsum, levia semper sursum feruntur, etc. atqui quae non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente; sicut sagitta non pertingeret ad scopum nisi dirigeretur a sagittante: ergo datur sapientissimus Gubernator et suprema quaedam intelligentia, omnia in suos fines dirigens, quae Deus est.

Additur sexta ratio praecedenti affinis: a contemplatione hujus mundi, quae sic breviter proponitur. Omnia quae in hoc mundo elucescunt mirabilia sive in coelo, sive in terra sive in mari, sive in ipso solo homine, secundum fabricam, ordinem, situm, motum, dispositionem, pulchritudinem, varietatem, consensum in ordine ad suos fines, non possunt absque dementia refundi in fortuitum atomorum concursum. sed necessario adscribi debent intelligentiae cuidam supremae horum omnium opifici et directrici: atqui haec est Deus, cum per Deum intelligant omnes supremum mundi conditorem et rectorem: ergo datur Deus. Probatur ant. Opus exquisite elaboratum, v. g. domus regia, horologium, elegans statua, vel pictura, non posset absque dementia adscribi casui vel fortunae et non peritissimo artifici: ergo a fortiori ordinata et mirabilis totius mundi, imo solius corporis humani dispositio, in qua longe plus artificii et industriae elucet, quam in exquisitissimis operibus arte humana factis non potest absque dementia fortuito atomorum concursui et non supremae intelligentiae adscribi. Et sane si mundus iste tanta partium varietate, tamque apta omnium in suos fines dispositione mirabilis, fortuito atomorum concursu sit factus, dicant velim, cur eodem hoc fortuito atomorum concursu non sit aliquando effectum horologium vel regale palatium, statua vel pictura et alia, quae videmus arte humana fieri? vel, ut ait Tullius lib. 2. *de natura Deorum*, quare poemata Homeri non fiunt similiter ex concursu fortuito characterum, vel regia domus ex fortuita lignorum et lapidum congerie, vel tabulae pictae ex fortuito colorum in eas delapsu? hanc rationem fusius expositam videbis apud Auctores.

Dices 1. Nulla scientia probat suum objectum, atqui Deus est objectum Theologiae. Ergo.

Resp. 1. D. Maj. Nulla scientia probat suum objectum ex propriis principiis transeat major. Dico *transeat*: quia nihil vetat Theologum probare existentiam

Dei ex propriis principiis, scilicet fidei. Nulla scientia probat. etc, ex principiis aliunde mutuatis, N. Nostrae autem rationes mutuatae sunt ex scientiis naturalibus.

Resp. 2. Dist. eamdem Major. Nulla scientia naturalis probat suum objectum, C. Major. ad sensum prioris solutionis. Nulla scientia supernaturalis. N. Major. Ratio disparitatis, quia scientiae naturales in hoc consistunt, quod ex principiis lumine naturali notis, probant proprietates de suo objecto, adeoque illud supponunt. Theologia vero versatur ad probanda ea omnia, quae ex immediate revelatis deduci possunt; attingit enim omnia, quae cadunt sub revelatione virtuali, at cum hujusmodi possit esse, et de facto sit existentia Dei, etiam ex propriis principiis illam probare potest.

Dices 2. Existentia Dei est articulus fidei: atqui quae sunt fidei non demonstrantur. Ergo etc. R. Existentia Dei, et alia hujusmodi, quae per naturalem rationem sciri possunt, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos fidei. Fides enim praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile: nihil tamen prohibet illud, quod secundum se est demonstrabile, et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. Hinc distingui potest illa major: Existentia Dei est articulus fidei respectu illorum, qui per demonstrationem naturalem illam non sciunt. C. respectu eorum, qui illam sciunt, N. maj. Et animadverto quod quamvis Theologus seu Philosophus Christianus non habeat fidem formalem actualem de existentia Dei, eam tamen habet in praeparatione animi, ita ut illam crederet si non sciret, unde non amittit meritum fidei, ut ait S. Th. 2. 2. q. 4. a. 8.

Articulus III.

Utrum possit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei?

Nota: ignorantia invincibilis dicitur quae morali diligentia vinci non potest, et ideo est involuntaria atque inculpabilis. Ignorantia vincibilis est quae morali diligentia vinci potest: sicque est voluntaria in caussa, nempe in negligentia addiscendi, estque culpabilis.

Dico. Non potest dari ignorantia invincibilis de existentia Dei, ut auctoris naturalis.

Probatur 1. ex Scripturis, Sap. 13. 13. dicitur: *a magnitudine speciei et creaturae poterat cognoscibiliter Creator horum videri*, et ibid. infra: *si tantum potuerunt scire ut possent aestimare saeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt.* Rom. 1. v. 20. dicuntur indiscriminatim inexcusabiles qui Deum ignoraverunt: ergo vincibiliter et culpabiliter ignoraverunt. Ps. 78. dicitur: *Effunde iram in gentes quae te non noverunt, et in regna quae nomen tuum non invocaverunt.* atqui id non diceret Propheta divinitus inspiratus, nisi ignorantia eorum foret vincibilis et culpabilis: ergo

Probatur 2. ex Patribus. Aug. in Ps. 74. dicit *Deus ubique secretus, ubique publicus, quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare.* Chrysostomus hom. 9. ad popul. Antioch. in haec verba, *Coeli enarrant gloriam Dei*, dicit: *Scytha, et Barbarus, et Judaeus, et Aegyptius et omnis homo super terram vadens, hanc vocem audit.... in hunc pariter librum et idiota et sapiens intueri poterunt.* Greg. Magnus lib. 27. Moral. c. 3. *Omnis homo eo ipso quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse.*

Probatur 3. ratione, qua etiam fit satis fundamento adversae sententiae. Quamvis existentia Dei non sit per se nota quoad nos, ut diximus supra, sed sit

ex creaturis demonstrabilis, haec tamen demonstratio est tam facilis, tam obvia, ut nullus sit mentis compos, quantumvis rusticus aut barbarus, qui illius non sit capax, aut saltem cui ex inspectione mundi, aut sui ipsius, non incidat aliqua suspicio aut conjecturalis opinio alicujus supremi Numinis aut Rectoris, ut patet ex Scripturis et Patribus citatis; qua posita tenetur inquirere quis sit, quod si negligat, vincibiliter ignorat: ergo.

Prob. 4. Non possunt ignorari invincibiliter prima praecepta legis naturae: ergo nec illorum auctor qui est Deus. Antecedens communiter admittitur, et patet ex alibi dicendis, et ex epist. ad Rom. c. 2. v. 14. *Gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Consequentia etiam patet: qui enim novit quaedam esse praecepta aut prohibita statim et absque difficultate infert ea esse praecepta vel prohibita ab aliquo superiore: ergo.

Adde quod si homo posset invincibiliter ignorare Deum, quantumvis scelestus foret, nullum peccatum mortale committeret: peccatum enim mortale est offensa Dei, non potest autem offendi qui invincibiliter non cognoscitur. Vid. propos. *de peccato philosophico* damnat. ab Alex. VIII. 25. Aug. 1690.

Dices cum Molina: saltem ad breve tempus, in prioribus instantibus rationis, videtur admittenda ignorantia negativa invincibilis de Dei existentia. Prob. Notitia Dei, ex dictis, non habetur nisi per discursum: atqui puer in primis instantibus rationis non videtur capax hujus discursus: ergo.

R. N. Assumptum: quia Scripturae et Patres nullam faciunt personarum aut temporum exceptionem, et rationes nostrae currunt pro quocumque tempore et qualibet persona. Unde ad probationem N. Minorem: quia puer non censetur pervenisse ad usum rationis, nisi in quantum est capax discursus saltem facilis, qualis est hic, hoc enim est uti ratione. Insuper puer non pervenit ad usum rationis in uno istanti physico, sed morali quod complectitur aliquam moram temporis; ita ut antequam usum rationis completum obtineat, primum per rationem illucescere incipientem, mundum, creaturas, parentes, seipsum noscat; deinde eadem ratione se magis evolvente cognoscit haec non esse a se, sed ab aliquo, sicque jam illorum auctoris imperfectam aliquam notitiam habet, indeque facile percipit se teneri ulterius inquirere quis sit ille auctor. Quod si haec forte non sufficiant, non abnuimus admittere cum quibusdam recentioribus praeter creaturarum inspectum, non deesse Deo alia media, quibus omnibus, in primo instanti rationis, non solum se possit revelare, sed et de facto se revelet. puta per inspirationem, per parentes, et magistros, vel per aliquem alium modum, juxta conditionem et capacitatem personarum: quia cum Deus sit ab homine necessario colendus ut omnium Auctor et Dominus, atque possidendus ut ultimus finis, ad suavem ejus providentiam pertinere videtur, ut cum usu rationis cuilibet homini ingerat sui notitiam, quovis modo tandem id faciat.

Tandem advertendum est quod dicit S. Thomas (*de verit. q. 14. a 11. ad 1.*) *quod non sequitur inconveniens* (oppositum in objectione, idest *quod aliquis homo nutritus in sylvis non possit explicite aliquid de fide cognoscere et ideo de necessitate damnabitur*) *posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in sylvis, vel inter bruta animalia nutriatur; hoc enim ad divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali; certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*, Act. 10.

Nullus ergo poterit etiam vincibiliter ignorare Deum, si prudenter ac sapienter procedat, primisque illustrationibus sive acquisitis, sive immissis assentiatur et obsecundet: secus vero poterit vincibiliter ignorare Deum immo et ipsum negare, sicque *dixit insipiens in corde suo, non est Deus* Psalm. 52. 1.

Petes utrum extiterint unquam Athei veri nominis?

Resp. Atheos multiplicis generis distingui. Atheus dicitur quasi sine Deo. Quidam ergo dicuntur Athei speculative, et proprie, quales sunt, si sint, qui mente, seu judicio interno negant dari Deum. Alii dicuntur Athei practice, qui, quamvis mente Deum agnoscant, vivunt tamen, quasi non esset Deus, quem vellent non esse suorum criminum vindicem. Item dicuntur Athei indirecte, qui nempe tribuunt creaturis, et idolis quod soli Deo proprium est, seu qui ipsi Deo denegant quod ipsi convenit, puta providentiam, aut tribuunt quod non convenit, puta corpus humanum. Illi enim quamvis Deum non omnino negent, tamen verum non agnoscunt. Tandem dicti sunt Athei, qui vulgares Deos snae patriae, eorumque Simulacra non venerabantur. Sic Socrates ea de causa tamquam atheus fuit morti addictus. Sic Judaei a Graecis, et Romanis, imo ipsimet Christiani passim a Gentilibus vocabantur Athei. Esse autem Atheos practice, et indirecte plusquam notum est in tot sceleratis hominibus, qui vivunt ac si Deus non esset, et innumeris Idololatris, qui falsos Deos colunt. At dari veri nominis Atheos, speculative scilicet, et proprie, non unus est Theologorum sensus. Quidam negant, alii affirmant, istorumque opinio nobis non videtur improbabilis, cum tales fuisse Protagoram, Diagoram, Theodorum Cyrenaicum testentur plures antiqui auctores. Ejusdem furfuris fuisse videtur Vaninus, Tholosae vivus ob hanc impietatem combustus anno 1619.

DISSERTATIO II.

DE NATURA SEU QUIDDITATE DEI, ET EJUS ATTRIBUTIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutivum divinae naturae?

Demonstrata Dei existentia, inquirendum restat quid sit ipse Deus. (1. *p. q.* 3. *in proem*) At de Deo perfecte scire non possumus quid sit, quia est ens infinitum; unde erroris et dementiae SS. Patres arguerunt Aetium et ejus discipulum Eunomium qui jactitabant se aeque perfecte cognoscere Deum, ac Deus ipse se cognoscit. Duplici tamen via aliqualem ejus cognitionem acquirere possumus: 1. Per viam negationis, removendo ab eo imperfectiones, et hoc est potius scire quid non sit, quam quid sit. *Deus ineffabilis est*, inquit Aug. in Ps. 85, *facilius dicimus quid non sit, quam quid sit.* 2. Per viam affirmationis, tribuendo ei perfectiones creaturarum, remotis imperfectionibus et longe excellentiori modo. Sic cum eodem August. l. 5. de Trinit. c. 1. *Intelligimus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesentem.*

Sed antequam de his omnibus perfectionibus singillatim agamus, instituimus hic pro more Scholae quaestionem; quod nam sit constitutivum naturae Divinae, unde aliae perfectiones profluunt.

Non est quaestio de constitutione physica divinae naturae secundum quod est realiter in se: sic enim certum est quod omnes perfectiones sive absolutae, sive relativae Deum realiter constituant, cum omnes identificentur in ipsa Dei natura, quae in se est simplicissima.

Neque etiam quaestio est de natura divina large et in ampla quadam signi-

ficatione sumpta, pro ente increato, quo distinguitur a creaturis, et quod se habet per modum transcendentis, reperiturque in omnibus attributis eo proportionali modo, quo ratio entis creati invenitur in omnibus differentiis et modis creaturarum.

Sed quaestio est de natura, seu essentia stricte sumpta pro eo, quod primum in Deo concipitur, tamquam fons et origo caeterarum proprietatum, a quibus proinde virtualiter distinguitur, et in quibus sub hac ratione non concipitur transcendentaliter inclusum: hoc est, de constitutivo metaphysico, seu essentiali differentia naturae divinae, prout a nobis viatoribus imperfecte in hoc statu concipitur, tamquam differentia ejus essentialis et origo caeterarum perfectionum, ut in homine rationalitas.

Dico 1. Natura seu essentia Dei non constituitur metaphysice per aseitatem.

Probatur 1. ratione fundamentali. Illud est formale constitutivum divinae naturae, quod distinguit illam, non a creaturis tantum, sed etiam ab attributis, personis, ceterisque formalitatibus divinis: atqui ratio entis a se id non praestat: ergo, etc. Major patet, quia hic, ut dictum est, non agitur de natura divina large sumpta pro entitate increata, sub qua ratione distinguitur a creatis, sed de ea stricte sumpta, prout est radix attributorum divinorum, adeoque virtualiter ab illis distincta. Probatur minor: ratio entis a se ex sua ratione formali est praedicatum transcendens omnes formalitates, seu perfectiones divinas, in eisque formaliter contenta: atqui tale praedicatum non distinguit naturam ab attributis: ergo. Patet major: omne enim, quod est in Deo, est ens a se. Patet etiam minor, quia per illud non distinguuntur natura et proprietas, per quod conveniunt, et quod in illis omnibus formaliter reperitur. Haec ratio militat etiam contra sententiam Scoti, quia infinitas, in qua reponit essentiam divinam, est etiam praedicatum transcendens.

Huic rationi fundamentali respondent 1., et communiter adversarii esse a se posse tripliciter sumi 1. Pro negatione essendi ab alio, tamquam a causa reali, cum dependentia, et sic, inquiunt quidquid est in Deo, est ens a se. 2. Pro negatione essendi ab alio tamquam a principio formali sine dependentia; et sic Pater aeternus est ens a se, non tamen Filius, et Spiritus S. 3. pro negatione essendi ab alio tamquam a causa virtuali, seu radice, et hoc soli essentiae divinae competit. Fatentur itaque aseitatem 1. modo non constituere naturam divinam, quia sic est trascendens omnia attributa: nec etiam secundo modo sumpta, quia alias Filius, et Spiritus S. qua tales non haberent naturam divinam, cum habeant esse a Patre tamquam a principio. Sola aseitas ergo tertio modo sumpta est constitutivum naturae divinae, cum illa ut sic non sit trascendens attributa, sed radix eorum.

Sed contra; haec responsio manifeste petit principium, et supponit, aut non attingit quod est in quaestione: Ergo nulla. Prob. Ant. Aseitas tertio modo sumpta, hoc est, non esse ab alio tamquam a radice, sed esse potius radix aliorum, constituit naturam divinam, inquiunt; atqui non hoc est quod quaeritur, id enim omnes fatentur; sed quaeritur cui formalitati, seu rationi in Deo id conveniat, quod non sit ab alio tamquam a radice, sed potius sit radix caeterorum, quod haec responsio adversariorum nullo modo probat, aut ostendit, cum fateantur non esse aseitatem primo, aut secundo modo: Ergo.

Confirmatur, et magis explicatur haec ratio: Dicere quod non esse ab alio tamquam a radice, sed esse radix caeterorum, constituat naturam, et e contra, quod esse ab alio constituat proprietates, est probare quid sit natura, et quid sint proprietates in communi; non autem quid sint in hac re particulari. Scilicet in Deo, vel cui ejus formalitati conveniant, quod tamen hic quaeritur: ergo idem quod ante. Prob. major. non esse ab alio tamquam a radice, sed esse radix

caeterorum, item esse ab alio tamquam a radice, sunt definitiones naturae, et proprietatum in communi, quae non conveniunt magis Deo, quam homini aut aliis creaturis. Pariter enim dico de hominis natura, quod sit quod non est ab alio tamquam a radice, sed quod sit potius radix caeterorum, et de ejus proprietate, quod sit ab alio tanquam a radice. Sed si quaeratur, quid sit in homine quod non est ab alio tamquam a radice, sed quod est radix aliorum: Respondebo, quod sit rationalitas. Et hoc est quod quaeritur nunc in Deo, et quod in ipso debent assignare adversarii. Non est aseitas primo et secundo modo, ut ipsi fatentur, non est aseitas tertio modo. Ergo nulla ex assignatis ab adversariis: et haec ratio, cujus nondum solutionem audivi, aut vidi, me fluctuantem in hanc inflexit sententiam.

Probatur secundo. Deus debet constitui per gradum intelligendi: ergo non per gradum essendi seu entis a se. Prob. ant. 1. Deus cum sit ens perfectissimum, debet constitui per gradum perfectissimum: atqui ex quatuor gradibus naturam constituentibus, scilicet essendi, vivendi, sentiendi, et intelligendi perfectissimus est gradus intelligendi Ergo.

Probatur 2. ant. Ex Doctrina S. Thom, *infra q.* 93. *a.* 3. inter creaturas Angeli tantum et homines facti sunt ad imaginem Dei id est aliquid participant et imitantur de natura Dei, eo quod sint intellectuales: ergo natura Dei constituitur per gradum intelligendi, et non per gradum essendi, alioquin omnes creaturae factae essent ad imaginem Dei.

Dico 2. Intelligere divinum non *radicale*, sed *actuale sub ratione ultimae actualitatis* per se subsistentis constituit metaphysice divinam naturam: unde Dei descriptio erit haec: *Ens summe et actualissime intelligens.*

Prob. 1. Juxta ea quae modo diximus in probatione secunda praecedentis conclusionis, natura divina metaphysica constituitur per gradum intellectivum; et cum sit actus purissimus expers omnis potentialitatis, debet constitui per id, quod in illo gradu est actualissimum, nec habet umbram potentialitatis: atqui tale est intelligere *actuale* et non *radicale*: ergo. Probatur minor: vel sermo est de intelligere *radicali* remoto, quod est ipsa substantia immaterialis, vel de proximo quod est potentia intellectiva: atqui utrumque, modo nostro concipiendi, se habet ad intelligere *actuale* per modum potentiae ad actum, seu actus primi ad secundum: ergo.

[Quaelibet perfectio in Deo constituenda est expressione ultimae actualitatis propriae lineae: Cum enim divinae perfectiones sint actus purissimi, constitui debent modo imaginabili purissimo, et perfectissimo, absque ulla pontentialitatis umbra; perfectior autem, ac purior concipitur Divina perfectio quando intelligitur ut exprimens ultimam suae lineae actualitatem, quam dum intelligitur ut eam solum implicite continens, consequenter sine illius expressione concepta, ut potentialis intelligitur, et non ut actus purissimus. Porro ad lineam, seu gradum intellectivum in Deo pertinet primo ratio substantiae immaterialis per essentiam, et radicaliter intellectivae, secundo vis proxima intelligendi, seu intellectus, tertio species, quarto ipsum intelligere, ut habet rationem operationis, et prout concipitur ut quaedam emanatio a principio intelligente, et denique idem intelligere, ut est actus purissimus, et per se subsistens in ordine intellectuali, quae omnia, praeter hoc ultimum, non possunt habere formaliter rationem essentiae, seu naturae in Deo, utpote non exprimentia summam, et ultimam actualitatem, nec ab eo excludentia omnem potentialitatis umbram. Sic species intelligibilis concipitur per modum principii complentis, et foecundantis in actu primo intellectum ad intelligendum. Item intelligere sub conceptu et formalitate operationis, supponit aliquid prius in Deo secundum nostrum modum concipiendi. Ipsum ergo intelligere purissimum, et actualissimum, et per se subsistens, quod exprimit sum-

mam illius ordinis perfectionem, et actualitatem, est quod primum in Deo concipitur tamquam constitutivum suae naturae. Nec obstat quod divina essentia sine attributorum expressione intellecta, non concipiatur ut potentialis et imperfecta; quia attributa non pertinent ad lineam essentiae, et naturae: diximus quidem expressionem ultimae actualitatis deberi cuilibet divinae perfectioni, sed in propria linea, eo quod actus purus formalissime, sit actus summus, ultra quem non est alia actualitas imaginabilis in illa linea, in qua est actus purus.]

Probatur 2. conclusio. Illud est constitutivum naturae cujuslibet, non quod in ea quovis modo primum concipitur, alioquin ratio substantiae in homine foret constitutivum naturae; sed quod in ea primo concipitur, ut quid actualius et perfectius, unde fit quod sit radix et origo ceterarum perfectionum: atqui inter omnes Dei perfectiones prima, quae concipitur ut actualior, et perfectior, non est intelligere radicale seu potentia intelligendi, sed ipsum intelligere actualissimum et perfectissimum: ergo.

Objicies contra primam conclusionem. Exod. 3. 14. interroganti Moysi quod esset nomen Dei, respondit Deus: *Ego sum qui sum*, et, *sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos*. Similiter SS. Patres Hilarius, August. Hieronymus scribunt, quod esse Dei sit ejus essentia, et quod nomen, *Qui est*, sit maxime proprium Deo: ergo.

R. Scripturam et Patres loqui de natura seu essentia Dei large sumpta, prout dicit ens increatum et divinum, distinctum ab omnibus creaturis, non vero de natura Dei metaphysice sumpta, qualiter consideratur a Theologis, et prout dicit quid primum in Deo quod sit radix caeterorum: nam esse a se, ut docet S. Th. (1. *p.* *q.* 13. *a.* 11. o.) non significat aliquid determinatum in Deo, consequenter non essentiam methaphysice consideratam, sed se habet indeterminate ad omnia quae sunt in Deo, et ideo nominat Pelagum substantiae infinitum.

Objicies 1. contra 2. conclusionem. In via S. Thomae, immaterialitas est ratio vis intellectivae, seu intellectionis divinae. Ergo divina intellectio non potest esse constitutivum divinae naturae, quia non est id quod prius concipitur, cum a priori per aliquid aliud demonstrari possit, cum potius ipsum debeat esse ratio a priori probandi cetera.

Ante responsionem adverto illas solas perfectiones in Deo virtualiter, et cum fundamento in re distingui, quae in creaturis distinguuntur formaliter, vel virtualiter, sed non ex mera potentialitate, ut intellectus, et intellectio, sed ex objecto suo formali, et ideo ad diversas lineas pertinent. Sic quia essentia, et natura in creatis non distinguuntur ex objecto formali, sed ex potentialitate essentiae creatae, quae non est actus purus, et sua operatio, et licet sit actuata per esse, est semen adhuc in potentia ad operari. essentia in Deo non distinguitur virtualiter, neque a natura, neque a potentia operandi, neque ab actuali operatione, ea scilicet, quae prima in eo concipitur, et est nobilissima; nimirum intelligere: Cum enim Deus sit in summo actualitatis in omni ordine, non potest concipi cum fundamento in re in potentia, sive ad esse, sive ad operari, sed utrumque sibi identificat. Ad distinctionem vero virtualem in Deo requiritur aequivalentia plurium, ut plurium, ex ratione sua formali distinctorum, et ad diversas lineas pertinentium, nam aequivalentia pluriun ex sola potentialitate distinctorum, et eamdem rationem formalem habentium, non est aequivalentia plurium, ut plurium, sed pluriun per modum unius, ut patet in aequivalentia, qua intellectus divinus aequivalet intellectui humano, et intellectioni, quae non sufficit ad constituendam distinctionem virtualem, et fundatam inter intellectum divinum et ejus intellectionem. Neque dicas lineam essendi, et lineam operandi esse diversas lineas; sunt enim diversae non ex sua ratione, seu objecto formali, ut sunt v. g. intellectus, et voluntas, sed ex sola potentialitate, et imperfectione naturae, seu essentiae, quae

non est in summo actualitatis, et consequenter non identificat suum ultimum actum, qui non est operatio. His notatis.

Resp. ad obj. Immaterialitatem esse gradus intellectivi rationem a priori quoad nos; non quoad se, quia cum immaterialitas, intellectualitas, et intellectio non distinguantur in creatis ex genere suo, seu ex sua ratione formali, sed ex potentialitate, quia nimirum creatura non est actus purus, hinc fit ut haec in Deo non distinguantur distinctione virtuali, et fundata in re, sed distinctione fundata in diverso modo concipiendi, et rationis ratiocinantis tantum, desumpta scilicet ex analogia ad creaturas, in quibus cum videmus immaterialitatem esse radicem intellectionis, et inter se distingui, colligimus, quod etiam ita fieret in Deo si non foret actus purus. Hinc non sequitur quod gradus intellectivus in Deo probetur per immaterialitatem tamquam per rationem a priori, quod S. Thom. non dixit: medium enim demonstrativum a priori debet distingui, saltem virtualiter a perfectione demonstrata per ipsum, alias idem per idem probaretur. Nec etiam sequitur quod immaterialitas sit id, quod prius concipitur in Deo, et dato sic esse, saltem non conciperetur, ut quid prius actualius, et perfectius, sed ut quid potentiale, et commune omnibus attributis: Conceptus vero naturae saltem explicitus, non est communis, et transcendentalis, sed proprius ac specialis.

Objic. 2. Intelligere actuale est essentialiter operatio, atqui operatio non constituit naturam operantem, sed constitutam supponit. Ergo etc.

Resp. Dist. Min. Operatio finita, quae est accidens non constituit operantem, sed etc. C. minorem. Operatio infinita per se subsistens. N. Minorem. Disparitas est, quod sit de ratione operationis, quae est finita, et accidens superadditum operanti, quod egrediatur ab ipso, ideoque supponat constitutum. At vero de ratione operationis infinitae, et per se subsistentis non est quod egrediatur ab operante, sed tantum quod sit ejus ultimus actus cum ipso identificatus, absque virtuali distinctione. Quia in ente infinito nihil potest concipi nisi maneat actus purus in conceptu nostro: non maneret autem actus purus natura operans, si conciperetur ut distincta ab ultimo suo actu ab ipsa egrediente, et sub ratione actus primi ad illum. Operatio igitur ut emanans a principio, et sub conceptu *ab* non est formaliter in Deo, quod bene nota, sed eminenter virtualiter tantum, in quantum eadem entitas in Deo facit totum, quod in rebus creatis facit operatio egrediens, et principium a quo egreditur. Et ideo diximus naturam divinam constitui per intellectionem, non sub ratione operationis, ut emanantis, sed sub ratione ultimae actualitatis per se subsistentis.

Petes quomodo divinum intelligere sit radix omnium divinarum perfectionum?

Resp. divinum intelligere est radix omnium divinorum attributorum diversimode. Illorum, quae pertinent ad operationes deductas ex intelligere, ut sunt sapientia, scientia, voluntas, amor, justitia, omnipotentia, etc. est radix immediate per se. Aliorum autem quae pertinent ad esse, et sunt veluti modi divinae essentiae, atque proprietates ejus transcendentales, ut sunt aeternitas, infinitas, veritas, bonitas, etc. est radix non immediate per se, et sub conceptu intellectionis, sed mediante ratione entis increati, et actus puri in illa imbibiti. Sicut in homine, rationalitas est per se immediate radix proprietatum, quae illi conveniunt ut homo est, ut esse risibilem, admirativum, etc. Proprietatum vero, quae sunt genericae, ut esse dormitivum, vel transcedentales, ut esse unum, verum, etc. est radix mediante gradu generico animalis, vel ratione entis in ea inclusi.

Articulus II.

De attributis divinis in communi

An et quomodo a se invicem, et ab essentia distinguantur?

Attributum proprie sumptum communiter definitur *perfectio absoluta simpliciter simplex, necessario et formaliter in Deo existens: et ad essentiam constitutam modo nostro concipiendi consequens.*

Dixi; *Attributum proprie sumptum*; quia cum secundum etymologiam nominis dicatur attributum ex eo quod Deo attribuatur, quandoque sumitur improprie pro omni eo quod de Deo praedicatur sive essentialiter, sive accidentaliter, sive absolute, sive relative.

Explicatur definitio: dicitur *perfectio absoluta*, non ut excludantur perfectiones quae dicunt respectum transcendentalem ad creaturas ut providentia, misericordia, justitia, sed ut excludantur relationes divinae, quae cum non sint communes tribus Personis, non habent rationem Attributi; Attributum enim est proprietas naturae, eam in quocumque sit consequens.

Dicitur *perfectio simpliciter simplex* ut excludatur *perfectio simplex*, seu *secundum quid*. Duplicis generis sunt enim perfectiones: quaedam dicuntur *simpliciter simplices*, aliae *simplices tantum* seu, *secundum quid*. Perfectio *simpliciter simplex* est, quae nullam in conceptu suo involvit imperfectionem, seu ut alii dicunt post S. Anselmum cap. 14. Monologii, *quae est melior ipsa, quam non ipsa*: id est quam habere, melius est cuilibet enti quatenus est ens, quam non habere, ut bonitas, justitia etc. Dixi *quatenus est ens*, et non quatenus est hoc vel illud ens: licet enim v. g. lapidi qua lapidi non sit melius vivere, quia per hoc destrueretur ejus essentia, illi tamen qua enti melius est. Duplex ergo requiritur conditio ad perfectionem *simpliciter simplicem*, 1. Quod nullam in conceptu suo formali involvat imperfectionem. 2. Quod ab eodem subjecto non excludat aliam perfectionem majorem vel aequalem, alioquin non esset melius illam habere quam illa carere. *Perfectio simplex tantum* seu *secundum quid* est, quae non melior ipsa quam non ipsa; proindeque cui deest alterutra assignata conditio, scilicet, aut in conceptu suo formali involvit aliquam imperfectionem, ut moveri, discurrere, esse corpus, esse sensitivum, esse quantum, esse coloratum etc. aut non compatitur in eodem subjecto aliam perfectionem majorem, vel aequalem, quo fit ut non sit melius illam habere quam illa carere. Hac ultima ratione relatio in divinis non dicitur *perfectio simpliciter simplex*, non quod ullam involvat imperfectionem, sed quia non compatitur in eadem persona aliam relationem aequalis perfectionis, v. gr. Paternitas filiationem, quo fit quod non sit melius habere Paternitatem, quam illa carere, cum Filius qui illa caret, sit aequalis dignitatis et perfectionis cum Patre.

Notandum insuper aliquid in alio posse contineri multipliciter: 1. *formaliter* seu quoad rationem suam formalem, sic calor continetur in igne, anima in homine: 2. *virtualiter* quando unum habet virtute quidquid perfectionis est in re contenta. Tunc autem censetur id habere virtute vel quando rem, quae contineri dicitur, potest producere, sic planta continetur in semine, effectus in causa; vel quando se solo praestare potest omnia, quae praestare potest res contenta, sic calor formalis ignis continetur *virtualiter* in sole: 3. *eminenter*, quando unum continetur in alio perfectiori modo quam sit in se ipso, et hoc vel *eminenter formaliter*, ut sensitivum in anima rationali, vel *eminenter virtualiter*, ut calor in sole[1].

Dicitur *necessario in Deo existens*, ut excludantur actus liberi, ut creatio.

Dicitur *formaliter in Deo existens*, ut iterum excludantur perfectiones *secundum quid*, quae existunt in Deo *eminenter* tantum, hoc est, semotis imperfectionibus, ut probabimus infra.

Dicitur *ad essentiam constitutam consequens*, ut excludantur praedicata essentialia, et significetur attributa naturam divinam non constituere, sed constitutam supponere et ad eam sequi per modum proprietatis.

Distinguuntur attributa in *absoluta et respectiva*: *absoluta* dicuntur, quae pertinent ad esse divinum ut simplicitas, immensitas etc, *respectiva*, quae pertinent ad operationes, ut scientia, providentia, omnipotentia etc. Item quaedam sunt *negativa*, quamvis quaedam enuntientur affirmative ut simplicitas, quae removent a Deo imperfectiones, ut esse infinitum, immensum, immutabilem etc. qua via melius et facilius cognoscitur Deus; facilius enim est dicere, quid non sit Deus, quam quid sit. Quaedam *affirmativa*, quae de Deo affirmative enuntiantur, ut bonitas, justitia, etc.

Verum etsi dicamus plura attributa, observandum est, non esse plura realiter propter summam Dei simplicitatem et unitatem, sed esse plura *virtualiter* tantum, quatenus entitas Dei simplicissima aequivalet pluribus perfectionibus creatis realiter distinctis.

Distinctio est carentia identitatis, ea enim dicuntur distingui, quae non sunt idem. Dividitur in distinctionem realem et distinctionem rationis.

Distinctio realis est identitatis carentia, quae datur a parte rei independenter ab intellectu. Est duplex: una realis simpliciter, quae dicitur major; altera realis modalis, quae dicitur minor. Realis major est inter entia perfecta, quae ab invicem separantur vel separari possunt, ut inter Petrum et Paulum, inter corpus et animam. Realis minor est inter rem et ejus modum, ut inter Petrum et ejus sessionem, vel inter duos modos, ut inter sessionem et stationem. Dicuntur modi, quia sunt minutae entitates, quae quamvis sine subjecto esse non possunt, subjectum tamen potest esse sine illis, unde ab eo dicuntur modaliter distingui. Dari vero tales entitates ipso sensu constat, et probatur in Metaphysica.

Distinctio rationis est identitatis carentia sub conceptu tantum inter ea, quae a parte rei non sunt distincta, sed unum et idem. Est etiam duplex: una rationis ratiocinantis, altera rationis ratiocinatae. Prima est, quae fit sine fundamento in re, ut si distinguas inter Tullium et Ciceronem, aut si concipias idem praedicari de se ipso, dicendo v. g. Cicero est Cicero; tunc enim idem suppositum enuntiatum per modum subjecti et praedicati concipio quasi duplicatum, unde resultat in mente quaedam distinctio. Secunda, est, quae fit cum fundamento in re, ut si distinguas v. g. inter justitiam et misericordiam in Deo; quamvis enim justitia et misericordia identificentur realiter in eadem essentia divina, et sint unum et idem re cum illa, quia tamen haec simplex essentia aequivalet justitiae et misericordiae distinctis realiter in creaturis, sicque est virtualiter multiplex, et praebet intellectui nostro fundamentum eas distinguendi in Deo.

[Porro haec distinctio virtualis actu datur a parte rei, sicut actu a parte rei datur divina simplicitas aequivalens pluribus. Est etiam intrinseca in Deo, sicut in Deo intrinsece datur una simplicissima realis formalitas continens, et aequivalens pluribus, ad diversas etiam lineas pertinentibus, quae in creaturis divisa reperiuntur. Non est insuper eadem distinctio virtualis, ac fundamentalis quia haec dicitur per ordinem ad intellectum creatum, cui dat fundamentum actu distinguendi in Deo, quae actu sunt unum. Illa autem ex sua notione ab omni intellectu praescindit: imo in suppositione quod nullus intellectus creatus esset possibilis, distinctio virtualis in Deo adhuc subsisteret; adhuc enim in Deo subsisteret illa una simplicissima realis formalitas, unice continens, et ae-

quivalens pluribus perfectionibus, quae in creaturis divisae, et distinctae actu reperiuntur, in quo essentia distinctionis virtualis sita est.]

Hujus ergo distinctionis duplex assignari potest fundamentum. Primum est dicta eminentia rei sibi identificans plures perfectiones realiter distinctas in inferioribus. Secundum est imperfectio intellectus nostri, qui cum has omnes perfectiones una simul attingere non possit, illas distinctis actibus, ac si forent distinctae, concipit; unde resultat distinctio in intellectu. Haec distinctio quae, dum spectatur in intellectu, dicitur rationis ratiocinatae cum fundamento in re; dum spectatur in re, dicitur virtualis; quia praestat quod praestaret distinctio realis, et ipsi aequivalet ad verificationem contradictoriarum de eadem re.

Audiatur S. Thom. (*in* 1. *d.* 2. *q.* 1. *a.* 3. o.) *quod Deus excedat intellectum nostrum est ex parte ipsius Dei propter plenitudinem perfectionis ejus, et ex parte intellectus nostri, qui deficienter se habet ad eam comprehendendam. Unde patet, quod pluralitas istarum rationum non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei; in quantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus; et ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quae Deus est: non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit, ut omnes istae conceptiones ei aptentur.*

Scotus cum suis hanc distinctionem rationis ratiocinatae seu virtualem rejicit, aliamque adstruit, quam dicit *actualem formalem ex natura rei. Actualem*, quia est a parte rei ante omnem mentis conceptum: *formalem*, quia non est inter res quae propria gaudent existentia, sed inter formalitates idest perfectiones seu modos ejusdem rei: *ex natura rei*, quia resultat ex eo, quod unum non sit de conceptu formali alterius. Hanc distinctionem dicit non esse realem, quia non est inter res, quamvis fateatur hoc sensu esse realem, quod sit a parte rei independenter ab intellectu; neque est rationis, quia ut dictum est, antecedit omnem actum intellectus: unde juxta illum est media inter distinctionem realem et distinctionem rationis.

Quaestio est igitur, qua distinctione attributa divina a se invicem et ab essentia distinguantur. Eadem est difficultas de relationibus respectu essentiae, quae, quamvis pertineat ad Tractatum de Trinitate, pariter hic resolvetur.

Suppono 1. contra Gualterum, Abbatem Joachim, Palamitas, et Gilbertum, neque attributa a se invicem et ab essentia, neque relationes ab essentia in Deo distingui realiter entitative: quia opposita sententia est definita in Conciliis Lateranensi et Remensi, et patebit ex confutatione distinctionis Scotisticae. Si enim haec non distinguantur *actualiter formaliter*, a fortiori non distinguntur *actualiter realiter*.

Suppono 2. contra Aetianos et Nominales haec praefata distingui plusquam distinctione rationis ratiocinantis, patebit ex assertione distinctionis virtualis. Igitur.

Dico 1. Divina attributa non distinguuntur a se invicem et ab essentia, neque relationes ab essentia, distintione actuali formali, vulgo Scotistica.

Probatur 1. argumento deducto ex Scripturis. Quae *actualiter formaliter* in re ab aliquo distinguuntur, non possunt de illo praedicari in abstracto, sed potius negari, quia cum abstractum nihil ex se aliud includat, quam quod explicat, si praedicaretur de eo, a quo *formaliter actualiter* in re distinguitur, non foret identitas praedicati et subjecti, ut patet in his praedicationibus, Petrus est humanitas, est justitia, est bonitas; atqui juxta Scripturas, attributa praedicantur de Deo in abstracto: sic Joan. 14. Christus dixit de se ipso; *Ego sum via, veritas, et vita*: unde S. Bernardus in Concilio Remensi requisitus, ut scripto proferret quid sentiret contra Gilbertum, *Scribatur*, inquit, *stylo ferreo, in ungue adamantino, et sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo vere Deus est.* Ergo.

Probatur 2. Ex Concilio Lateran. sub. Innoc. III. *Nos autem sacro et universali Concilio approbante credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres simul personae ac singulatim quaelibet earumdem: et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas... Licet igitur alius sit Pater, alius Filius alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id quod est} Pater, est Filius, et Spiritus Sanctus, idem omnino.* Porro, si *omnino idem* in re, ergo nullo modo in re distinguuntur. Item si *formaliter realiter* distinguuntur; ergo erit *formaliter realiter* in Deo quaternitas, imo centenitas ut ita dicam.

Probatur 3. Concilium Remense contra Gilbertum Porretanum, et Lateranense sub Innocentio III. contra Abbatem Joachim damnarunt et rejecerunt distinctionem vere et proprie realem in divinis: id fatentur Scotistae: atqui distinctio actualis formalis ante omnem mentis conceptum est vere et proprie realis: ergo. Probatur minor. Id est vere et proprie reale, quodcumque sit, sive substantia, sive accidens, sive modus, sive identitas, sive distinctio, sive actio, quod est, vel esse potest a parte rei independenter ab intellectu: haec enim est definitio entis vere et proprie realis: atqui distinctio actualis formalis Scoti est a parte rei independenter ab intellectu: ergo.

Prob. 4. duplici ratione. Prima sic proponitur. Deus est summe simplex: atqui non potest stare summa simplicitas cum distinctione reali formali: ergo. Major est certa de fide. Probatur minor. Distinctio realis formalis in Deo importat compositionem realem formalem in Deo, eo modo scilicet, quo est distinctio: atqui non potest stare summa simplicitas cum compositione formali reali: ergo. Minor patet et admittitur. Prob. maj. 1. compositio est distinctorum unio: atqui distincta formaliter realiter in Deo, si sint, sunt divinitati et inter se unita: ergo distinctio realis formalis in Deo importat compositionem realem in Deo. Prob. 2. eadem major: ex distinctione reali entitativa in Deo, si daretur, infertur et inferebant Patres adversus Gualterum et Gilbertum compositionem entitativam in Deo: ergo ex distinctione reali formali in Deo legitime infertur compositio realis formalis in Deo.

Secunda ratio petitur a summa Dei unitate, et sic formatur. Sicut Deus est summe simplex, sic est summe unus, imo unissimus, si id dici posset, inquit Divus Bernardus; atqui distinctio formalis realis opponitur huic summae unitati, tum quia fatente ipso Patre Henno, importat pluralitatem realem formalem, pluralitas autem e diametro opponitur unitati, tum quia se habet distinctio ad unitatem sicut compositio ad simplicitatem: atqui compositio realis formalis evertit summam simplicitatem, fatentibus adversariis: ergo distinctio formalis realis destruit summam unitatem.

Dico 2. Attributa divina a se invicem et ab essentia, item relationes ab essentia distinguuntur distinctione virtuali, seu rationis ratiocinatae, non quidem majori quae sit per modum excludentis et exclusi, sed minori, quae est per modum impliciti et expliciti.

Circa hanc distinctionem virtualem vide quae cum S. Th. notavi superius.

Probatur prima pars. Ea dicuntur distingui virtualiter, quae quamvis sint in se res simplicissima, aequivalent tamen pluribus realiter distinctis, et diversos producunt effectus, unde praebent intellectui nostro fundamentum formandi distinctos conceptus inadaequatos quasi rerum reipsa distinctarum, ex quo resultat in mente distinctio quaedam, quae dicitur rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re: atqui in Deo attributa, relationes, et essentia sunt una res simplicissima, ut constat ex dictis, aequivalens tamen pluribus realiter distinctis in creaturis, diversos producens effectus, indeque praebens intellectui nostro fundamentum diversos de ea conceptus inadaequatos formandi, ex quo resultat in intellectu distinctio rationis cum fundamento in re: Ergo.

Probatur secunda pars. Distinctio rationis ratiocinatae major, seu quae se habet per modum excludentis et exclusi, est, qua unum cum fundamento in re ita ab alio praescinditur, ut nullo modo etiam implicite illud in conceptu includat, sed ad illud in potentia remaneat ut quid contrahibile et perfectibile per illud tamquam per aliquid extraneum: atqui talis distinctio in Deo concipi non potest, ergo. Probatur min. Quidquid divinum seu quidquid in Deo concipitur, concipi debet ut actus purissimus et ens in genere entis infinitum: atqui repugnat concipere cum fundamento in re actum purissimum et ens infinitum in potentia contrahibile et perfectibile per aliud tamquam per aliquid extraneum; hoc enim esset destruere conceptum actus purissimi, de cujus ratione est excludere omnem potentialitatem et imperfectionem, et conceptum entis infiniti, de cujus ratione est includere saltem implicite omnem rationem entis: ergo.

Confirmatur: Deus est ens perfectissimum, quo perfectius cogitari non potest: atqui perfectius est, si omnia, quae sunt in Deo, se se mutuo formaliter includant saltem implicite, quam si unum excluderetur a conceptu formali alterius. Ergo.

Ex hac ultima conclusione colliges, attributa, relationes, et essentiam in Deo non omnino eodem modo differre, quo differunt gradus metaphysici, puta animalitas, et rationalitas, hi enim distinguuntur distinctione majori, seu praecisione exclusiva, illa vero distinctione minori, seu praecisione inclusiva. Ex quo ulterius inferes Deum non componi ex genere, et differentia, eo quod haec compositio fundetur in distinctione majori.

Objic. 1. Talis est distinctio qualis est contradictio: atqui ante omnem mentis operationem de essentia, attributis, et relationibus divinis affirmatur quaedam contradictio, seu potius verificantur contradictoria: vere enim dicitur. Essentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur. Ergo.

Resp. 1. Retorquendo argumentum. Talis est distinctio, qualis est contradictio: atqui inter essentiam divinam, et relationes, non solum est contradictio formalis, seu quoad formalitates, sed realis entitativa, seu quoad entitates: vere enim essentia non solum formaliter, sed realiter entitative communicatur Filio, non paternitas, alioquin Pater distingueretur a Filio formaliter tantum, et non realiter entitative, quod admitti non potest. Ergo.

Resp. 2. Directe. Major negari posset: Etenim de re simpliciter, et formaliter una, sed virtualiter distincta et multiplici potest idem affirmari, et negari, sicque verificari quae videntur contradictoria, quia vere, et proprie non sunt contradictoria, nisi quae affirmantur, et negantur de eodem sub eadem ratione: ubi autem res est virtualiter distincta, et multiplex quae videntur contradictoria non enuntiantur de eodem sub eadem ratione, sed sub diversa. Sic essentia divina, prout aequivalet intellectui creato generat, prout aequivalet voluntati non generat. Essentia divina prout est absoluta communicatur, prout aequivalet relativo, non communicatur. Nota enim bene, quod quae in creatis realiter distinguuntur, identificantur in Deo salvis suis naturis. Consequenter ad haec debet etiam negari minor, nimirum de essentia divina, attributis, et relationibus verificari contradictoria proprie dicta.

Sed claritatis majoris gratia. Dist maj. Talis est distinctio formaliter, vel virtualiter, qualis est contradictio. Conc. Maj. Talis est distinctio semper formaliter, qualis est contradictio. N. Maj. Sufficit enim, ut dictum est, distinctio virtualis, quae actuali reali aequivalet, qualis est eminentia, seu virtualis multiplicitas divinae entitatis. Eo enim titulo dicitur distinctio virtualis, quia ratione infinitae entitatis praestat eminenter, quod praestaret formaliter distinctio realis. Hinc inferes ipsam distinctionem formalem quam tantopere jactitant Scotistae, non sufficere ad verificandam contradictionem stricte realem in divinis;

cum enim ad hoc requiratur distinctio stricte realis, vel stricte reali aequivalens, talis enim, inquiunt, debet esse distinctio, qualis contradictio; nec eorum distinctio formalis sit stricte realis, nec ipsi aequivaleat, sequitur, quod non sit sufficiens ad hunc effectum, sicut nostra virtualis, quae aequivalet stricte reali, et relinquit a parte rei omnimodam entitatem inter essentiam, relationes, et attributa. Quia, ut jam dictum est, hoc ipso quo res una, et eadem a parte rei differt ratione, seu est virtualiter distincta, et multiplex, potest in re communicari sub una ratione, et non sub altera, non secus, ac si esset realiter distincta, et multiplex; quia rationes realiter distinctae in inferioribus identificantur in superiori, salvis eorum naturis, et proprietatibus, unde praestat haec virtualis multiplicitas, quod praestaret realis, et ideo dicitur virtualis. Vis exemplum? Anima rationalis in homine est unica, eminenter tamen vegetativa, et sensitiva, et ratione hujus eminentiae, seu virtualis multiplicitatis, communicatur, et non cummunicatur sub diversa ratione: communicatur quibusdam partibus ut vegetativa, non communicatur, ut sensitiva, communicatur aliis partibus, ut sensitiva, non communicatur ut rationalis

[Apposite advertit S. Thom. in 1. d. 34. q. 1. a. 1. ad 2. Non omnes affirmationes, et negationes verificari posse de eo, quod, esto, re sit unum et idem, est tamen virtualiter, et ratione diversum, sed illas solum, quae cadunt supra id, in quo virtualiter, et ratione diversificantur, Sic cum Persona, et Essentia sint idem secundum rem, nihil quod ad naturam rei pertinet, quodque praedicatur de Essentia, potest negari de Persona, ut dicatur quod Essentia, est increata, Persona non est increata. Sed quia ratione distinguitur, quidquid pertinet ad rationem illam, in qua distinguuntur, quod praedicatur de uno potest negari de altero, quod dicatur Persona generat, Essentia non generat. ec.]

Objic. 2. Quae habent distinctas definitiones formaliter distinguuntur: atqui essentia, et attributa in Deo habent distinctas definitiones: Ergo.

Resp. dist. Maj. Quae habeut distinctas definitiones traditas de re prout est in se a parte rei, formaliter distinguuntur. Conc. Maj. Quae habent distinctas definitiones traditas de re prout inadaequate concipitur subdistinguo. Sunt formaliter distincta in se, Nego. Sub conceptu inadaequate definiente, Conc. Ad hunc sensum dist. Min. Essentiam enim, et attributa, distinctis definitionibus explicamus, non prout sunt in se identificata, sed prout ea distinctis conceptibus inadaequatis attingimus:

Inst. Non possunt formari de Deo distincti conceptus formales, nisi ex parte Dei respondeant distincti conceptus objectivi; atqui non sunt in Deo distincti conceptus objectivi, ut supra probatum est. Ergo.

Resp. Nego Maj. Ad formandos enim distinctos conceptus formales inadaequatos de Deo sufficit infinita ejus perfectio, quae cum aequivaleat pluribus realiter distinctis, praebet intellectui meo fundamentum eam concipiendi inadaequate sub una ratione et non sub alia.

Petes 1. An haec propositio *Sapientia divina non est formaliter bonitas divina* sit vera?

Resp. Hanc propositionem habere duplicem sensum, ratione particulae *formaliter*, quae dupliciter sumi potest. Primo absolute, pro quidditate rei, ut est in se, ita ut sensus propositionis sit, sapientia divina non est formaliter in se, et a parte rei bonitas divina: et hoc sensu falsa est, cum omnia attributa absolute, prout sunt in se a parte rei sint formaliter identificata. Secundo sumitur *τὸ formaliter* relative pro quidditate rei, ut substat nostris conceptibus, et ab illis denominatur extrinsece distincta, hoc sensu vera est praefata propositio, sed ex ea concluditur tantum, sapientiam, et bonitatem formaliter distingui sub conceptu.

Regeres, si sapientia in se formaliter sit bonitas, misericordia sit justitia,

voluntas sit intellectus, ec. Ergo saltem erit verum dicere, quod absolute formaliter in se misericordia puniat, justitia pareat, quod intellectus velit, voluntas intelligat, atqui haec falsa sunt, et absurda. Ergo.

Resp. 1. Nego Maj. Quia cum predicatur operatio propria alicujus attributi, tunc importatur explicite per modum consignificati ratio formalissima, et reduplicativa propter quam unum attributum virtualiter distinguitur ab altero, ita ut ibi exerceatur distinctio virtualis, ideoque operatio unius attributi non possit de altero formaliter praedicari.

Resp. 2. Neg. Min. si *τὸ formaliter* in minori sumatur absolute pro essentia, seu quidditate, ut est a parte rei, quia hoc sensu verum est, quod eadem entitas simplicissima, quae essentialiter in se est misericordia, puniat, quod eadem entitas, quae essentialiter in se est voluntas, intelligat, licet tamen non puniat reduplicative sub ratione misericordiae, idest prout aequivalet virtuti miserendi in creatis, nec intelligat prout aequivalet virtuti volendi creaturae.

Petes. 2. An vera sit haec propositio „ *Attributum sapientiae est formaliter absolute in se attributum bonitatis*?

Resp. dicendo *attributum sapientiae* respicit statum rationis, cum non sint in Deo varia attributa, nisi per rationem, et reduplicatur conceptus explicitus, quo virtualiter distinguitur in se a bonitate, ita ut ibi exerceatur ipsa distinctio virtualis: unde falsum est suppositum praefatae propositionis, quia non dantur in Deo absolute in se attributa, hoc est proprietates consequentes essentiam, quod supponit dicta propositio: attributa enim dumtaxat fiunt, et dicuntur per rationem concipientem quasdam in Deo perfectiones per analogiam ex creaturis, tamquam proprietates consequentes essentiam, quod in se tamen non est, cum nihil in Deo sit prius, aut posterius, sed una simplicissima entitas.

[Esto dici possit Attributa contineri in Essentia divina continentia virtuali, tamquam in radice virtuali ipsorum, non tamen continentia reali eo modo quo effectus continetur in sua causa reali. Ex quo fit neque essentiam perfici ab attributis, quia perfectiones eorum actu implicite in se habet, licet illas sub nomine essentiae non explicet: Neque multiplicari essentiam quoad explicitum essentiae, etsi attributa quoad explicitum, variis conceptibus, et nominibus, quasi essent multae, nominentur.]

Petes 3. An omnia attributa in Deo sint aequalia.

R. 1. Si sermo sit de attributis prout sunt a parte rei, esse aequalia, non aequalitate positiva, quae peteret realem distinctionem, sed aequalitate negativa, quae consistit in negatione excessus, sunt enim in re unum et idem.

R. 2 Si sermo sit de illis prout a nobis concipiuntur, sub distinctione; vel considerantur sub ratione entis increati et infiniti, quam transcendentaliter includunt, et sic sunt aequalia, quia haec ratio utpote indivisibilis et unica omnibus aequaliter imbibitur. Vel considerantur sub ratione explicita et per analogiam ad similes perfectiones in creatis, et sic sunt inaequalia secundum quid, quia intellectus v. g. explicat majores perfectiones quam voluntas, et sic de caeteris.

DISSERTATIO III.

De attributis in particulari, quae pertinent ad divinum Esse.

Attributorum, quae in Deo concipimus, quaedam, ut jam notavi, spectant ad ejus Esse, seu substantiam, quaedam ad operationem; et cum secundum nos, prius sit esse, quam operari, hinc cum D. Thoma prius agimus de iis, quae spectant ad Esse divinum, deinde de iis, quae spectant ad ejus operationem, ut de scientia, Providentia, etc. Et cum perfectius cognoscamus Deum per ne-

gationem, removendo scilicet ab ipso imperfectiones creaturarum, quas penetrare possumus, quam per affirmationem, affirmando de ipso divinas perfectiones, quas satis capere non valemus; hinc a negativis incipimus; et 1. de Simplicitate Dei, seu non compositione agimus.

Articulus I.

De simplicitate Dei S. Thom. 1. p. Q. 3.

Nota 1. [Nomine simplicitatis in genere nihil aliud significatur quam negatio compositionis; Compositio autem est distinctorum unio se invicem excludentium quae triplex a Philosophis assignatur: Una physica ex materia et forma, vel ex subjecto et accidente: Alia Metaphysica ex actu, et potentia ex essentia et existentia, ex natura et Personalitate: Tertia logica ex genere et differentia, non tamquam ex duabus rebus realiter distinctis, sed ex duabus rationibus ejusdem rei. Praeter compositionem intrinsecam quae simplicitati repugnat, est et alia extrinseca compositio, quae aliquid cum alio componit, quamvis in se non componatur, quaeque ipsum denominat active componens, non compositum. Ut constat in materia prima, quae licet in se intrinsece incomposita, venit tamen in compositionem aliorum, et est primum subjectum ex quo omnia elementa, et mixta componuntur.]

Nota. 2. Duplicem esse Simplicitatem, una est quae provenit ex potentialitate et defectu, secumque affert paupertatem, et imperfectionem, et convenit Materiae primae, quae prope est nihil: Altera est quae procedit ex forma et actu, summamque denotat perfectionem, et actualitatem. De hac procedit quaestio.

Quaeritur 1. Utrum Deus sit Corpus?

Idololatras corpus Deo tribuisse certum est, siquidem aut idola sua, aut solem aut lunam, aut Coelum aut plantas, aut bruta aut homines, Jovem, Saturnum etc. pro diis haberent. Inter Christianos vero quosdam Egypti Monachos ex Audianorum secta sustinuisse Deum esse corpus referunt Socrates l. 6. hist. c. 7. et Sozomen. lib. 8. c. 11.

[Ex Audianis ortos fuisse Antropomorphitas censet S. Aug. lib. de haeresi cap. 5. Deum esse corporeum, et membra ad formam humani corporis habere effutientes, ad quod praecipue movebantur ex illo Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* His posterioribus temporibus adhaeserunt Saeculo VII. Mahometus immundissimus Saracenorum Legislator, Saeculo XIII. David quidam de Dinando, et priori Saeculo Benedictus Spinosa.]

Prob. 1. Ex Scriptura. Joan. 4. dicitur: *Spiritus est Deus.* 2. ad Cor. 3. *Dominus autem Spiritus est.* 1. ad Timot. 1. Dicitur Invisibilis. Unde in Concil. Later. IV. Cap. *firmiter,* dicitur: *Una est Dei Essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Omitto Patres, quorum doctrina est aperta pro hoc dogmate catholico.

Prob. rationibus. 1. Deus est primum movens immobile, ut patet ex supra dictis: atqui omne corpus moveri potest, vel motu locali transeundo ab uno loco ad alium, vel motu alterationis recipiendo de novo aliquod accidens. Ergo, etc.

2. Deus est Entium nobilissimum, ut jam saepe dictum est, atqui impossibile est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus: Ergo. Prob. min. Corpus aut est vivum, aut non vivum; si non vivum, manifestum est quod vivum sit eo nobilius saltem substantialiter; si vivum non vivit in quantum corpus, alias omne corpus viveret, sed vivit per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam: atqui illud per quod vivit corpus est nobilius quam corpus Ergo. etc.

[Si corporeus est Deus, et membra habet ut homo, quemadmodum Antropomorphitae comminiscebantur, non erit totus ubique, sed pars ejus in uno loco

erit, alia in alio, imo cum corpus ejus finitae magnitudinis sit, ita erit in uno loco, puta in coelis, ut in aliis non sit. Quomodo ergo dicit David Ps. 144. v. 5. *quod magnitudinis ejus non est finis* Quomodo Psal. 138. v. 8. *Si ascendero in coelum* (inquit) *tu illic es, si descendero in Infernum ades* ?]

Dices. In scriptura tribuuntur Deo ea quae nonnisi corpori conveniunt. 1. Tribuitur Deo extensio: dicitur enim. Job. 11. *Excelsior Coelo est. . . Profundior inferno . . . . Longior terra. . . . Latior mari.* etc. Tribuuntur Deo membra, ut brachium, oculi Pedes. Tribuitur situs Is. 6. Vidi *Dominum sedentem.* Tribuuntur affectiones animae ut paenitere, irasci, etc. Ergo.

Resp. Haec et similia intelligenda esse sensu improprio, et metaphorico: solet enim Scriptura tradere nobis spiritualia sub similitudine corporalium, ut se se modo nostro cogitandi, et loquendi aptet. Igitur 1. cum trinam dimensionem Deo attribuit sub similitudine quantitatis corporeae, quantitatem virtualem ipsius designat, utpote per profunditatem virtutem ad cognoscendum multa; per altitudinem excellentiam virtutis super omnia: per longitudinem durationem sui esse: per latitudinem affectum dilectionis ad omnia. 2. Per brachium intelligitur ejus potentia operativa ad extra, per oculum ejus scientia et providentia, per pedes ejus praesentia. 3. Per Sessionem ejus immobilitas et authoritas, per stationem ejus fortitudo ad debellandum omne, quod ei adversatur. 4 Per poenitentiam et iram intelligitur non affectus animi, sed effectus, quem inter homines solent producere paenitentia, et ira, scilicet retractatio operis patrati, et offensae vindicta.

Ad recte autem intelligendos sensus aliquorum ex antiquis Scriptoribus, qui Deum quoddam corpus appellant, observandum est, quod corpus ab antiquis, praesertim a Tertulliano duplici sensu usurpatur 1. Improprie pro omni eo quod est reale, ac subsistit, et opponitur nihilo, et vacuo. 2. Proprie pro mole materiali extensa, et prout opponitur substantiae immateriali. Quando igitur Tertullianus, aut alius quispiam dicit Deum esse corpus, intelligit de corpore improprie prout est aliquid subsistens, et opponitur nihilo.

Quaeritur II. Utrum in Deo sit compositio ex materia, et forma?

Resp. Negative.

Prob. 1. Deus est actus purissimus; atqui in actu purissimo nulla est materia, quae essentialiter involvit potentialitatem: Ergo. 2. Deus est bonus, et perfectus per suam essentiam, non per participationem: atqui quod componitur ex materia, et forma, est bonum per formam, adeoque per participationem: Ergo.

Quaeritur III. Utrum Deus careat compositione substantiali ex natura, et supposito?

Ante responsionem. Nota 1. Quod S. Thom. per hoc nomen Deus, quod importat Suppositum, intelligat id quod habet veram Deitatem, sive sit individuum deitatis, ut indivisum et praeintellectum tribus Personis, sive sit Persona incommunicabilis, Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus.

Nota 2. Suppositum duo superaddere naturae, sive essentiae 1. Principia individuantia, ut sunt in humanitate, hae carnes, haec ossa, haec quantitas; haec accidentia materiam signantia; licet enim haec non includantur in humanitate, includuntur tamen in hoc supposito, quod est homo. 2. Superaddit subsistentiam, seu existentiam per se. quae est terminus, et complementum naturae ex ea resultans, ratione cujus redditur condistincta, et incommunicabilis, ne dum pluribus individuis, sed etiam pluribus Suppositis. Juxta hanc acceptionem proprie est Suppositum; juxta primam minus proprie.

Resp. ad quaest. Affirmative.

Prob. 1. Ex Scriptura. Joan. 14. dicitur. *Ego sum via, veritas, et vita*: atqui vita in Deo est ipsa ejus deitas, seu natura: Ergo idem est Deus, quod sua natura. Et ita videtur definitum in Concilio Remensi contra Gilbertum Porrectanum

Episcopum Pictaviensem, qui nolebat abstracta posse praedicari de Deo in concreto, ut vidimus supra, et quem hoc validissimo argumento urgebat S. Bernard. Si Deitas non est Deus vel est nihil, vel aliquid, quod non est Deus. Nihil dici non potest, cum sit Natura divina, qua Deus est Deus. Neque est aliquid, quod non est Deus, quiâ vel esset minus, aut majus Deo, vel ipsi aequale, non minus tum quia est id, quo Deus est, id autem quo Deus est Deus, est infinitum, nec potest esse minus eo quod constituit, Non majus, quia id et non Deus foret summum bonum. Non aequale quia tunc essent duo summa bona, quod est impossibile. Ergo.

[Nec asserendo Deum esse suam deitatem cogimur dicere, ut timebat Gilbertur, quod sicut Deus est Incarnatus, ita quoque deitas, seu Natura divina sit incarnata. Nam ut advertit S. Thom. 1. p. q. 39. a. 5. „ Ad veritatem locutionis „ non solum oportet considerare res significatas, sed etiam modum significandi... „ Licet enim secundum rem sit idem Deus, quod deitas, non tamen est idem mo„ dus significandi utrobique. Nam hoc nomen *Deus*, quia significat divinam Essen„ tiam ut in habente, ex modo suae significationis naturaliter habet quod pos„ sit supponere pro Persona. Et sic ea quae sunt propria Personarum, possunt „ praedicari de hoc nomine Deus, ut dicatur, quod Deus est genitus, vel ge„ nerans, sed hoc nomen *essentia* non habet ex modo suae significationis, quod „ supponat pro Persona, quia significat essentiam ut abstractam. Idem docet 3. „ p. q. 16. a. 5. ubi ex diversitate modi significandi infert - Quaedam dici de „ Filio Dei, quae non dicuntur de divina Natura, sicut dicimus quod Filius Dei „ est genitus, non tamen dicimus, quod divina natura sit genita .... et simi„ liter in Mysterio Incarnationis dicimus quod Filius Dei passus est (vel Incar„ natus) non autem dicimus, quod Natura divina sit passa ; (vel Incarnata.)

Ex hac divi Thomae doctrina evanescit alter Gilberti scrupulus, quo timebat, ne si fateretur idem esse Naturam divinam, et suppositum incideret vel in errorem Arii dividentis essentiam, sicut dividuntur Personae, vel in confusionem Sabellii omnia de deitate dicentis, quae de Personis dicuntur: Non enim ponimus naturam, et Suppositum, aut etiam Personam velut duo nomina synonyma, idest idem omnino solum diversis nominibus significatum, seu idem tam ex parte rei significatae, quam ex modo significandi, sed statuimus cum Angelico naturam, et suppositum, et Personam esse quidem unum et idem ex parte rei significatae, non vero ex parte modi significandi, et naturam significari per modum absoluti, Personam vero per modum relativi. Sic enim multiplicare possumus Personam, et non dividere, et multiplicare essentiam, seu naturam ut Arius, et rursus aliquid dicere de Persona, quod non dicamus de natura, contra Sabellium.]

Quaeritur. IV. Utrum Deus sit ita simplex, ut careat compositione substantiali ex essentia, et existentia?

R. Affirmative.

Prob. triplici ratione. 1. Si existentia non esset de essentia Dei, vel causaretur ab illa tamquam proprietas, vel ab aliquo principio extrinseco, *quia quod est in aliquo* (inquit Angelicus loc. cit. a. 5.) *quod est praeter essentiam ejus, oportet esse causatum, vel a principiis esssentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem... vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne.*) Non primum quia quod non est non potest sibi dare existentiam: in hoc casu autem supponitur Deum non existere. Non etiam secundum, alias Deus non esset prima causa efficiens. Ergo. 2. Quia alias essentia esset in potentia ad existentiam, tamquam ad suum actum, atqui hoc repugnat actui purissimo qualis est Deus. Ergo.

3. Illud quod habet esse, et non est ipse, est ens per participationem; sicut quod habet ignem, et non est ignis, est ignitum per participationem. Atqui Deus non est ens per participationem, sed a se et per essentiam: Ergo.

Quaeritur. V. Utrum in Deo sint aliqua accidentia, sive utrum sit in eo compositio accidentalis ?

Resp. Negative; quia subjectum comparatur ad accidens sicut potentia ad actum, subjectum enim per accidens est aliquo modo in actu, atqui esse in potentia omnino removetur a Deo, utpote actu purissimo. Ergo nulla in Deo est, aut dari potest compositio accidentalis.

[Haec intelligenda sunt de accidentibus, ut vocant, praedicamentalibus, quae denominant subjectum, ponendo in eo entitatem aliquam inhaerentem, et quidem intrinsece, non vero de accidentibus pure praedicabilibus. Fatemur enim de Deo posse aliquid praedicari accidentaliter ratione mutationis non in Deo, sed in creatura factae, sic in tempore dicitur Creator, Dominus, Incarnatus. etc.]

Quaeritur VI. Utrum Deus sit ita simplex ut nullam omnino admittat in se compositionem ?

Resp. Affirmative. Est de fide decisa in Conc. Later. supra citato.

Prob. 1. Ab enumeratione compositionum, quas hucusque a Deo rejecimus. 2. Omne compositum est posterius suis componentibus, et dependet ab ipsis, atqui Deus est primum ens simpliciter, a nullo dependens. Ergo. 3. In omni composito est aliquid, scilicet pars, quod non est ipsum; atqui omne quod est in Deo, Deus est Ergo.

[Ex dictis haud difficulter intelligitur quid significet illud Theologorum effatum - Deum esse actum purissimum omnis potentialitatis expertem - Nimirum nomine actus intelligunt cum S. Thoma 1. p. q. 5. 3. *perfectionem* : *potentialitatis* vero nomine intelligunt aptitudinem, quae est in subjecto ad actum ipsum, seu perfectionem recipiendam. Itaque cum Deum dicunt *Actum purissimum*, et quod idem est, *omnis potentialitatis expertem*, volunt ab ipso excludere quamlibet compositionem realem, quae semper est ex imperfecto, et perfecto, ne dicatur in Deo esse aliquid inchoatum, et incompletum, quod per aliud sibi unitum compleatur. et perficiatur, et cum ipso coalescat in unum totum, quod est perfectius qualibet sua parte]

Dices Mysterium SS. Trinitatis non videtur cohaerere con summa simplicitate, Ergo. Prob. Ant. Summa simplicitas non compatitur pluralitatem; atqui in Deo est Trinitas Personarum. Ergo.

Resp. Nego. Ant. ad Prob. dist. Maj. Summa simplicitas non compatitur etc. in eo, in quo est simplicitas. C. in alio, in quo non est simplicitas. N. In Deo autem est simplicitas in Natura, pluralitas vero in Personis : Et licet Personae illae sint in natura, sunt tamen ut identificatae in illa, non ut distinctae ab illa. Unde non componunt cum illa, sed sunt idem ; quia compositio est distinctorum unio, neque etiam componunt comparate ad invicem, quia et sic non uniuntur, sed opponuntur.

[Esto autem Personae divinae faciant numerum, non tamen faciunt compositionem. Quia numerus tunc facit compositionem, quando numerus est major qualibet unitate, seu non est tantum in uno, quantum in numero ; quantum autem perfectionis est in Trinitate, tantum est in qualibet Persona.]

Quaeritur VII. Utrum in Deo possit admitti compositio rationis ex genere, et differentia ?

Resp. Negative.

Prob. Ad Compositionem rationis requiritur duplex pars sese excludens, quarum una se habeat in potentia ad alteram, vel utraque ad totum : Compositio enim stricte sumpta est unio partium, de ratione autem partis est quod compartem excludat. Sic gradus genericus in Creaturis excludit differentialem, nec in eo implicite includitur. Atqui non potest in Deo ne quidem concipi ratio potentialitatis. Ergo nec genus, et differentia.

Hinc habes Deum sub nullo posse reponi genere, aut praedicamento nec directe, seu proprie, ut species, quia omnis species constat ex genere, et differentia, nec reductive, ut principia, et privationes, quia quod ponitur reductive sub aliquo praedicamento non se extendit ultra illud; sic punctum non est principium nisi quantitatis continuae: atqui Deus est principium totius esse pervadens omnia genera: Ergo.

Habes etiam discrimen inter compositionem rationis, et distinctionem rationis. Prima repugnat Deo, quia fundata in distinctione virtuali majori, seu per modum excludentis, et exclusi, quae Deo repugnat, ut diximus. Secunda non repugnat Deo, utpote fundata in summa eminentia divinae entitatis ex una parte, quae licet in se sit simplicissima, est tamen virtualiter multiplex, et ex altera in imperfectione, et limitatione intellectus nostri.

Quaeritur VIII. Utrum Deus in compositionem aliorum veniat aliquo modo?

Resp. Negative. Est contra Marcum Varronem, qui teste Augustino l. 7. de Civit. cap. 6. posuit quod Deus esset anima Mundi, et Davidem de Dinando, qui stultissime posuit Deum esse materiam primam.

Prob. Cum Deus sit prima causa efficiens, ejus est primo, et per se agere: atqui id quod venit in compositionem alicujus, non est primo, et per se agens, sed magis compositum, non enim manus agit, sed homo per manum; ignis calefacit per calorem. Ergo.

Confirm. Quod componit tamquam pars est minus perfectum quam totum, quod ex illa et altera parte exurgit: atqui repugnat Deum esse minus perfectum quam ulla res. Ergo.

Dices. In Myster. Incarnationis Verbum divinum componit Christum cum natura humana. Ergo Deus potest venire in compositionem alterius.

Resp. Verbum divinum componit etc. per modum partis materialis, aut formalis inhaerentis. N. Per modum termini actuantis, complentis, et perficientis. C. Ant. Prima compositio cum essentialiter involvat imperfectionem dependentiae, vel informationis, Deo repugnat, eamque rejicit Angelicus, non vero secunda, quae maximam importat perfectionem. Imo potest dici quod duae naturae in Christo nullo modo habeant rationem partis, et compartis: de ratione enim compartis est, quod cum alia parte constituat totum, quod sit perfectius qualibet parte seorsim, quod hic non accidit. De hoc fusius dum de Incarnatione.

Appendix de Systemate Benedicti Spinosae.

[Benedictus Spinosa a nativitate Judaeus, postea nomine saltem Christianus, tandem professione Atheus, Amstelodami parentibus Judaeis natus fuit anno millesimo sexcentesimo, trigesimo secundo. Adhuc adolescens Theologiae Judaeorum operam dedit, sed videns Rabbinos solis inniti chimaeris, taedio affectus tale studium abjecit, et Judaeorum Religione contempta, ac derelicta, Christianam fidem amplexus est, seu potius se amplexari simulavit. Tunc Philosophiae studio seu verius Atheismi, cujus semina ante conceperat, totum se dedit; Magistrum habuit aliud iniquitatis monstrum Hobbesium, sed Hobbesio impudentius virus suum evomit, praesertim in suo Tractatu Theologico-Politico, et in Ethica, in quibus Atheismum insinuat, et antiquum Eleatensium Pantheismum apertissime renovat, quod ut facilius obtineret, et fucum imperitis faceret, per definitiones, axiomata, postulata, propositiones, quae vel omnino falsa sunt, vel aequivoca, vel captiosa, methodum geometricam affectavit. Non refugit magnificis quidem nominibus de Deo loqui, ipsum Aeternum, Infinitum, Creatorem omnium appellando, revera tamen Deum negat, et divinitatem tollit, cum nonnisi rerum universitatem agnoscat cum qua Deum confundit, unamque solam substantiam in Mundo effingit infini-

tis praeditam attributis, et praecipue extensione, ac mente, a Deo minime distinctam. Monstruosa sane Doctrina, et hactenus forte inaudita. Tandem Spinosa nec Judaeus, nec unquam Christianus diem clausit extremum Hagae Comitum die 23. Februar. 1677. Spinosisticum systema invictissime confutarunt inter caeteros Henricus Morus in *Subversione columnarum Atheismi Spinosiani*. Huetius in *Demonstratione Evangelica*. Jaquelotius *Dissertations sur l'existence de Dieu*. Witichius *in Antispinosa*: Lamy *Le nouvel athéisme renversé*: et alii]. Errori Davidis de Dinando valde affine est impium, ac insanum Systema Benedicti Spinosae. David posuit materiam primam esse Deum, Spinosa ponit unicam esse Mundi substantiam, eamque esse Deum, hoc innixus fundamento, quod in rerum natura non possint esse duae, vel plures substantiae unius naturae, vel attributi: quod probat hoc argumento, non multum dissimili a sophismate Davidis de Dinando. -- Si darentur plures distinctae substantiae, deberent inter se distingui vel ex diversitate attributorum, seu naturae, vel ex distinctione affectionum. Si tantum ex diversitate attributorum, conceditur ergo non dari, nisi unam ejusdem attributi, seu naturae. At si ex distinctione affectionum, cum substantia sit prior natura suis affectionibus, et in se considerata, non poterit concipi ab alia distincta, hoc est non poterunt dari plures, sed una tantum.

Verum hoc sophisma unico flatu diluitur, sic distinguendo ultimas particulas. Ergo non poterunt dari plures, sed tantum una *specie*, transeat. Sed tantum una *numero*. Nego: Sic Petrus, et Paulus sunt ejusdem speciei naturae, distinguntur autem numero per varias affectiones, seu accidentia. Insuper quoad primam partem argumenti: ex hoc quod non possint dari plures substantiae ejusdem naturae, non sequitur quod non possint dari plures diversae naturae, seu attributi; consequenter inde inferri non potest esse unicam totius Mundi substantiam, quae sit Deus. Sed quam sit falsum istud assertum mox pluribus ostendam.

1. Ipsis sensibus constat esse plures in Mundo substantias, cum partes ejus, ne dum ab invicem separari possint, sed sint de facto separatae.

2. In Mundo est substantia extensa, est et cogitans, Lapis est extensus, Homo cogitat: atqui hae sunt distinctae substantiae; Ergo. Prob. min. ex ipso Spinosa qui in Ethica n. 3. dicit quod substantia sit quod in se est, et per se concipitur, idest quod non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat: atqui res cogitans potest concipi sine re extensa, et viceversa res extensa sine cogitante) Ergo.

[Substantiae nomine (inquit Spinosa in Tract. Theol.-Polit., et in Ethica) intelligitur id quod existit in se, et per se concipitur. Quod autem existit in se, et per se concipitur, natura sua, et necessario existit. Quod vero natura sua, et necessario existit, non potest esse nisi unum: nam si diversa forent, jam unum acciperet esse ab alio, ideoque non existeret natura sua, et necessario. Una igitur est Universi substantia. Haec substantia natura sua, et necessario existens, Deus est. Universum igitur, sive Mundus est Deus. En paucis totum Spinosae machinae fundamentum, quod seipso corruit, statim ac definitio substantiae ab ipso tradita, et cui potissimum innititur, explicetur. Itaque si Spinosa nomine existentis *in se* intelligat, substantiam, ut existat, non indigere alterius substantiae, cui inhaereat, quemadmodum indigent accidentia, verum affirmat; sed nihil inde concluditur; non enim sequitur existentiam pertinere ad naturam substantiae, eique necessario convenire; ideoque nec sequitur substantiam esse reipsa unam. Si autem nomine existentis *in se* intelligit (ut revera intelligit) omnem substantiam existere a *se ipsa*, et hanc esse naturam substantiae; definitio substantiae falsa est; et ratio cui ea nititur, est manifesta petitio principii: nam si substantia esset a seipsa, utique foret ipse Deus. Pari modo cum dicit, substantiam concipi *per se*, verum dicit si intelligat, substantiam posse concipi sine ulla substantia, cui

inhaereat ; sed nihil conficit ; nam etsi concipiam Petrum, quin cogitem de Paulo non propterea sequitur, Petrum esse substantiam indistinctam a Paulo. At si intelligit (ut re quidem ipsa intelligit) substantiam, quatenus est substantia, excludere relationem ad quamcumque causam producentem : rursus est falsa definitio, estque petitio principii ; de hoc enim quaeritur, an scilicet sit de natura substantiae ut sit improducta.]

3. Unica Mundi substantia a Spinosa conficta, cujus sunt duo modi, scilicet extensio, et intelligentia, praecise secundum se considerata vel est spiritus, vel materia. Non spiritus alias non identificaret sibi extensionem, et intelligentiam tanquam duos modos a se indistinctos, tum quia hi duo modi non minus opponuntur inter se, quam stare simul, et sedere, proindeque non possunt uni, et eidem convenire; tum etiam quia - cut intelligentia repugnat materiae, ita extensio repugnat spiritui. Si vero haec unica Mundi substantia secundum se considerata est materia : Ergo est vilis potentia, non ens actu perfectissimum qualis est Deus. Ergo est caeca, et non intelligens, qualicumque enim motu, modificatione, extensione, aut figura donaveris materiam, numquam ex illa cogitationem aut intellectionem elicies. [Respondent Spinosistae substantiam esse simplicem, sed nihilominus praeditam infinita extensione, qua modificatur. At quis hoc concipere potest ? Numquid dari potest extensio sine partibus ? Aut substantia simplex, adeoque indivisibilis infinitas habens partes, atque proinde simul indivisibilis, et divisibilis in partes infinitas. At inquit Spinosa. Ethic. par. 1. in schol. prop. 15. *Si ad quantitatem attendimus, prout in imaginatione est, quod saepe, et facilius a nobis fit, reperietur finita, divisibilis, et ex partibus conflata : si autem ad ipsam, prout in intellectu est attendimus, et eam, quatenus est substantia, concipimus, quod difficillime fit, tunc, ut jam satis demonstravimus, infinita, unica, et indivisibilis reperietur.* Attende ratiocinandi modum Spinosa profecto dignum. Disputatio est de substantia, et de quantitate, prout reipsa sunt ; ille vero ad quantitatem appellat, prout est in imaginatione, et prout ab intellectu concipitur quatenus substantia. Possibile ne est quempiam non deprehendere hic transitum a statu ideali, ad statum realem ?]

4. Tandem si Deus sit unica, et universalis mundi substantia, sequitur quod quidquid existit in Mundo sit vel formaliter Deus, vel formaliter in Deo, utpote ejus modus ab eo indistinctus, secundum Spinosam : Ergo Deus est formaliter Lapis, planta, equus, canis, etc. cum omnibus suis imperfectionibus : Ergo est simul calidus et frigidus, rotundus et quadratus ; talia sunt enim plura entia in Mundo. Item est simul sanctus, et scelestus ; hujusmodi enim sunt plures homines. Alia et longe plura opponi possunt, sed ab eis supersedemus, quia *Vereor* (ut verbis utar Lactantii lib. de ira Dei c. 10.) *ne non minus delirare videatur qui haec putat refellenda.*

[Utique Deus, debet esse infinite perfectus, et omnem essendi plenitudinem comprehendere ; At male inde concludit Spinosa Deum esse omne ens Mundo contentum, seu esse ipsum Mundum. Tantum enim abesset ut Deus foret infinite perfectus si a caeteris rebus minime distingueretur, quin potius quolibet ente esset imperfectior, cum omnium entium imperfectiones in se haberet. Est ergo Deus infinite perfectus, quia est actus purissimus ; perfectiones autem rerum, ab ipso sunt, et in eo continentur vel formaliter, vel virtualiter eminentiori modo, hoc est, detractis imperfectionibus. Similiter continet Deus totam essendi plenitudinem, non quia est omne ens, sic enim finita esset ejus essentia, quia singula entia finita sunt, sed quia ita est ut sit ipsum esse, et omnium quae facta sunt esse causale, non materiale, ut ait S. Bernard. Serm. 4. in Cant. n. 4. S. Thom. 1. contr. Gent. cap. 26. probat fieri non posse ut Deus sit esse commune omnibus ob eam rationem, *quia quod est commune multis, non est aliquid*

praeter multa, nisi sola ratione ; indeque infert, *si igitur Deus sit esse commune, Deus non erit aliqua res existens, nisi in intellectu tantum*. Ex quibus sequitur Pantheistarum systema perpetua laborare fallacia ; transit enim a statu ideali ad statum realem : nam ex eo quod mens concipit tamquam unam communem rationem entis, vel substantiae, infert reipsa non extare nisi unicum ens, et unicam substantiam. Sequitur etiam Spinosam verbotenus tantum admisisse Deum, revera tamen negasse, ejusque portentosum systema nonnisi nomine ab Atheismo differre, in quo adornando, et stabiliendo omnem ingenii subtilitatem, omnes fallacis Philosophiae impiissimus exhausit artes.]

Articulus II.

De Perfectione Dei S. Thom. 1. p. q. 4.

Quaeritur I. utrum Deus sit perfectus ?

Perfectum secundum id, a quo nomen imponitur, idem est ac totaliter factum ; secundum vero id ad quod significandum nomen est translatum, perfectum est, cui nihil deest secundum modum suae perfectionis. De perfecto hoc secundo sensu accepto hic agitur.

Resp. ad quaest. Affirmative.

Prob. Deus est primum principium omnium rerum non materiale, sed efficiens : atqui hoc oportet esse perfectissimum. Ergo. Prob. min. Sicut materia in quantum hujusmodi est in potentia, ita agens, in quantum hujusmodi est in actu : ergo quod est omnium rerum principium non materiale, sed efficiens, nullo modo est in potentia, sed in actu : atqui quod nullo modo est in potentia, sed in actu, est summe perfectum, quia sicut potentia importat imperfectionem, ita actus importat perfectionem. Ergo.

Quaeritur II. Utrum omnium rerum perfectiones sint in Deo ?

Resp. affirmative.

Prob. 1. ex Scriptura Ps. 93. dicitur : *Qui plantavit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum non considerat ?*) Eccli 24. (*In me gratia omnis viae, et veritatis. In me omnis spes vitae, et virtutis.*) Ad Rom. 11. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.*)

[Huc referri possent testimonia fere innumera SS. Patrum, quae perfectiones quascumque Deo speciatim attribuunt ; et ita quidem ut ille solus ex perfectione naturae habeat, quidquid perfecti cogitari potest : dicitur enim solus Sanctus, solus bonus, solus potens, etc. Sed ab iis recensendis supersedemus, ne nimii simus : Unum tantum praeterire non possumus S. Bernardum, qui sibi sciscitanti de Deo. *Quis est* sic respondet l. 1. de Consid. c. 6. Non sane occurrit medius, quam qui est : hoc ipse de se voluit responderi ; hoc docuit dicente Moyse ad Populum, ipso quidem injungente : QUI EST MISIT ME AD VOS. Merito quidem nil competentius aeternitati, quae Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur quod est, EST. Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris nihil addidisti : Si non dixeris nihil minuisti.]

Prob. 2. Ratione. Quidquid perfectionis est in effectu, debet esse in causa effectiva ejus, vel secundum eamdem rationem, si sit causa univoca, ut homo hominem generat, vel eminentiori modo, si sit causa aequivoca, et superioris ordinis, sic calor formalis productus a sole est eminenter virtualiter in sole ; nemo enim dat quod non habet, vel formaliter, vel eminenter : atqui Deus est causa prima effectiva omnium rerum : Ergo.

Probat. 3. Deus habet omnem essendi plenitudinem : Ergo habet omnium re-

rum perfectiones ; quia omnis perfectio est perfectio essendi ; attenditur enim penes aliquod esse, sic justitia dat esse justum , bonitas esse bonum , sicque qui habet essendi plenitudinem , habet omnium perfectiones. Prob. Ant. Deus est ipsum esse per se subsistens , essentialiter , et a se ; atqui quod est ipsum esse per se subsistens , essentialiter et a se, habet omnem essendi plenitudinem , cum nihil sit a quo possit limitari : Ergo.

[Nihil sibi ipsi terminos praescribit , et absoluta existendi necessitas omnem removet limitem , omnem aequaliter exigit realitatem , omnes gradus perfectionis: nulla enim ratio sufficiens cogitari potest cur in aliquo gradu arbitrario haereret. Hinc ipsum esse a se non potest nisi in summe perfecto acquiescere , Creatura vero cum sit ens ab alio , et participatum , necessario sub extrema aliqua , et propria specie continetur , adeoque limitatur secundum essendi modum suae speciei constitutivum.]

Quaeritur III. quomodo omnium perfectiones sint in Deo ?

Jam supra , agentes de Attributis divinis in communi , dissert. II. Art. II. distinximus duplex perfectionum genus . simulque retulimus diversos modos, quibus aliquid contineri potest in alio : Ne igitur actum agamus , recole.

Resp. ad quaest. 1. Omnes perfectiones creaturarum simpliciter simplices sunt in Deo formaliter eminenter.

Prob. prima pars. Deus est summe , et infinite perfectus : ergo continere debet omnes perfectiones , quae nullam secundum se involvunt imperfectionem , quales sunt perfectiones simpliciter simplices ; si enim una deesset , non esset summe , et infinite perfectus .

Confirm. Perfectiones simpliciter simplices praedicantur formaliter de Deo, dicitur enim in sensu formali , Deus est sapiens , Deus est bonus , sicut dicitur, Homo est sensitivus. Ergo eas continet formaliter.

Explicatur secunda pars : Perfectio simpliciter simplex in Creaturis , puta sapientia , potest considerari dupliciter 1. ut est creata in hoc individuo. 2. Secundum se , et in communi , prout abstrahit a creata , et increata. Primo modo considerata limitatur ad certum genus , et speciem ; est enim accidens , et qualitas talis , vel talis speciei , et sic non est perfectio simpliciter simplex, neque formaliter est in Deo , sed virtualiter tantum eminenter. Secundo autem modo considerata abstrahit a limitatione generis , et speciei , importatque tantum cognitionem per altissimam causam, et sic est formaliter simpliciter simplex, estque formaliter in Deo. Quando ergo dicimus perfectiones creaturarum simpliciter simplices formaliter contineri in Deo , non est sensus , quod habeant in Deo illud ipsum esse creatum , et individuale , quod habent in creaturis , sed quod in eo sint secundum rationem suam formalem in communi apprehensam , seclusa limitatione generis , et speciei , atque nobiliori , et altiori modo. Ergo formaliter eminenter .

Resp, II. Perfectiones secundum quid , quae sunt tales ratione imperfectionis non sunt in Deo formaliter , sed tantum eminenter virtualiter .

[Dicitur *quae sunt tales ratione imperfectionis* , et illae intelliguntur, quarum essentia , seu ratio formalis non potest ab omni imperfectione depurari , ita ut si omnem imperfectionem ab eis removeas , non maneat amplius conceptus formalis , et essentia illarum, ut sunt rationes formales , ac essentiales hominis, equi, lapidis , quae sic dicunt rationes corporis sensitivi, quanti , etc. ut si hujusmodi ab istis demas , non remaneat amplius eorum essentia , et natura , ut per se patet. Hae inquam perfectiones non sunt in Deo formaliter. Perfectiones vero secundum quid , quae sunt tales ex hoc quod non compatiantur aliam aequalem, vel majorem perfectionem , ut relationes , sunt formaliter in Deo . Quod si dicatur , perfectionem , quae est formaliter in Deo debere esse simpliciter simplicem , cum

ex dictis, relationes, puta Paternitas sit formaliter in Deo Patre, si ipsa est perfectio, debet esse simpliciter simplex. Dicam et ego; omnem quidem perfectionem absolutam, et toti Trinitati communem, quae formaliter est in Deo esse perfectionem simpliciter simplicem; non esse autem necesse, quod omnis perfectio relativa, quae formaliter est in una Persona, utpote ipsius proprietas, et non est sic formaliter in aliis, sed virtualiter et eminenter, sit perfectio simpliciter simplex.]

Prob. Impossibile est aliquam imperfectionem esse formaliter in Deo, utpote ente perfectissimo, atqui perfectiones secundum quid, de quibus agimus involvunt in suo conceptu formali imperfectionem imprescindibilem. Ergo hujusmodi perfectiones non sunt formaliter in Deo. Sunt autem in Deo eminenter virtualiter: 1. Quia Deus se solo praestare potest, et modo perfectiori omnia, quae potest per illas. 2. Quia est causa illarum, quoad omnes earum differentias, non solum genericas, sicut sol est causa sublunarium, in quae influit, sed etiam numericas, et atomas, quia est causa universalissima totius entis, et ratio entis trascendentaliter imbibitur in omnibus differentiis: quidquid autem est in effectu, necessario praeexistit virtute in causa. Ergo.

[Hinc habes, perfectiones omnes creaturarum multo perfectiori, et eminentiori modo in Deo contineri, quam animalia, et plantae in virtute Solis: nam sol, et corpora coelestia, non attingunt per se primo in rebus inferioribus nisi rationem viventis, aut corporis corruptibilis, quae cum sit potentialis, et generica non includitur in ultimis illarum differentiis, et sic non continent res inferiores, nisi continentia quadam eminentiali imperfecta, et se extendente solum ad rationes communes, et genericas: Deus autem sua causalitate, et omnipotentia, per se primo attingit in rebus creatis rationem entis producibilis: unde cum ratio illa sit formaliter imbibita in omnibus modis, et differentiis creaturarum, Deus illas continet modo quodam eminentiali perfectissimo, et se extendente ad ultimas rationes atomas, et individuales: Ex quo infert Angelicus 1. p. q. 14. a. 6. Deum cognoscere res omnes creatas non solum in communi, et secundum rationes universales, et genericas; sed etiam distincte, et in particulari, et secundum differentias atomas.]

Quaeritur IV. Utrum Deus, et omnes Creaturae simul sint aliquid perfectius, et melius, quam Deus solus?

Resp. Negative. Sequitur ex dictis. Si enim Deus contineat omnes omnino perfectiones Creaturarum, idque modo excellentiori: ergo aeque, ut minus, perfectus est ipse solus ac cum illis.

Confirm. Infinitum additione finiti non fit majus, sed perfectio Dei est infinita, perfectiones creaturarum sunt finitae. Ergo.

Nihilominus Deus et Creaturae sunt plures res, et plures perfectionem habentes. Qua de causa quidam existimant posse dici, quod Deus, et Creaturae sint quid perfectius *extensive*, quam Deus solus, sed improprie. Τὸ *perfectius* enim proprie significat intensionem, et non extensionem. In 3. d. 24. q. 1. a. 1. ad 4.

Quaeritur V. Utrum aliqua Creatura possit esse similis Deo?

Resp. Omnis creatura est aliquo modo, hoc est improprie, similis Deo.

Prob. Similitudo attenditur secundum convenientiam, seu communicationem in forma. Atqui omnes Creaturae, in quantum sunt entia, in aliquo communicant Deo, non quidem secundum rationem univocam, sed secundum rationem analogicam entis: sicut enim Deus est ens suo modo, scilicet per essentiam, ita etiam proportionaliter Creaturae sunt entia suo modo, scilicet per participationem, et imitationem Dei. Hinc creaturae perfectiores in suo esse, aut in pluribus gradibus, sunt magis Deo similes.

Articulus III.

De Bono in communi. S. Thom. q. 5.

Quaeritur 1. In quo praecise consistat ratio boni formalis?

Quidam eam reponunt in perfectione, alii in appetibilitate, utrumque dicit S. Thom. hic a. 1. o. *Ratio boni*, inquit, *in hoc consistit quod aliquid sit appetibile.* E contra ibid. ad 1. et infra a. 5. o. *Ratio boni*, inquit, *consistit in perfectione*. Sunt etiam rationes pro, et contra.

Pro conciliatione utriusque sententiae observandum est, quod perfectio possit dupliciter considerari. 1. In genere causae formalis. Constat enim, quod perfectio formaliter constituat rem perfectam in suo esse, quia unumquodque constituitur per actualitatem aliquam, et actualitas est perfectio 2. In genere causae finalis, moventis, et allicientis, Constat enim pariter, quod perfectio moveat et alliciat appetitum tamquam quid illi conveniens, et illius perfectivum; omnia enim appetunt suam perfectionem. Hoc praenotato ad quaest.

Resp. Ratio formalis boni consistit in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut conveniente appetitui, et illius perfectiva (utrumque dicit S. Thom. Q. 21. de verit. a. 1.) per modum appetibilis, et finalizantis. Et sic ratio boni formaliter consistit et in perfectione, et in appetibilitate. Ista autem appetibilitas, licet explicetur per relationem rationis ad appetitum, nec possit a nobis concipi sine illa, quia se habet ut illius perfectio, et ille refertur ad illam, non tamen in ista relatione formaliter consistit, sed in eo quod est hujus fundamentum, et dicitur appetibilitas radicalis, quae re non distinguitur ab ipsa perfectione, sed tantum per diversos conceptus, et respectus.

Ratio responsionis est, quia in bono debet salvari quod sit proprietas entis, et quod illi conveniat, quatenus est perfectum: utrumque autem salvatur, illud formaliter constituendo in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut perfectiva appetitus, per modum appetibilis finalizantis. Per hoc enim salvatur ratio perfecti, ut patet: item et ratio proprietatis, quia ratio perfecti, ut perfecti et terminativi appetitus, concipitur sequi ad rationem perfecti ut constituentis: Alia distinctio nec requiritur, nec est possibilis in passionibus metaphysicis, et trascendentalibus entis, ab ipso ente.

[Sicut bonitas rei non est aliud quam intrinseca ejus perfectio, ita bonum idem valet quod perfectum, seu quod habet perfectionem, hoc est entitatem sibi convenientem: Bonum enim formaliter importat perfectionem absolutam, quae est fundamentum proximum, ac radix appetibilitatis, cum unumquodque appetat suam perfectionem.]

Ex dictis colliges 1. quod ens sit prius secundum rationem, quam bonum, quia prius concipimus ens, quam proprietatem ex eo sequentem; bonum autem se habet ad ens ut proprietas ab eo virtualiter distincta, et ex eo consequens.

Colliges 2. contra Manichaeos omne ens in quantum ens esse bonum, quia omne ens in quantum ens est in actu, et consequenter quodam modo perfectum: Atqui perfectum habet rationem boni, ut dictum est. Ergo. Unde Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.*

Notandum tamen quod quamvis omne ens sit bonum, quia tamen secundum rationem differunt, non eodem modo dicatur ens simpliciter et bonum simpliciter. Dicitur ens simpliciter secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur bonum secundum ultimum esse; quia bonum dicit rationem perfecti per modum appetibilis, et per consequens dicit rationem ultimi; unde quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter. Ens dicit esse in actu, unde secundum quod primo discer-

nitur ab eo quod est in potentia, quod fit per esse primum, et substantiale, dicitur ens simpliciter.

Colliges III. Bonum habere rationem causae finalis, quia habet rationem appetibilis; est enim bonum, quod omnia appetunt.

[Quod S. Thom. hic, et alibi passim dicit Bonum esse id quod omnia appetunt, non determinate de uno aliquo bono est accipiendum, sed in communi, ut advertit idem Angel. Q. 22. de verit. art. 1. neque sic intelligitur, quasi unumquodque bonum ab omnibus appetatur, sed quia quidquid appetitur habet rationem boni, ait laudatus S. Doctor. 1. p. q. 6. a. 2. ad 2. Illud ergo (*omnia*) non accipitur collective, sed divisive, ut sensus sit: Id quod unumquodque appetit, sive quidquid appetitur a quocumque appetatur, est bonum, seu habet rationem boni.]

Nota quod cum communiter dicitur, bonum esse sui diffusivum, et communicativum, hoc non intelligatur secundum proprietatem vocabuli *diffundere*, quod importat operationem causae efficientis, sed prout importat rationem causae finalis, inquantum scilicet natum est communicare desiderium sui, et movere appetitum ad sui assecutionem.

Colliges 4. Rationem boni secundum quod consistit in perfectione, consistere etiam in modo, specie, et ordine, quia unumquodque dicitur bonum, cui nihil deest secundum modum suae perfectionis; unumquodque autem est id, quod est per suam formam; ad formam vero quaedam praesupponuntur, et quaedam ex necessitate sequuntur. Praeexiguntur ad formam determinatio, seu commensuratio principiorum sive materialium, sive efficientium ipsam, et hoc significatur per modum. Ipsa forma significatur per speciem, quia per formam unumquodque in specie constituitur. Tandem ad formam consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliud hujusmodi, et hoc pertinet ad pondus, et ordinem, juxta illud Sap. 11. *Deus omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit.*

Articulus IV.

De Bonitate Dei D. Th. 1. p. Q. 6.

Quaeritur 1. Utrum esse bonum Deo conveniat?

Resp. Esse bonum praecipue Deo convenit ex Scriptura Psal. 117. *Confitemini Domino quoniam bonus.*

[Thren. 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum*, Psal. 118. *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas* Luc. 18. *Nemo Bonus, nisi solus Deus.* Unde patet hanc doctrinam esse de fide.]

Patet etiam ratione. Illud est bonum, quod est perfectum appetibile: atqui Deus est perfectus maxime appetibilis: Ergo. Prob. min. Deus est causa omnium perfectionum, quae sunt in creaturis; atqui omnia appetunt suam perfectionem: Ergo.

[Proprium boni est communicare seipsum: sed Deus maxime communicavit et communicat seipsum, primum quidem creando, et conservando libere Universum. Secundo communicavit seipsum Universo elevando omnes intellectuales, et rationales substantias in consortium divinae naturae per gratiam inchoative, cujus non solum capaces gratuita benignitate effecit, sed etiam actualiter participes ab initio, et per gloriam consummate. Tertio, et specialissime elevando creaturam ad Personalitem Divinam, secundum quem modum se Deus creaturae communicat non tribuendo illi similitudinem, aut donum aliquod creatum naturalis, vel supernaturalis ordinis, sed propriam Personam secundum suam propriam subsistentiam, quam in semetipsa habet, communicat creaturae, sicque sibi Deo, et creatae naturae

communem Personam facit, ut creatura, idest homo, sit secundum rem Verbum Dei, quod est Deus. Hic procul dubio est summus modus, quo Deus communicare se potest Creaturae. Ergo necesse est dicere Deum esse vere bonum.]

Si petas, utrum reipsa omnes creaturae appetant Deum? Resp. Appetere saltem implicite quia quidquid appetunt ex creaturis est participatio Dei.

[Dixi *implicite*: quia aliquid potest appeti dupliciter. 1. explicite, hoc est quando appetitur aliqua res in se, et secundum se: quomodo appetimus cibum, vestem, beneficium. 2. implicite, quando non appetitur res aliqua secundum se sed in alio, ita qui appetit cibum, implicite appetit corpus.]

Quaeritur 2. Utrum Deus sit summum bonum?

Resp. affirmative.

Prob. Omnes omnium rerum perfectiones, et bonitates profluunt a Deo, tam quam a causa aequivoca: atqui effectus est excellentius in causa aequivoca, quam in seipso: causae enim aequivocae producunt effectus sibi inferiores: Ergo bonum est in Deo excellentissimo modo, et propter hoc dicitur summum bonum.

Quaeritur 3. Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei?

R. Affirmative. Prob. Unumquodque dicitur bonum secundum quod est perfectum: atqui nulli enti creato, sed soli Deo competit esse perfectum per essentiam. Ergo. Prob. min. Perfectio alicujus rei triplex est. 1. Secundum quod in suo esse constituitur actu. 2. Prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria. 3. Per hoc quod attingit suum finem. Atqui haec triplex perfectio nulli creato enti competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cujus solius essentia est suum esse, seu existere, et cui non adveniunt aliqua accidentia, sed quae de aliis dicuntur accidentaliter, sibi conveniunt essentialiter, et qui ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Ergo. Unde Luc. 18. dicitur; *Nemo bonus*, scilicet per essentiam, *nisi solus Deus*.

[Hinc inferes 1. Deum esse summe bonum respective, seu summe amabilem: Unumquodque enim in tantum est amabile, et conveniens appetitui, inquantum est bonum: sed ut vidimus, Deus est summe bonus, et per essentiam bonus; ergo est summe conveniens, et summe amabilis, summe (inquam) conveniens sibi, et a se necessario amabilis, summe conveniens creaturis, ut causa, et finis omnium. Item quibusdam est speciali modo conveniens, nempe Justis ut amicus, Beatis ut fruibilis, Poenitentibus ut misericors.

Inferes 2. Deum esse summe Bonum bonitate morali, seu summe Sanctum. Summam Dei sanctitatem Scripturae passim depraedicant. Exod 15. dicitur *Magnificus in sanctitate*. Psal. 144. *Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur*. Et hoc est trisagium, quod Isaiae 6. v. 3. omnes Angeli in coelis ei continuo proclamant, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. Prob. ratione. S. Tom. 2. 2. q. 81. a 8. Aliquid potest dici sanctum tripliciter: *primo* ratione munditiae: ἅγιος enim idem est, ac sine terra, unde communiter sanctitas dicitur, *ab omni labe intemerata puritas*: *secundo* accipitur, pro stabili firmitate in bono; dicitur enim Sanctum, quasi lege sancitum: *tertio* sumitur pro summa conjunctione, et applicatione ad res divinas. Atqui haec omnia eximie in Deo reperiuntur; est enim *primo* purissimus actus immaterialis, et Spiritus mundissimus: *secundo* est firmissimus, et immutabilis in amore boni. *Denique* est sibi conjunctissimus, cum sit sua regula indefectibiliter operans in ordine ad suam gloriam. Ergo summa est in Deo Sanctitas, imo et plenitudo sanctitatis per essentiam.

Inferes 3. In Deo esse summam, et infinitam pulchritudinem: Pulchritudo enim est excellens gradus bonitatis summe placens intuentibus. Et D. Thom. hic q. 5. a. 4. ad 1. ait, quod pulchrum, et bonum in subjecto sunt idem, quia super eandem rem fundatur, scilicet super formam, sed ratione differunt: nam bo-

nam proprie respicit appetitum : pulchrum autem vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur, quae visa placent. Sed Deus est ipsa bonitas per essentiam. Ergo habet pulchritudinem infinitam, intellige spiritualem, et purissimam. Praeterea, Pulchritudo, teste Augustino, est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Unde sic proportionaliter dicere possumus, quod divina pulchritudo sita sit in oeconomia Divinarum perfectionum, quorum tanta est harmonia, splendor, et consonantia, ut summe placeat videntibus: Et licet in Deo sit realiter unica simplicissima perfectio, tamen eminenter continet infinitas, quas cum fundamento potest intellectus noster discernere, et unam ex alia mira connexione comprobare: Summe etiam placet haec divina perfectio tum contemplantibus illam in hac vita, tum maxime facie ad faciem videntibus eam in Patria. Ergo est in Deo infinita pulchritudo, quae caeteris omnibus eo longissime antecellit, quo est pulchritudo per essentiam, immutabilis et caeterarum omnium exemplar, finis, et principium, ad quam respiciens August. exclamabat l. 12. Confess. c. 27. *Sero te amavi pulchritudo tam antiqua, tam nova, sero te amavi.*]

Dices: Essentia rei creatae secundum se considerata est bona bonitate propria, distincta a bonitate existentiae. Ergo est bona secundum essentiam.

Resp. Dist. cons. Ergo est bona secundum essentiam, Ly *secundum* dicente rationem bonitatis sufficientem independenter a quovis alio. N. cons. Ly *secundum* dicente rationem bonitatis quidem, sed insufficientem independenter a quovis alio. Concedo Cons. Non nego igitur essentiam creatam habere bonitatem propriam, sed illam non habet nisi dependenter ab existentia: Res enim eo modo est bona, quo est ens; bonum siquidem est passio entis: atqui res quamdiu non habet esse in rerum natura, nec est, nec dicitur ens simpliciter, sed secundum quid tantum, scilicet in potentia; etenim simpliciter nihil est, et quando creatur, dicitur simpliciter produci ex nihilo: ergo nec est, nec dicitur bona simpliciter, sed solum secundum quid, et in potentia: ergo ad hoc, ut dicatur bona actu, et simpliciter, requiritur existentia saltem ut conditio: existentia autem nulli creaturae est essentialis, sed soli Deo.

Quaeritur 4 Utrum omnia sint bona bonitate Divina? Resp. Unumquodque esse bonum bonitate divina extrinsece, et causaliter, quatenus bonitas Divina est causa efficiens exemplaris, et finalis totius bonitatis. Nihilominus formaliter, et intrinsece, unumquodque est bonum similitudine divinae bonitatis sibi inhaerente, quae est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multae bonitates.

Articulus V.

De infinitate Dei. D. Thom. 1. p. Q. 7.

Quaeritur utrum Deus sit infinitus secundum essentiam, et rationem entis?

Ante responsionem. Nota 1. Infinitum dicitur quod caret fine, seu termino. Unde si careat terminis essentialibus, erit infinitum in essentia; si careat terminis in certo genere attributi, puta quantitatis, aut qualitatis, erit infinitum in isto genere. Hic agit D. Thom. de Infinitate Dei quantum ad essentiam, seu rationem entis.

Nota 2. Termini limitativi essentiae sunt vel extrinseci, vel intrinseci. Terminus limitativus extrinsecus est causa efficiens, quae dato quod posset producere effectum infinitum, si sit infinita, *D. Thom. Contr. Gent. cap.* 43. potest etiam ipsum producere limitatum. Termini limitativi intrinseci sunt vel metaphysici, scilicet genus, et differentia, quibus res constituitur in certa et finita specie, vel physici, scilicet forma et materia, sive subjectum receptivum, se habens per mo-

dum materiae ; materia enim , seu subjectum receptivum , et forma dependent ab invicem , in modo causandi , et essendi , sibique ad invicem suas conditiones communicant, proinde se limitant , cum non relinquant se in sua puritate , sed mixtum , et limitatum cum alio. Insuper actus receptus in potentia recipientis , non est purus , quia conjungitur potentialitati , sicque minor actu puro, consequenter limitatus.

[Dixi *dato quod posset producere* non enim concedit, audiatur. S. Thom. 1. p. Q. cit. a. 2. ad 1. – *Cum sit contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse ejus , quia esse subsistens non est esse creatum : unde contra rationem facti est , quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam non tamen potest facere aliquid non factum, hoc enim esset , contradictoria esse simul : ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter*. De hoc agit idem Angelicus 1. p. q. 25. a 2. et 3. ubi addit, *quod ea , quae contradictionem implicant sub divina omnipotentia non continentur , quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur , quod* EA NON POSSUNT FIERI , (*quam quod Deus*) NON POSSIT FACERE.

Quod si dicatur, eo perfectiorem debere esse effectum, quo perfectior est virtus agentis : Respondebimus ex Doctrina S. Thom. hoc verificari in causa univoca , quae totam suam potentiam manifestat in suo effectu : potentia enim generativa hominis nil potest plus, quam generare hominem, secus vero in causa acquivoca : haec enim non manifestat totam suam potentiam in sui effectus productione , ut patet in Sole . Deus autem est agens acquivocum , cujus virtutis infinitas manifestatur per hoc, quod licet non possit per eam fieri effectus actu infinitus , possit tamen , producto quolibet effectu , etsi perfecto , producere alium perfectiorem tum numero, tum specie, usque in infinitum successive, ita ut numquam devenire sit ad effectum , ultra quem alium , et alium in infinitum non possit producere alias si haberet ultimum, per istum finiretur, ut docet S. Thom. in 1. dist. 43. q. 1. a. 1. ad 5.] His notatis.

Resp. ad Quaest. Affirmative.

Prob. Deus quantum ad essentiam , et rationem entis caret omni limitativo : Ergo. Prob. Ant. Limitari non potest extrinsece per causam efficientem, quia est a se , neque intrinsece per genus , et differentiam , aut materiam , et formam , quia ut supra probavimus , est ens simplicissimum expers omnis compositionis, sive ex genere et differentia , sive ex materia et forma , sive ex essentia et existentia, quia est essentialiter suum esse , ita ut esse , seu existere in Deo , cum sit ipsa ejus essentia , non sit in ea receptum , neque ulterioris actus receptivum, cum existentia sit omnium actualitatum ultima . Ergo .

[Si inter se comparentur Natura , Suppositum, et Esse. seu Existentia : Natura est prima, ex cujus principiis suppositum sequi natum est; quod cum sit primum , ac immediatum susceptivum existentiae , prius est illa . Unde S. Thom. 3. p. q. 17. a. 2. ad 1. *Esse sive existere sequitur naturam, ut qua aliquid est; personam autem , sicut habentem esse* : Et sic existentia semper se habet in ratione termini , et actualitatis ultimae .]

Hinc inferes 1. nihil aliud praeter Deum esse infinitum per essentiam , quia vel componitur ex materia et forma , vel ex genere , et differentia , quibus limitatur ad certum praedicamentum : quod si sit forma quaedam transcendens omnia praedicamenta , qualis est existentia , cum nihil aliud praeter Deum sit essentialiter suum esse , seu existere , talis existentia in creatis est receptibilis in essentia , et componit cum ipsa , sicque per illam limitatur.

Inferes 2. Nullum creatum esse infinitum actu secundum quantitatem aliudve accidens , quia accidens infinitum poteret essentiam , et subjectum infinitum. De infinito actu in Creaturis agitur in Philosophia.

Articulus VI.

De Immensitate Dei. D. Th. Q. 8.

§. I. *Praenotanda.*

Nota I. Immensum dicitur quasi sine mensura. Unde si spectetur quantum ad Divinum esse, est infinitas; si quoad durationem est aeternitas, si quoad locum, est incircumscriptibilitas, et de immensitate hoc ultimo sensu sumpta hic agitur.

Nota 2. Immensitas, et Ubiquitas, licet quandoque pro eodem sumantur, non sunt tamen omnino idem. Immensitas dicit actum primum : Ubiquitas actum secundum. Est ergo immensitas aptitudo, seu capacitas existendi in omnibus rebus, et locis, etiam infinitis si darentur. Ubiquitas vero est actualis existentia in omnibus rebus, et locis, quae sunt. Quapropter immensitas est Dei attributum, quia naturaliter, et necessario illi convenit : ubiquitas autem non est Dei attributum, quia illi convenit libere, et in tempore.

[Nota 3. Attributum immensitatis ad duo attributa consequitur, et respectum habet ad illa secundum duplicem ejus considerationem. Si enim immensitas consideretur quantum ad suam extensionem virtualem, ratione cujus potest omnibus rebus coexistere, licet in infinitum multiplicentur, sequitur ad attributum infinitatis, et ideo D. Thom. post attributum infinitatis, agit de immensitate, quia ut ipse dicit initio hujus quaestionis : *infinito convenit esse ubique.* At vero immensitas, secundum quod importat modum tangendi creaturas per operationem virtualiter transeuntem, ut dicemus infra, et dantem, vel conservantem esse in omnibus rebus, consequitur ad attributum omnipotentiae. Et sicut Deus actu erat omnipotens ab aeterno, antequam ullam creaturam actu produceret ; ita erat actu immensus, et esset, quamvis nulli creaturae actu praesens adesset : nec minus immensus maneret, si omni creatura annihilata, desineret in eis actualiter praesens esse, quia immensitas, ut jam notavit Auctor, ex D. Thom. non dicit actum praesentiae ubique, sed vim seu virtutem.]

Nota 4. Triplici modo generali Deus dicitur esse in omnibus, scilicet per potentiam, per praesentiam, et per essentiam ad modum, quo aliquid dicitur esse in rebus humanis. Sic Rex dicitur esse in toto Regno per potentiam, et Imperium, quia licet non sit ubique praesens, ubique tamen imperare potest, et omnia dirigere per suos Ministros. Per praesentiam dicitur aliquis esse in omnibus, quae in prospectu ejus sunt ; sicut omnia, quae sunt in aliqua domo, dicuntur esse praesentia alicui existenti in domo, qui tamen non est secundum substantiam in qualibet parte domus. Secundum vero substantiam, vel essentiam dicitur aliquis esse in loco, in quo ejus substantia habetur.

[Observat S. Aug. Epist. 188. cap. 5. quod licet Deus ubique, et in omnibus totus sit, non tamen in omnibus habitat. In illis ergo solum inhabitat, qui Templum Dei sunt per gratiam juxta illud 1. Cor. 3. 16. *Nescitis, quia Templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis* ? Ideoque Deus, esto omnibus adsit, solum inhabitare dicitur in justis viatoribus per gratiam, in Beatis per gloriam, in humanitate Christi per unionem hypostaticam. Neque etiam in quibus habitat, in omnibus aequaliter habitat, sed magis, vel minus, secundum quod majorem, vel minorem gratiam eis confert : Unde magis inhabitat in Christo, quam in Beatis, magis in Beatis, quam in justis viatoribus, non quia aliis minus, aliis magis adsit : Deus enim omnibus totus est ; sed quia alii plus eum capiunt, alii minus ; sicut enim esto anima tota adsit singulis corporis partibus, non tamen sin-

gulae aequaliter animae effectus capiunt, sed aliae plures, aliae pauciores; sic esto omnes Beati totum Deum videant, non tamen aequaliter quoad intensionem. Et quamvis omnes Iusti viatores Deum habitatorem habeant, in aliis tamen plura, in aliis pauciora effundit dona.]

Triplici ergo modo generali Deus dicitur esse in omnibus. 1. per potentiam, quia omnia subduntur ejus potestati et imperio, omniaque gubernat et dirigit. 2. Per praesentiam, quia omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus. 3. Per essentiam, seu substantiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi, ut fusius modo probabimus.

Nota 5. Praeter hos communes, et generales modos, quibus Deus existit in omnibus rebus, sunt alii speciales modi, quibus dicitur existere in certis rebus; sic speciali modo dicitur existere per gratiam in justis, et sanctis, qui diligunt illum, actu vel habitu, est enim in illis ut amatum in amante, et consequenter per modum amici inhabitantis et conviventis, atque finis inchoate possessi, et fruibilis. Item speciali modo Deus est in Coelo per gloriae manifestationem, et in Christo per unionem hypostaticam, et in aliis quibusdam, in quibus specialiter operatur, ut in Sacramentis, etc.

[In Justificatione hominis Deus est in anima per modum agentis, et infundentis gratiam, qui modus pertinet ad operationem Dei virtualiter transeuntem: hac praesentia praesupposita, mediantibus donis gratiae in anima receptis, nascitur nova habitudo illius ad Deum, ut possessum et praesentem, et resultat in ea modus quidam specialis unionis, et praesentiae, ratione cujus sanctissima Trinitas dicitur venire ad nos, et mitti, vel dari Spiritus S. Per amorem enim amicitiae, amici non solum dant sua, sed etiam seipsos, et potisssimum cor, et amorem: Unde cum Spiritus S. sit amor Sanctissimae Trinitatis, specialiter dicitur mitti, et dari per infusionem gratiae. Nec sola Spiritus S, persona, sed tota Sanctissima Trinitas per charitatem fit realiter et intime praesens animae justi Deum diligentis, ut testatur ipsemet Christus Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* De qua speciali dilectione et mansione inquit Augustinus. Tract. 75. *Est quaedam Dei manifestatio interior, quam impii non noverunt.*]

Nota 6. Manichaei negarunt generalem existentiam Dei in omnibus rebus per potentiam, quatenus dicebant spiritualia, et incorporalia tantum esse subjecta Divinae potestati; visibilia vero, et corporalia esse subjecta potestati contrarii priucipii. Fuerunt alii, qui negarunt existentiam Dei generalem per praesentiam in omnibus, quatenus dicebant providentiam divinam se usque ad haec inferiora corpora non extendere, ex quorum persona dicitur. Job. 22. *Circa cardines coeli perambulat, nec nostra considerat.*

§. II. *Utrum Deus sit secundum substantiam in omnibus rebus?*

Dico: Deus secundum substantiam est intime in omnibus rebus.

Prob. 1. ex Scriptura. Deuteron. 4. dicitur: *Deus in coelo sursum, et in terra deorsum* Ps. 138. *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Jer. 23. *Numquid non coelum, et terram ego impleo dicit Dominus?* Hi porro textus, et plures alii similes in sensu naturali et obvio, ut consideranti patet, non nudam praesentiam cognitionis important, aut potentiae, ut volunt Sociniani, sed veram praesentiam substantiae. Confirmando dogmati Catholico adstipulantur passim SS. Patres, quorum textus referre longius foret.

Prob. 2. ratione. 1. Immensitas est perfectio simpliciter simplex: ergo non est Deo deneganda. 2. Omne agens est praesens passo, et effectui saltem virtute:

atqui Deus operatur in omnibus rebus per virtvtem a sua substantia indistinctam, sibique identificatam. Ergo Deus adest omnibus rebus per substantiam, et quidem ut causa essendi ipsarum, ut magis explicabitur §. sequenti.

Objicies 1. ex Scriptura. Isaiae 66. *Haec dicit Dominus: Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Item Psalm. 113. *Coelum coeli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Ergo Deus est tantum in coelo ut in propria sede.

Resp. Dist. Cons. Deus est tantum in coelo per apertam revelationem gloriae suae, C. Cons. Per essentiam. N. Haec ergo, et similia verba scripturae non significant, quod Deus non sit per essentiam alibi quam in coelo, sed quod sit in coelo speciali modo, ut jam dixi. Supremum coelorum destinatum est Domino in thronum, et aulam regiam, in qua glorificat Sanctos; terram autem dedit in usum hominum, quod non excludit praesentiam Dei generalem per essentiam, Quidam ultima verba intelligunt respective ad divisionem terrae promissionis: ita ut sensus sit: Deus sibi reservavit distributionem bonorum coelestium, distributionem autem terrae concessit filiis hominum, scilicet Moysi, et Josue. Quod si frequenter in Scriptura Deus dicitur ascendere, descendere, deambulare, etc. Haec, et similia intelligenda sunt in sensu metaphorico: Sic enim saepe loquitur Scriptura, ut se aptet captui nostro, et significet Deum in se immotum, tales effectus edere, quales nos edimus dum movemur, dum ascendimus, descendimus, etc. Sic dicitur Deus ad nos accedere, dum beneficia largitur, a nobis recedere, dum gratias subtrhait, descendere, ambulare dum necessitatibus nostris invigilat. Dicitur etiam quandoque ambulare in specie humana, sicut apparuit Adamo in Paradiso terrestri.

Objic 2. Si Deus esset ubique foret extensus, quod ipsi repugnat. Item esset in rebus sordidissimis, quin imo in daemonibus, quod videtur indecens, et absonum. Ergo.

Resp. Si Deus esset ubique modo corporeo per contactum quantitatis dimensivae, foret extensus; non vero si ubique esset modo spirituali per contactum virtutis, ut revera est: quapropter praesentia ejus in rebus non est aestimanda ad instar praesentiae alicujus corporis; sed corrigenda est imaginatio, et mens avocanda a sensibus. Cum autem Deus sit simplicissimus spiritus, rerum corporearum sordibus non maculatur, sicut non maculatur anima sordibus corporis leprosi, cui unitur, nec lux solis luto, quo diffunditur.

Quantum ad daemones; cum in eis spectari debeat et natura, quae est a Deo, et deformitas culpae, quae non est ab ipso, non est absolute concedendum quod Deus sit in daemonibus; sed cum hac additione, *in quantum sunt res quaedam.* Idem dic de peccatoribus. In rebus autem, quae nominant naturam, non deformitatem, absolute dicendum est Deum esse.

§. III. *Utrum existentia substantialis Dei in rebus efficaciter demonstretur ex ejus operatione virtualiter transeunte, et quo genere demonstrationis.*

Hoc est, utrum operatio Dei virtualiter transiens sit non tantum ratio, per quam cognoscimus eum esse secundum substantiam in rebus; sed etiam sit ratio formalis, per quam existit in rebus: sicut quantitas materialis est ratio formalis, per quam corpus est in loco; consequenter an demonstratio existentiae Dei in rebus ex ejus operatione sit a priori, et per locum intrinsecum? Utrumque affirmant Thomistae cum S. Thoma: utrumque negant Scotistae cum Scoto.

Dico. 1. Existentia Dei secundum substantiam in omnibus rebus probatur efficaciter ex ejus operatione in illis.

Probatur 1. Ex illo Apostoli Actor. 17. *Non longe est ab unoquoque nostrum,*

in ipso enim (idest per ipsum ut vertunt alii) *vivimus, movemur, et sumus.* Ubi Apostol. ex operatione Dei in nobis probat eum in nobis existere. Nam de Dei praesentia entitativa Apostolum loqui, et non tantum de praesentia ejus objectiva, seu de cognitione patet; quia certum est Deum a multis nostrum abesse quantum ad cognitionem, cum multi non cognoscant Deum.

Prob. 2. ex Patribus S. Aug. lib. 4. de Genes. ad lit. c. 12. n. 23. dicit: *Cum aliud sumus quam ipse Deus, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.* S. Anselm. in Monolog. cap. 22. *Quoniam nihil sine Deo potest esse, aut conservari, dicere cogimur Deum ubique, et semper esse.*

Ante probationem a ratione praemitto. Duo in existentia possunt considerari. Primum: ratio ultimae actualitatis, secundum quam esse, seu existentia respondet enti ut ens est, et est quid commune omni enti creato, et creabili. Secundum: ipsa specificatio, et limitatio existentiae, secundum quam pertinet ad talem, vel talem naturam. Esse secundum quod respondet enti ut ens est, est proprius effectus Dei, quia effectus universalissimus, debet reduci per se primo in causam universalissimam, quae est Deus ens per essentiam, cujus proprius effectus est dare esse simpliciter. Secundum vero quod esse habet de restrictione, et specificatione ex parte talis, vel talis naturae, cujus est esse, sic correspondet etiam agenti creato, in quantum producendo formam, seu naturam creatam, producit etiam esse, ut restrictum ad talem formam. Nec est inconveniens, quod aliquis effectus secundum diversas considerationes correspondeat diversis causis.

[Ita S. Thom. 1. p. q. 8. a. 7. o. fere in terminis; Ubi notandum occurrit S. Doctorem non dixisse, quod *esse sit effectus solius Dei*, sed *effectus proprius Dei*: Sicut enim ignire est effectus proprius ignis, et tamen non repugnat quod ferrum ignitum producat in stupa ignem, qui non reducitur ultimate in ipsum ferrum, etiam ut ignitum, sed in ipsum ignem, a quo ignitum est. Sic esse, seu existentia producitur quidem a creatura existente, et a qualibet causa efficiente, non tamen tamquam proprius effectus ipsius, et per se primo in creatura reducibilis, sed in Deum tamquam in ens per essentiam, et primum existens, a quo omnis creatura existens redditur. Unde idem Angelicus 3. contr. Gent. c. 66. demonstrat quod causae secundae non producunt existentiam in suis effectibus in virtute propria, sed solum in virtute Dei, quatenus sunt instrumenta ab ipso mota, et elevata.]

Probatur. 3. ratione. D. Thomae Loc. cit. et contr. Gent. c. 68. l. 3. Agens, quod operatur intime in omnibus non per virtutem a se diffusam, sed per virtutem a se indistinctam, et sibi identificatam est intime in omnibus secundum substantiam: atqui Deus operatur intime in omnibus non per virtutem a se diffusam, sed per virtutem a se indistinctam: ergo. Major probatur. Omne agens debet conjungi passo, et effectui, saltem conjunctione virtutis. 1. quia agens, et passum se habent ut actus et potentia, ut perfectum et perfectibile: actus autem, et potentia, perfectivum, et perfectibile debent esse simul. 2. Quia si agens non est saltem virtute praesens passo, et effectui, non est ratio assignabilis, cur potius illud subjectum sibi subjiciat, et in illud agat, quam in aliud, neque cur illum effectum producat potiusquam alium. Si ergo virtus, qua agens conjungitur effectui sit indistincta ab ejus substantia, ut contingit in Deo, hoc ipso quo in omnibus intime operatur, sequitur quod sit secundum substantiam intime in omnibus.

Probatur minor 1. syllogismi: Deus in omnibus operatur, et conservat esse non qualitercumque, sed esse universalissimo modo, et absolute sumptum, prout correspondet enti ut ens est: sic enim est proprius effectus Dei. Atqui esse absolute est intimum unicuique rei, non quidem constituendo, id enim est proprium formae, sed actuando: et illud Deus producit, et conservat in omnibus

non per virtutem creatam a se emissam, sed per virtutem infinitam a se indistinctam. Ergo. Probatur ista secunda pars minoris: Virtus productiva esse absolute, prout correspondet enti ut sic, est virtus productiva totius entis creabilis, est enim ejusdem rationis in omnibus, consequenter virtus creativa. Porro si sit virtus creativa, ergo infinita, ergo divinae substantiae identificata, ergo Deus.

[Ex dictis inferes huic intimae praesentiae virtutis essentialis Dei subjectas esse non solum substantias sive corporeas, sive incorporeas, verum etiam earum potentias activas, harumque actus: siquidem par, eademque est utrobique ratio. Sicut enim substantiae universae opus habent praesentia immediata virtutis Dei, quae efficiat earum durationem in esse, easque retineat a lapsu in proprium nihilum: sic potentiae activae substantiis insitae eadem intima praesentia indigent, tum ut perdurent in suo esse una cum substantiis, et in substantiis, tum ut virtus divina in ipsis efficiat incrementum illud entitatis, quo promotae potentiae constituuntur in ultima, atque completa activitate, quod *actus* earum *secundus* nominatur, cujus vi producunt actus suos, quos *elicitos* appellamus. Etenim incrementum illud entitatis, seu actum secundum, potentia activa sibi dare non potest, cum absolute impossibile sit cuicumque creatae virtuti ex minori entitate majorem efficere, (siquidem accessus ille entitatis, sive actus secundus sit nova entitas, novaque perfectio, qua potentia destituta erat) proinde exigit ab immediata Dei virtute seu ab ipso Deo effici, qui est essendi plenitudo, et a quo immediate est, quidquid entitatis est. Actio autem illa, qua Deus efficit quidquid entitatis est in operatione potentiae, aut afficit illam entitatem potentiae superadditam, qua potentia mota, et determinata se movet, et determinat actualiter ad operandum, vocatur in Scholis *Praemotio Physica*, utpote praevia natura, et causalitate, non tempore ad operationem potentiae, et distincta a motionibus moralibus. De hac opportunius redibit alibi sermo.

Inferes insuper etiam in ipsis actibus elicitis potentiarum activarum existere Deum per efficientiam a sua substantia indistinctam. Etenim in actibus, de quibus sermo est duo veniunt consideranda. I. Id quod est esse, seu existere praecise. II, considerandus est certus essendi modus. Primum a nulla virtute creata effici potest, ut supra dictum est, consequenter a sola virtute divina prodire debet; Potentia vero activa creata, in hoc quod est esse praecise sumptum, habet, Deo subministrante, subjectum capax participandi esse tali, et tali modo, de quo subjecto educit modum proprium essendi suorum actuum. Haec vera notio est *concursus simultanei*, quo Deus ut causa prima, et universalis efficit eosdem actus, quos potentia activa ut causa secunda, et limitata efficit, ab ipso tamen praemota, et active applicata.]

Objicies. Nihil repugnare Deum operari in rebus per virtutem a se diffusam, et uti creaturis ut instrumentis. Ergo etc.

Resp. Virtutem a Deo diffusam esse virtutem creatam, per virtutem autem creatam Deus potest operari effectus determinatos, seu esse specificatum, et restrictum ad talem, vel talem speciem, sic potest causare gratiam per virtutem instrumentalem in Sacramenta diffusam, sed non esse absolute prout correspondet enti ut sic. Patet ex dictis.

Dico 2. Operatio Dei virtualiter transiens est ratio formalis, per quam existit intime in rebus.

Prob. 1. ex verbis Apostoli supra citatis. Videtur enim Apostolus probare Deum esse in nobis per hoc, quod per ipsum vivamus, et simus, tamquam per rationem a priori; quia si esset probatio a posteriori, esset per effectum nobis notiorem, quod tamen non est.

Prob. 2. ratione D. Thomae. ibid. Res corporea est in loco non immediate

per suam substantiam, sed per contactum quantitatis dimensivae. Ergo res incorporea est in alio non immediate per suam substantiam, sed per aliquem contactum; omne enim quod est in loco, vel in quacumque re, tangit ipsam, et si non tangat non est in ipsa, sed ad summum ipsi propinqua: atqui non potest concipi in substantia incorporea alter contactus, quam virtutis, non enim tangit immediate per seipsam, et contactus virtutis est per operationem, quia virtus activa non unitur, aut tangit alterum nisi agendo in illud, seu seipsam applicando illi: ergo.

Sicut ergo substantia corporea per quantitatem molis est apta ad existendum in loco, et per hujus quantitatis contactum ad superficiem locantis formaliter existit in loco, et in illa resultat ubi, seu relatio coexistentiae, et praesentiae. Ita substantia incorporea per quantitatem virtutis est apta existere in rebus, et haec vocatur in Deo immensitas, quia virtus ejus ad omnia se potest extendere, et per contactum hujus virtutis ad res, eas producendo, formaliter in eis existit, et inde resultat relatio coexistentiae, seu praesentiae, quae in Deo est rationis tantum, et denominatio extrinseca, quia non dependet a rebus, sed facit eas a se dependere, nec proprie se illis applicat, sed illas sibi.

Est tamen differentia inter Deum, et alias substantias incorporeas. Angelus est in subjecto intime quantum ad terminos loci, et quantitatis, non est tamen intra terminos essentiae, seu substantiae, quia non producit esse subjecti, sed supponit. Anima humana intimius penetrat materiam, quam Angelus quantitatem, quia eam informat in esse substantiali, non tamen totaliter illabitur entitati materiae, quam supponit, et cui superaddit esse substantiale. At vero Deus, cum operatio ejus sit creativa totius esse, nihilque omnino supponat prius productum, sed totum efficit, ideo intime illabitur intra terminos essentiae: unde illud S. Thomae: (In 2. d. 8. Q. 1. a. 5. ad 3.) *In essentiam non intrat nisi ille, qui dedit esse, scilicet Deus.*

Objicies 1. cum Tournely. Operatio Dei juxta modum nostrum intelligendi sequitur, et supponit praesentiam Dei in rebus. Ergo non est ratio formalis, per quam Deus existit in rebus.

Resp. D. Ant. Operatio Dei sequitur, et supponit praesentiam Dei in rebus in ordine essendi, C. Ant. In ordine locandi, N. Ant. Igitur Esse, et operari in loco sunt simul in Deo simultate temporis; at in ordine locandi, operari cum sit ratio formalis essendi in loco, prius concipitur quam essentia.

Objic. 2. Si Deus formaliter, et immediate constitueretur praesens in loco per operationem, eadem foret notio immensitatis, quae et omnipotentiae, atqui diversa est utriusque ratio. Ergo. etc.

Resp. Dist. seq. Si Deus formaliter, et immediate, constitueretur in loco praesens per operationem efficientem, eadem foret notio, Conc. Per operationem ut tangentem, et extendentem Deum in ordine ad spatium, Nego. Quamvis operatio sit actus secundus immensitatis, et omnipotentiae, non tamen sub eadem ratione: est enim actus secundus omnipotentiae quatenus agit, seu efficit; immensitatis vero quatenus tangit, et extendit Deum in ordine ad spatium: hae autem duae rationes debent in Deo virualiter distingui, quia ea virtualiter distinguuntur in Deo, quae ita distinguntur in creaturis, ut ad diversas lineas pertineant; immensitas vero pertinet ad ordinem entitativum, et importat latitudinem extensionis; et omnipotentia pertinet ad ordinem operativum, et importat latitudinem virtutis agendi.

Petes Utrum Deus sit non solum in omnibus rebus; sed etiam in omnibus locis, ut sunt loca formaliter?

Ante Responsionem nota. Aliud est esse in loco materialiter ut res est, aliud esse in loco ut locus est formaliter. Sic v. g. Si esset vas pictum liquore plenum, liquor esset in vase formaliter ut locus est, pictura autem esset in vase ut res est. Deum esse in omnibus locis, quatenus loca sunt res quaedam, hucusque probavi.

mus ex ejus operatione in rebus. Utrum vero sit etiam in omnibus locis formaliter, ut loca sunt?

Resp. Deus est secundum quid in omnibus locis, quatenus loca sunt formaliter. Quia locata dicuntur esse in loco formaliter, in quantum replent locum; Deus autem omnem locum replet, non quidem sicut corpus, quod dicitur replere locum inquantum non patitur secum aliud corpus; sed quia dat esse omnibus locatis, et facit quod unumquodque suum repleat locum.

§. IV. *Utrum Deus sit actu in spatiis imaginariis.*

Nota 1. Spatia imaginaria dicimus vacua, et inania intervalla, quae concipimus extra mundum, aut in spatio, quod nunc occupat Mundus, antequam crearetur.

Nota 2. Aliquid esse actu in spatio potest dupliciter intelligi. Uno modo comparative ad terminum, cui coexistit, et praesens est. Alio modo absolute in ordine ad se, quatenus est in se existens, et designabilis in omni parte spatii, licet nulli termino coexistat, aut presens sit. Primo modo Deum non existere actu in spatiis imaginariis est manifestum, cum enim ipsa spatia imaginaria nihil sint, sed figmenta mentis nostrae, non potest Deus sic in illis existere, ut coexistat, et praesens sit alicui termino suae praesentiae, sicut existit in locis positivis, et realibus.

[Deum esse extra totum Universum nemo negat si ly *extra* negative sumatur; idest si significet quod Deus non limitatur, nec coarctatur intra ambitum Universi, cum ejus virtus sit infinita, et immensa, nec ullis limitibus, aut terminis claudatur, vel circumscribatur; unde dicitur 3. Reg. 8. *Si coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec.* Sed si ly *extra* sumatur positive, ita ut significet quod Deus sit positive praesens, et existens in illis spatiis, quae fingimus, et imaginamur esse extra coelos, et totum universum, illud est quod in controversiam vertitur, et de quo praesens procedit quaestio.]

Dico: Deus non est actu positivo in spatiis imaginariis, sed virtute tantum, et potentia. Ita communiter Thomistae.

Prob. 1. Auctoritate Patrum. S. Aug. super Psal. 122. ait: *Antequam faceret Deus coelum, et terram, ubi habitabat? In se habitabat, apud se habitabat, et apud se est Deus.* S. Bernard. l. 5. de consid. cap. 6. *Ubi erat Deus antequam Mundus fieret? . . . Non est quod quaeras ultra ubi erat, praeter ipsum nihil erat.* Est autem eadem ratio de spatiis imaginariis nunc extra mundum, quae de spatiis imaginariis ante mundum.

Prob. ratione. 1. In tantum Deus est alicubi, in quantum ibi operatur, ut supra probavimus ex Divo Thoma: atqui Deus non operatur in spatiis imaginariis, cum nihil sint: ergo. 2. Deus non est in nihilo: atqui spatia imaginaria sunt omnino nihil ac mera figmenta rationis nostrae, non secus ac chimaera: ergo.

Restat proinde, et est secunda pars conclusionis, quod Deus sit in spatiis imaginariis virtute tantum, et potentia; quia potest in illis alium mundum, aut quodvis aliud creare, mediante quo illis aderit. Nec plus exigit illius immensitas, quae in eo sita est quod existat in omnibus rebus, et locis, quae sunt, non autem quod existat actu in rebus, aut locis, quae non sunt, sed quod possit in eis existere, quia potest illa producere. Non ergo coarctatur Deus intra ambitum hujus Universi, cum possit extra illum existere creando, et operando quidquid ipsi placuerit.

[Quemadmodum ut Deus sit, et dicatur ab aeterno omnipotens, non est necesse quod ab aeterno produxerit creaturas, sed solum quod ab aeterno fuerit potens ad illas producendas: ita etiam ut sit, et dicatur ab aeterno immensus, non requiritur quod ab eterno repleat omne spatium imaginabile, sed quod aptus sit,

et potens replere omne spatium reale, quod potest producere. Et in hac vi repletiva omnis spatii consistit formaliter divina immensitas, ut supra dictum est; sicut in vi productiva cujuscumque rei possibilis, consistit formaliter divina omnipotentia.]

Objic. 1. Aeternitas ratione suae infinitatis ambit omnia tempora praeterita, praesentia, et futura. Ergo pariter immensitas ratione suae infinitatis ambit omnia loca praeterita, praesentia, et futura, consequenter imaginaria.

Resp. Neg. Cons. disparitas est 1. quod aeternitas, ut dicemus modo, sit actualis duratio rei ab aeterno, et in aeternum immutabilis, independens a contactu, et operatione, consequenter ambire debet omnes durationes. Immensitas autem non est actualis existentia in infinitis locis, sed potentia existendi in rebus dependenter ab operatione, et contactu, qui fieri non potest in spatiis imaginariis, nisi producendo aliquid in illis. Altera disparitas est, quod per aeternitatem res dicantur esse in Deo, et per immensitatem Deus dicatur esse in rebus; quidquid autem est in altero, ad modum illius est; cum ergo Deus sit ab aeterno, et in aeternum, omnes durationes continet, at vero cum locus non sit nisi in tempore, Deus non est in illo nisi in tempore, et quando existit.

Objicies 2. Si Deus actu non existeret in spatiis imaginariis sequeretur 1. quod posset mutari, casu nempe quo crearet aliquod corpus in spatiis imaginariis; tunc enim inciperet de novo esse ubi antea non erat. 2. Sequeretur quod posset moveri per accidens, hoc est ad motum alterius, eo modo quo nauta movetur ad motum navis, quia posset movere aliquod corpus in spatiis. 3. Sequeretur quod posset esse a se divisus, si nempe crearet duo corpora a se distantia in iis spatiis.

Resp. Inconvenientia objecta fundari in falsa imaginatione apprehendente spiritualia ad modum corporalium. Oportet igitur trascendere imaginationem, et illam corrigere ex eminentia rei spiritualis, et independentiae illius ab omni commensuratione medii, spatii, vel loci. Ad 1. N. sequelam: ut enim aliquid mutetur, debet se habere passive, et aliquid in se recipere, quod ante non habebat; Deus autem non est de novo praesens in illo corpore per praesentiam aliquam in se receptam, sed per actionem in illud corpus, quod creat, aut movet extra mundum: unde tota mutatio se tenet ex parte corporis producti, aut moti. Sicut cum Deus creavit hunc mundum, in eo existit, in quo antea non existebat, nec tamen ideo fuit mutatus, quia non in eo de novo extitit per aliquid receptum in se, sed per ipsam productionem; productio autem mundi est in Deo ab aeterno, sed virtualiter transiens in tempore.

Ad 2. Resp. Dum moveretur corpus, Deus in illo non moveretur, licet desinat esse, ubi desinit esse corpus, et incipiat esse, ubi corpus incipit esse, quia non incipit esse de novo per aliquam praesentiam in se receptam, sed per hoc quod producit, aut conservat illud corpus, ubi antea non conservabat.

[Ut aliqua res per accidens ad motum alterius moveri dicatur, duo requiruntur: 1. ut illa circumscriptive, aut saltem definitive, sit in corpore, quod movetur, 2. ut in ordine ad terminum motus variet distantiam, ac proinde quod antea non sit ei substantialiter praesens. Nam quando una manus v. g. movetur, et applicatur alteri, tunc anima proprie non dicitur moveri localiter, etiam per accidens: Tum quia non est definitive in sola manu sed in toto corpore: Tum etiam, quia tota est non solum in manu movente, sed etiam in ea, quae est terminus motus, et applicationis alterius. Sic Deus quia non esset definitive in corpore, quod ab eo motum supponitur in spatiis imaginariis, nec esset absens, sed substantialiter praesens in omni alio loco, et parte hujus mundi, non diceretur moveri ad motum corporis, sed potius motum corporis causare. Movetur quidem Nauta, ad motum navis, quia Nauta est circumscriptive in navi, ut non sit alibi, et continetur a navi, non continet navem.]

Ad 3. Resp. Substantia spiritualis non dividitur si non continuatim ponatur

in spatio : Id quidem sufficit ad divisionem rei quantae, quae commensuratur spatio, at non sufficit ad divisionem rei spiritualis, quae non commensuratur spatio, seu loco, sed est independens ab illo, et potius illum continet, quam contineatur ab illo, unde ex hoc quod operatur in extremis, et non in medio, non sequitur quod dividatur in se, sed quod dividatur effectus ; et quod assistat illis sic divisis, sine divisione sui.

Articulus VII.

De Immutabilitate Dei. S. Thom. Q. 9.

Utrum Deus sit omnino immutabilis ?

Resp. Affirmative, et est de fide.

[Tripliciter aliquid dici potest immutabile, scilicet quoad esse, seu entitatem, quoad formam, et quoad operationem. Hoc triplici modo Deus est immutabilis. 1. quoad esse, quia scilicet nec potest transire de esse ad non esse, vel de non esse ad esse. 2. quoad formam quia nempe non potest transire de una ad aliam perfectionem.3. quoad operationem intellectus, et voluntatis, quatenus una actio non potest succedere alteri, aut una esse alteri contraria, vel alio modo se habere ac altera, puta alio modo cognoscere, vel velle quo antea volebat, et cognoscebat.]

Prob. 1. ex Script. Malac 3. dicitur: *Ego Dominus, et non mutor.* Jacob. 3. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* et alibi.

Prob. 2. Ratione, quae est virtualiter triplex. Ad naturam mutationis requiritur 1. Potentialitas, cum privatione, ut terminus a quo. 2. Forma de novo aquirenda, ut terminus ad quem. 3. Subjectum susceptivum successive plurium formarum : atqui primum excluditur in Deo ratione actus puri, secundum ratione infinitae perfectionis, tertium ratione summae simplicitatis. Ergo.

Dices 1. de Deo dicitur in Scripturis, quod modo odit, modo diligit, quod paenitet, etc. quae omnia absque mutatione intelligi non possunt.

Resp. Haec omnia dici de Deo non proprie, sed metaphorice, seu non ratione diversarum affectionum, sed diversorum effectuum, qui respondent similibus affectionibus in creaturis. Sic dum exercet erga justos opera benignitatis, et misericordiae dicitur bonus cum ipsis, et eos diligere: dum exercet erga peccatores opera severitatis, maxime removendo gratias, dicitur eos odisse, dum punit dicitur irasci, dum opus factum destruit dicitur paenitere ; quia qui talia agunt inter homines amore, odio ira poenitentia afficiuntur. Quantum autem ad effectum internum eo modo, quo potest esse in Deo, scilicet eminenter, est aeternus cum sit ipse Deus : unde quos affectu interno diligit, ab aeterno diligit, quos odit ab aeterno odit, secundum diversam conditionem personarum, ita ut tota mutatio se ex illarum parte teneat, sic immotus in se manens ab aeterno dilexit, et odio habuit Petrum pro diverso statu peccati, et poenitentiae, sicut idem sol pro diversitate subjecti, emollit ceram, et indurat lutum.

[Similiter dicitur appropinquare nobis quando exhibet se favorabilem, ac propitium, recedere quando gratias subtrahit. Dicitur desiderare dum nobis largitur media ad finem: Recordari hominum, cum eis beneficium consolationis impendit, oblivisci dum sinit affligi ; E contra peccatorum recordari dicitur, dum ea punit; oblivisci, dum ea non punit.

Nec ex praedictionibus a Deo factis in Sacris Scripturis, quae postea non evenerunt fas est arguere mutationem aliquam in Deo, quasi ea quae praedixit, cum praedixit evenire voluerit, et cum non evenerint, voluntatem mutasset : Nam triplici modo aliqua Deus praedicit 1. Absolute ventura, et haec semper eveniunt, ut cum praedixit adventum Christi. 2. Eventura sub conditione, et haec si ponatur

conditio eveniunt, secus non eveniunt. 3. praedicit futura secundum cursum causarum naturalium, et haec eveniunt si Deus operetur secundum cursum earum, si nolit autem taliter operari; non eveniunt Sic quando praedixit subversionem Ninivae. *Jonae.* 3. 4. praedixit sub conditione quod Ninivitae non agerent poenitentiam. Mortem vero Ezechiae 4. *Regum* 20. 1. praedixit secundum cursum causarum naturalium, et certe naturaliter fuisset mortuus, si Deus illas agere permisisset, eumque non praeservasset.]

Dices 2. Deus factus est, et fit quotidie de non operante operans, ut patet in creatione mundi facta in tempore, et in productione novorum effectuum. Ergo mutatur.

Resp. N. Ant. Deus enim ab aeterno operatur quod fit in tempore, quia ejus operatio formaliter immanens, et virtualiter transiens, non distinguitur ab ipso; nihil enim est aliud, quam ipsa ejus voluntas, qua vult ab aeterno aliquid fieri in tempore; unde tota mutatio se tenet ex parte creaturae. Non tamen denominatur ab aeterno creans, aut operans, quia denominatio extrinseca creatoris, aut operantis pendet ab effectu in tempore producto.

[Denominatio extrinseca Creatoris resultat ex relatione reali creaturae ad Deum, et consequitur ipsam actionem divinam virtualiter transeuntem in exteriorem effectum, quin aliquid intrinsecum Deo accedat, et ideo cum praesupponat existentiam rei creatae, quae non est ab aeterno, sed ex tempore, dicitur de Deo in tempore, non quod in Deo facta sit mutatio, sed quia Deus mutationem fecit creando hominem puta, qui prius non erat. Videndus est D. Thom. 1. p. q. 13. a. 7. et Div. Aug. L. 5. de Trin. cap. 16. ubi fuse hoc explicat exemplo nummi, qui cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium, neque cum dicitur pignus, et si quae sint similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione multoties dici relativē quin aliquid in ejus natura mutationis fiat, quanto facilius hoc erit de Dei incommutabili substantia, ut ita dicatur aliquid relative ad Creaturas, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae ad quam dicitur.

Porro creatio active sumpta prout est actio Dei increata immanens, est aeterna, ut docet S. Thom. 1. p. q. 45. a. 3. o. quia non differt a divina essentia, ejusque voluntate, nec dicit aliquid egredieus a Deo, quod recipiatur in creatura, sed tantum divinum velle cum habitudine actualiter producentis ad rem productam universaliter, seu secundum totam ejus substantiam. Creatio vero activa, prout ponit effectum aliquem extra potentiam, vel ex se infert effectum exteriorem, dicitur virtualiter transiens, et sic non est aeterna, quia nullus effectus est ab aeterno. Et quia nos loquimur sicut intelligimus; hinc est quod non simpliciter dicimus Deum ab aeterno creare, vel ab aeterno fuisse creatorem. Creatio passive sumpta est quaedam habitudo, seu relatio habentis esse ab alio, consequens operationem divinam, ut formalissimis terminis dicit Angelicus loc. cit. *Creatio in creatura non est nisi relatio quaedam ad Creatorem, ut ad principium sui esse* : quae quidem relatio in Creatura est realis, in Deo autem est solum rationis. Nam in omnibus, quae secundum respectum ad invicem referuntur, quorum unum ab altero dependet, et non e converso; in eo quod realiter dependet relatio realiter invenitur; in altero vero secundum rationem tantum : Creatura autem refertur ad Creatorem, et ab eo dependet, non vero Creator a Creatura : Consequenter relatio qua creatura hoc ipso, quo creatura est, refertur ad Creatorem est realis. Ea vero, qua Creator ad Creaturam refertur est tantum rationis. Ita ratiocinatur S. Doctor. q. 3. de pot. a. 3. o. Ex quibus satis patet quomodo Deus possit in tempore denominari Creator absque ulla sui intrinseca mutatione, sed per solam mutationem ex parte creaturae realiter attactae a sua acter-

na actione, seu ex parte novi effectus qui ab aeterna actione consequitur secundum dispositionem divinae voluntatis. Idem dicendum est de denominatione Domini, quae in tempore dicitur de Deo; haec enim etiam ex mutatione Creaturarum ad esse, et relatione servitutis ad ipsum consurgit. Quae cum ita sint, quomodo ergo Cyrillus lib. 1. thesaur. c. 5. docet *Deum semper fuisse creatorem, et Opificem*? et Isaias dicit cap. 40. *Deus sempiternus Dominus*? Haec apparens contradictio tolli posse videtur distinctione. Si enim ista nomina intelligantur significare potentiam creandi, operandi, potestatem dominandi pro arbitrio, etsi nihil existat in quo actualiter hujusmodi potestas exerceatur, ab aeterno conveniunt Deo, et de ipso dici possunt: quo sensu loquitur S. Cyrillus, et Isaias. Si vero significant actum praesentem, vel praeteritum, quo effectus, sive creatura in esse ponitur, vel actu dominatur in servum sibi actu subditum, ex tempore conveniunt Deo. Utrumque modum expressit Angelicus in 1. dist. 30. a. 3. ad 2. dicens „ *Etiamsi nullus intellectus esset adhuc, in Deo esset, unde vere Dominus et dici, et intelligi posset, scilicet potentia coercendi subditos,* (ea autem potentia in Deo est ejus substantia) *sed non diceretur, vel intelligeretur Dominus secundum actum.*]

Nec ideo tamen quia Deus effectus operatur ab aeterno, sequitur effectus ipsos esse aeternos, quandoquidem operatur eos non pro aeterno, sed pro tempore: Effectus enim sequitur ab actione secundum considerationem formae quae est principium actionis; forma autem, quae est principium actionis divinae, est ejus voluntas, cujus conditio est, quod ponatur effectus, quando vult ipsum poni. Causa ergo impediens quin effectus, quem Deus ab aeterno operatur, sit aeternus est ipsa divina voluntas.

[Ex quo patet quod Deus dicatur incipere agere non ratione novae actionis, sed ratione novi effectus qui sequitur secundum dispositionem voluntatis divinae. Patet etiam, cum ejus actio sit aeterna, et non effectus, quod non debeat dici fuisse causam in potentia, nisi potentia referatur ad effectum, qua consideratione non est absurdum dicere, quod fuit causa in potentia, (activa tamen) Hoc docuit D. Thom. 1. p. q. 25. a. 1. ad 3. dicendo quod potentia duo importat: unum esse principium actionis, alterum esse principium effectus. Quantum ad primum, ratio potentiae non invenitur in Deo respectu suae actionis, quia actio Dei est sua essentia, quae non habet principium; invenitur autem, quantum ad posterius, quia Divina essentia est principium effectus, qui fit in tempore. Quod si quis ulterius quaerat quomodo Deus possit ab aeterno esse causa in actu immutabilis quin etiam ab aeterno sit effectus in actu, cum causa in actu, et effectus in actu sint correlativa? Respondendum est duobus modis aliquem dici posse causam in actu. Uno modo quando est actu operans, seu producens in esse effectum: Et de illa verum est, quod causa in actu, et effectus in actu sunt simul, sed Deus non est ab aeterno talis causa in actu, cum non sit ab aeterno creans coelum, aut dans esse alicui creaturae. Alio modo causa actu dicitur, quae licet non operetur actualiter, ita tamen habet omnia actu, quae ad operandum possunt requiri, ut absque ulla sui, sive ex parte intellectus, sive ex parte voluntatis, vel etiam operationis mutatione, possit effectum producere: sic autem intellecta causa actu, non refertur ad effectum actu, sicut ejus correlativum; ac per consequens non oportet, ut causa talis actu, et effectus actu semper sint simul; Et talis causa actu est Deus ab aeterno, quia ab aeterno sic habet omnia ad producendos effectus requisita, ut absque ulla vel voluntatis, vel intellectus, aut alia quapiam mutatione possit in esse creaturas producere quando, et sicut vult. His conformiter potest etiam, juxta doctrinam D. Thomae supra relatam, dici, quod causa actu uno modo refertur ad effectum, ut scilicet ea causa dicatur esse in actu, quae actualiter effectum producit. Alio modo refertur ad actionem, vel operationem, ut ea dicatur causa actu, cujus actio vel operatio existit, quamvis ef-

fectus operationis nondum sit. Juxta priorem modum Deus non est ab aeterno causa actu, imo dici potest causa inpotentia : Juxta posteriorem, semper fuit causa actu, et numquam causa in potentia. Vide angelicum. Q. 3. de poten. a. 17. ad 26.]

Dices 3. Verbum incepit esse Homo per Incarnationem. Ergo fuit mutatum.

Resp. Dist. Ant. Incepit esse Homo per Incarnationem passive, et ad modum subjecti recipiendo Humanitatem in se N. Ant. Eam terminando, et ipsi suam personalitatem tribuendo. C. Ant. Ut aliquid vere mutetur per adventum alicujus novi, requiritur quod ipsi adveniat per modum formae informantis, aut saltem, quod illud recipiat per potentiam passivam: Jam autem Humanitas non advenit Verbo per modum formae informantis, nec eam recepit per potentiam passivam, sed potius agendo in illam, eam scilicet terminando, et communicando illi suam subsistentiam : Nullam igitur passum est mutationem Dei Verbum.

Articulus VIII.

De Aeternitate Dei. D. Thom. Q. 10.

Quaeritur 1. Quid sit aeternitas ?

Resp. Aeternitas definitur a Boetio lib. 5. de consol. *Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio.*

Explicatur. Dicitur *possessio*, et non duratio, non quod aeternitas non sit duratio, sed quia duratio vi nominis dicit quamdam distinctionem partium, quae in divino esse non debet intelligi : dixit ergo Boetius *possessionem*, metaphorice loquens ad designandam immutabilitatem, et indeficientiam aeternitatis ; illud enim quod possidetur, firmiter, et quiete habetur.

Dicitur *possessio vitae*, potius quam esse 1. Quia quod est vere aeternum non solum est ens, sed vivens. 2. Quia ipsum vivere se extendit quodam modo ad operationem, non esse ; aeternitas autem est permanentia rei invariabilis in esse, et operari.

Dicitur *vitae interminabilis*, ut designetur aeternitatem neque habere, neque posse habere initium, aut finem.

[To' *interminabilis*, non solum significat esse actualiter sine termino, seu actu carere principio, et fine ; sed absolute esse sine termino, sive actu, sive potentia : ita ut quamvis fingeremus Angelos fuisse ab aeterno creatos, nec ullum suae durationis terminum actualiter habere, carereque sicut fine, ita principio, nec sic quidem essent vitae interminabilis, quia potuissent habere suae durationis initium. Deus enim libere eos creasset, ita ut potuisset ipsos non creare ab aeterno, sed in tempore : Et praeterea quolibet momento possent juxta Dei beneplacitum desinere esse, atque ita habere finem suae durationis.]

Dicitur *tota simul* ad significandum, quod aeternitas careat divisione, et successione secundum prius, et posterius, qualis reperitur in tempore. Aeternitas autem consistit in unico NUNC, quod numquam est praeteritum, sive futurum, sed semper NUNC.

Dicitur *perfecta*, ad excludendum nunc temporis, quod licet sit totum simul, nec habeat partes, non est autem quid perfectum in ratione durationis, cum statim evanescat : neque in illo aliquid perfecte possidetur. Sensus ergo definitionis Boetii est, quod aeternitas sit duratio tota simul, et indeficiens rei viventis, carens successione, principio, et fine.

Ex dictis colliges 1. Aeternitatem duo importare. 1. quasi pertinens ad extensionem illius, nempe quod careat termino durationis, principio, et fine, quod est habere infinitatem in ipsa duratione. 2. spectans modum durationis, quod careat omni successione, et mutabilitate. Et quamvis res successivae, et ipsa sue-

cessio, seu tempus contineantur in aeternitate, non tamen continentur formaliter, sed eminenter, ita ut omnibus successivis successionibus, et temporibus coexistat immota, et invariabilis manens, eo ferme modo, quo centrum circuli, quod est indivisibile, correspondet omnibus, et singulis partibus circumferentiae, et manet immotum, quamvis circulus circumagatur. Accipe aliam similitudinem. Finge arborem extensam super fluvium, ab origine ad ostium fluvii, contineret omnes partes aquae sub se fluentes, et ipsis coexisteret, ipsa non fluens, sed immota manens. Ita aeternitas omnia tempora praeterita, praesentia, futura continens, ipsis fluentibus coexistit non fluens, sed immota manens. Duravit quidem aeternitas diuturniori tempore nunc, quam ante mille annos, sed sive ipsa, sive Deus, non est ideo diuturnior, senior, aut major, quia est indivisibilis, et tota simul.

[Homines quidem aeternitatem apprehendunt esse majorem, quae majori tempori coexistit: verum haec majoritas non est in aeternitate, sed ei solum attribuitur per denominationem extrinsecam, et in ordine ad nostrum intellectum, sive secundum nostrum modum intelligendi; similes in hoc illis Navigantibus quibus videtur terra moveri, cum illa quidem maneat immota, ipsi autem moveantur: ita nobis, qui modo quodam vehimur tempore, videtur aeternitas mutari, et de minore fieri major, habereque successionem; cum ipsa invariabilis, et sine successione permaneat, nos vero simus, qui mutationem, successionemque recipimus, uti et aliae res hujus mundi.]

Colliges 2. aeternitatem differre ab aevo, et tempore, non praecise quia aeternitas caret principio et fine, et aevum habet principium, tempus principium et finem; haec enim differentia est tantum per accidens. Vera ergo eorum differentia in hoc sita est, quod aevum sit duratio rei immutabilis secundum esse substantiale, sed mutabilis accidentaliter, puta penes locum, aut operationem, ut in Angelis: unde ex hac parte non est totum simul. Et tempus sit duratio rei variabilis secundum esse, et operari, est enim mensura motus secundum prius, et posterius; unde ex nulla parte est totum simul, sed per partes fluentes. At vero aeternitas est duratio tota simul rei invariabilis in esse, et operari.

Quaeritur 2. Utrum Deus, et ipse solus sit aeternus?

Resp. Affirmative.

Prob. 1. Auctoritate. Psalm. 9. dicitur; *Dominus in aeternum permanet.* Psal.. 110. *Tu idem ipse es, et anni tui non deficient.* Deuteron. 23. *Vivo ego in aeternum.* Hinc Concil. Lateran. sub Innocentio III. Cap. *firmiter* de Summa Trinitate: *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus, etc.*

Prob. 2. ratione: Aeternitas sequitur immutabilitatem, sicut tempus sequitur motum; atqui Deus, et ipse solus est essentialiter immutabilis: Ergo Deus et ipse solus est essentialiter aeternus.

Neque solum est aeternus, sed est realiter sua aeternitas, sicut est sua bonitas, et sua sapientia, quia est suum esse, quod nulli creaturae competit; aeternitas autem nihil est aliud quam duratio divini esse, seu ipsum esse divinum durans; est tamen ab esse divino virtualiter distincta sicut alia attributa, quia duratio et esse in creatis pertinent ad diversa genera; duratio enim est modus rei, ita ut quamvis non possit esse duratio sine existentia rei, potest tamen esse existentia sine durationc proprie dicta, ut si res statim ac coeperit esse, desinat.

Quando ergo quaedam verba temporis praeteriti, praesentis, aut futuri dicuntur de Deo, ut Apoc. 1. *Qui est, qui erat, et qui venturus est*, non sic accipienda sunt, quasi Deus successive varietur per praesens, praeteritum, et futurum, sed quia ejus aeternitas omnes temporum differentias includit. Similiter cum designantur operationes Dei successivae, successio non accipitur ex parte principii, sed ex parte effectuum.

[Similiter quando aeternitas significatur nominibus importantibus successionem, ut cum dicuntur dies aeternitatis, vel tempora aeterna, non proprie, sed secundum similitudinem accipienda sunt: cum enim Deus sit simplicissimus, nominibus rerum corporalium saepe in Sacris Scripturis appellatur. Observandum est tamen cum Doctissimo Sylvio, quod verbum praesentis temporis aptissime, et propriissime Deo conveniat, in quo nihil est vel mutationi obnoxium, vel tempori subjectum; quia illud verbum aeternitati significandae est maxime idoneum, cum nec mutationem significet, nec temporis successionem, sed magis aliquam cum aeternitate congruentiam. Praesens enim aliquid dicitur ratione praesentis momenti, quod vocatur instans; quod cum sit unicum, et indivisibile totum simul existit: Similiter aeternitas unica cum sit, et indivisibilis; tota simul existit; hoc tamen discrimine, (jam supra assignato) quod instans imperfectum sit, et transeat, aeternitas vero permaneat, et perfecta sit. Unde magis proprie verbum (est) aeternitati significandae congruit, quam tempori praesenti, eo quod illa semper sit, hoc autem non semper]

Quando vero quaedam praeter Deum dicuntur aeterna, intelligenda sunt vel de aeternitate improprie sumpta, pro longissima duratione, ut Psal. 77. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis* - Vel participative, seu propter interminabilitatem tantum, quam habent non ex se, sed ex beneplacito Dei, ut dicitur de igne Inferni. Mat. 25. - *Ibunt hi in supplicium aeternum.*

[Deus est auctor aeternitatis participatae, quatenus facit ut aliquae res aeternitatem participent. Quibusdam enim rebus specialem tribuit immutabilitatem, ac per consequens durationem fixam, et stabilem, talis autem duratio, est aeternitatis quaedam participatio, seu aeternitas participata. Et quia Deus est ante quamlibet similem aeternitatis participationem; ideo dicitur esse ante aeternitatem, scilicet participatam, quod autem dicatur Exod. 3. - *Dominus regnabit in aeternum, et ultra* - non est sensus quod Deus dicatur regnaturus ultra durationem perpetuam, quasi aliquid ultra eam esse possit quantum ad extensionem durationis; sed quia etiamsi foret aliquid perpetuo durans, diversum a Deo, Deus regnaret ultra, quatenus haberet totum suum Regnum simul, quomodo suam durationem non haberet totum simul illud aliud, quod poneretur durare perpetuo. Hanc explicat. tradit Angelic. q. 3. de pot. a. 17. ad 23.]

Quaeritur 3. Utrum aeternitas habeat rationem verae durationis respectu Dei?

Resp. Affirmat. Quia aeternitas se habet respectu Dei, sicut aevum, et tempus respectu creaturarum: sunt enim tres species sub eodem genere; atqui tempus, et aevum sunt verae durationes respectu creaturarum: ergo et aeternitas respectu Dei. Et licet duratio dicat quamdam extensionem successivam partium secundum etymologiam nominis, quantum tamen ad rem significatam, et vi proprii conceptus, non importat successionem, quin imo successio minuit perfectionem durationis, quia duratio quoad rem significatam nihil est aliud, quam permanentia rei in esse, unde tanto aliquis perfectius durat, quanto minus amittit de esse.

Quaeritur 4. Utrum aeternitas habeat rationem mensurae respectu Dei?

Ante responsionem nota duplicem esse mensuram, extrinsecam, et intrinsecam. Extrinseca est quae mensurat aliquid extra se, et ideo per applicationem ad mensuratum: sic duratio motus primi mobilis, quae est tempus, collata, et replicata per numeros, puta per horas, et applicata per intellectum motibus inferioribus, illos mensurat tamquam duratio uniformior, et regularior. Mensura intrinseca, est quae inest rei mensuratae, et ideo non mensurat per applicationem, sed per informationem, vel per identitatem, unde non distinguitur realiter a mensurato, nec terminat ejus relationem. Sic tempus, quod est mensura extrinseca respectu nostri, est intrinseca respectu motus primi mobilis. Unde duratio motus primi mobilis est secundum diversos respectus mensuratum, et men-

sura: quatenus dicit extensionem successivam, est mensuratum: quatenus dicit perfectiorem uniformitatem, et regularitatem, est mensura.

Resp. probabilius est aeternitatem habere rationem mensurae respectu Dei, et ejus durationis, ita ut duratio Dei, quatenus explicat virtualem ejus extensionem infinite durativam, sit mensuratum, quatenus vero explicat summam uniformitatem, et immutabilitatem in durando, sit mensura. Ita sentire videtur D. Thom. Quaest. cit, et in 1. d. 19. q. 2. a 2.

Prob. Ratio mensurae secundum se nullam involvit imperfectionem, sicque est perfectio simpliciter simplex. Ergo Deo convenit. Quod autem distinguatur a mensurato, et quod mensuratum pendeat a mensura, haec non includit mensuram secundum se, sed quatenus est extrinseca; secundum se vero petit conjungi mensurato, aliter non mensurat. Unde quanto perfectior est mensura, tanto perfectius conjungitur mensurato; ita ut si sit mensura perfectissima, et infinita, identificetur cum illo, sicque reddit illud perfecte sibi conjunctum, et consequenter perfecte mensuratum.

[Ex dictis confutata manet sententia illorum, qui docent aeternitatem esse attributum pure negativum, quod constituitur vel per negationem successionis, vel per negationem dependentiae ab alio: Aeternitas enim est formaliter duratio divini esse, quae est aliquid reale, et positivum; quandoquidem est realis, et positiva permanentia in tali esse, et desitioni opponitur, quae negatio quaedam est. Adde quod negationes illae dependentiae, vel successionis, in quibus rationem formalem aeternitatis constituunt, possunt convenire aliis attributis: nam negatio dependentiae non convenit Deo formaliter, ratione aeternitatis, sed ex eo quod habet esse a se, et est communis omnibus aliis perfectionibus divinis, et similiter negatio successionis convenit immutabilitati, quae etiam motu, et successione caret.]

Quaeritur 5. Utrum aeternitas habeat rationem mensurae respectu creaturarum?

Resp. Aeternitatem esse mensuram creaturarum, sed inadaequatam, et excedentem.

Ratio est quia aeternitas est mensura actionis divinae, qua creaturas producit, et conservat in suo esse: ergo est etiam mensura terminorum hujus actionis.

Est autem mensura inadaequata et excedens quantum ad duo. 1. quantum ad extensionem, quia omnes durationes comprehendit sine principio, et fine. 2. quantum ad modum mensurationis, quia modo immutabili mensurat, nec per numerationem, sed per summam unitatem, et indivisibilitatem.

[Id quod in ratione mensurae habet omnimodam immutabilitatem, in mensurando non admittit successionem: ita quod non solum in se, sed etiam in mensurando, exhaurit totum mensuratum unica mensuratione indivisibili, et non per replicationem mensurationum. In hoc itaque elevatur eminentia aeternitatis supra omnes mensuras creatas, quod creatae non possint unica mensuratione, et per modum immutabilis unitatis, et possessionis totam quantitatem sui mensurati exhaurire: sicut ulna non potest mensurare totum pannum, qui habet multas ulnas, nisi replicando, et numerando suam mensurationem, et applicationem; unde quantitas panni, non exhauritur unica mensuratione, sed pluribus: aeternitas autem quia non solum est fixa, et immutabilis in se, sed etiam in mensurando totam quantitatem rerum mensuratarum unica mensuratione exhaurit, eo quod per modum possessionis perfectae simul mensuret, et non per modum numerationis, et replicationis sui ad mensuratum, vel ipsius ad ipsam. Nec propterea est divisibilis, quia coexistit rei divisibili; nam ei non coexistit per modum adaequationis, sicut quantitas bipalmaris ad id ejusdem magnitudinis commensuratur, sed per modum virtutis, et continentiae eminentialis, sicut anima coexistit corpori, et centrum, quamvis indivisibile, coexistit tamen omnibus lineis a circumfe-

rentia ad illud deductis. Latius de hac materia infra, cum de reali praesentia futurorum in aeternitate.]

Articulus IX.

De Unitate Dei S. Th. Q. II.

Quaeritur Utrum Deus sit Unus?

Nota 1. Ad intelligentiam unitatis Dei S. Doctor expendit nnitatem entis in communi, et docet unum trascendentale non addere supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis; ita ut si unum sumatur prout distinguitur ab ente, dicit formaliter negationem tantum; si autem sumatur in tota sua significatione, dicit formaliter perfectionem, nimirum entitatem indivisam: unum enim formaliter nihil aliud est, quam ens indivisum. Quia tamen prius concipimus rationem entis, quam rationem indivisi, ideo unum concipimus ut passionem entis.

Hoc autem unum transcendentale opponitur privative multitudini, quia significat privationem divisionis. Sed unum quantitativum, quod est principium numeri, opponitur multitudini relativae, quia unitas quantitativa se habet ad multitudinem, sicut mensura ad mensuratum: multitudo enim mensuratur per unitatem replicatam.

Nota 2. Dum quaerimus utrum Deus sit unus, non est quaestio de unitate positiva, et specifica, qua aliquid est ens indivisum in se, et divisum a quo libet alio ejusdem speciei, quo sensu quilibet homo est unus; sed de unitate numerica, et exclusiva, qua aliquid ita est unum, ut excludat quodcumque aliud ejusdem naturae, et sit in ea unicum; quo sensu dicimus Solem esse unum. Quaerimus ergo utrum Deus sit solus, et unicus Deus, ita ut praeter ipsum nullus sit alius Deus.

Nota. 3. Polytheismum, seu Deorum pluralitatem eo usque protendit caeca, et insana Gentilitas Idololatriae penitus addicta, ut, teste Eusebio lib. 5. praepar. Evangelic. cap. 15. Hesiodus triginta millia deorum numeraverit.

[Polythei vocantur ii, qui caeca ducti superstitione pro arbitrio suo plures colunt Deos, cultum divinum, atque omnino indebitum creaturis deferentes: quantum ad Idololatriae, seu falsi numinis cultus primam originem non consentiunt Doctores. Ante diluvium, tempore Henos, coepisse plerique Hebraeorum censent, ut refert S. Hieron. Q. Hebraic. in Genes. Lactantius vero censet l. 2. Institut. c. 14. Idololatriam solum coepisse post Diluvium ex filiis Cham. Hos subsecuti sunt Ægyptii, aliaeque Gentes, inter quos Judaei saepius, et praecipue Romani. Adverto tamen Idololatriam primo sine simulacris, et Imaginibus externis coepisse; A quo autem tempore coeperit cultus simulacrorum non est adeo certum. Verisimile est tempore Thare, et Nachor usitata fuisse Idola, sic ut primi Idolorum effigiatores fuerint Chaldaei, praeeunte Nino Assyriorum Rege contemporaneo Thare, qui fieri curasse traditur imaginem Belo Patri suo, eamque subditis adorandam proposuit, adjectis quibusdam ritibus superstitiosis, ut testatur S. Hieron. in Oseam. c. 2. Progressu temporis simulacrorum religio ubique fere propagata est.

Idololatriae causas quod attinet, variae assignantur. I. Generalis Hominum corruptio, ex primaeva labe contracta, unde veri Dei oblivio. II. Malitia daemonis ob affectatam divinitatis similitudinem puniti. III. Infirmitas, ac indigentia hominis, qui, cum multis prematur malis, patronos undique conquirit, eosque ut Deos colit, a quibus beneficia se putat accepisse. IV. Quaesita ex deorum exemplo in patrandis sceleribus Deorum securitas, et auctoritas: nullum autem tam immane crimen excogitari potest, cujus rei non fuerint dii Gentium, ut ipsis exprobrat Tertullianus in Apologetico. V. Perperam intellecta sapientum doctrina, qui varia Deo-

tribuebant nomina. VI. Ambitio Regum, et Adulatio Populorum. Hinc Romani Imperatores post mortem passim inter Deos referebantur, erectis templis, et constitutis Flaminibus. VII. Immodicus amor parentum erga liberos, et liberorum erga parentes.]

Inter Christianos haeretici non pauci unitatem Dei impugnaverunt, ii praesertim, qui duo principia admittebant: unum bonum rerum invisibilium Auctorem, alterum malum rerum visibilium causam. Tales fuerunt Gnostici duce Carpocrate saeculo 2. Marcionitae, sic dicti a Marcione eodem saeculo, Valentiniani a Valentino eodem saeculo: is ita astruebat duo principia ut unum vocaret *profundum* alterum *silentium*, Marem, et foeminam, ex quorum combinatione prodierunt triginta *Oeonas*, hoc est, triginta saecula. Manichaei tertio saeculo sic dicti a Manete eorum duce, qui fuit servus cujusdam viduae Persae, primo dictus *Cursicus*, postea *Manes* demum *Manichaeus*, Hi sectatores posterioribus saeculis habuerunt Albigenses, et alios. Triteitae alii unitatis Dei hostes sub finem sexti saeculi tres Personas divinas dicebant esse tres Deos. Contra hos omnes Dico.

Deus est Unus.

Prob. 1. ex Scriptura, quae innumera praebet loca pro unitate Dei, quorum pauca retulisse sufficiat. Deut. 6. 4. *Audi Israel: Dominus Deus noster Dominus unus est.* Et cap. 32 *Videte quod Ego sim solus et non sit alius Deus praeter me*, Joan. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* 1. Cor. 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus.*

Prob. 2. ratione I. Deus est Ens infinite perfectum: atqui non possunt esse duo vel plura entia infinite perfecta: ergo. Prob. min. Si essent duo entia infinite perfecta, oporteret ea inter se differre; illud autem, quo differrent, esset vel imperfectio, et hoc dici non potest, quia ens infinite perfectum nullam admittit imperfectionem; vel esset perfectio, neque id dici potest, alias uni deesset perfectio, quam alter haberet, sicque istud primum non esset infinite perfectum: Ergo.

II. Nomine Dei intelligimus supremum mundi Rectorem, et gubernatorem, atqui unicus est mundi Gubernator: ergo unicus Deus. Prob. min. Diversa, et inaequalia mundi entia, alia superiora, alia inferiora, ita ordinata sunt, ut alia aliis firma lege deserviant, et coordinentur: atqui sic in unum ordinem convenire non possunt, nisi ab uno ordinentur, quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius, nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Ergo.

[Nec ex hoc sequitur Mundum non fuisse conditum a tribus Personis Divinis, sed tantum ab una: Nam Personae Divinae non produxerunt mundum, quatenus Personae sunt; sed produxerunt, conservant, et gubernant Universum quatenus sunt Natura divina, et Unus Deus; una voluntas, una omnipotentia; ideoque Lateran. IV. Cap. *Firmiter* dicit: *Natura divina, quae sola est Universorum principium.*]

Instauratur magis secunda ratio. Si essent duo, vel plures Dii, vel unus sufficeret ad gubernationem totius universi, ita ut idem omnino, et omni modo faceret, quod alter; vel non sufficeret, sed alterius ope indigeret, ita quod unus aliquid, aut aliquo modo, et alter aliud, aut alio modo faceret. Si primum. Ergo iste alter est superfluus, nihil est autem absurdius, quam ponere Deum superfluum. Si secundum: ergo neuter est Deus, quia neuter est omnipotens, neuter factor omnium; et ordinatio rerum, quae est quid perfectissimum in toto universo, est effectus per accidens, scilicet a pluribus causis fortuito in unum concurrentibus.

Item vel unus conveniret necessario cum alio in regimine universi, ita ut ab illo dissentire non posset, vel esset liber, et posset ab illo dissentire: Si primum: ergo non est Deus utpote dependens ab altero, et illi subjectus. Si secundum; casu quo dissentiret, et alio modo de rebus universi vellet disponere, aut unus in hoc bello praevaleret, et omnia sibi subjiceret, et sic alter imbellis, et victus Deus

non esset ; aut neuter praevaleret, sed quisque sibi certam portionem creaturarum subjiceret, et sic neuter esset Deus, quia neuter omnipotens, et ordo universi dissolveretur. Ergo necessum est ponere unicum Mundi Gubernatorem.

Dices. In Scripturis multi appellantur dii. Psal. 81. *Ego dixi : dii estis, et filii excelsi omnes* : Ibid *Deus stetit in synagoga Deorum.* Et alibi.

Resp. cum Catechismo Rom. par. 1. 2. 9. *Quod Sacrae litterae Prophetas, et Judices Deos appellarunt, non Gentium more factum est, quae sibi plures Deos stulte, et impie finxerunt, sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quae Dei munere illis concessa est.* Sic *dii* appellantur Prophetae propter revelationem futurorum illis factam. *Judices* propter auctoritatem vitae, et necis illis concessam. *Justi* propter inhabitantem Spiritum Sanctum: etc.

DISSERTATIO IV.

De visione Dei a Nobis.

D. Thom. 1. p. Q. 12. et 13.

In superioribus consideravimus qualiter Deus sit secundum seipsum, nunc considerandum est qualiter sit in cognitione nostra, id est quomodo cognoscatur a nobis.

Multipliciter Deus potest a nobis cognosci. 1. Abstractive per effectus, sic per creaturas cognoscimus naturaliter Deum, ut auctorem naturae : juxta illud Ap. ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* 2. Supernaturaliter, sed per fidem. 3. Supernaturaliter clare et intuitive, ut est in se, quomodo Beati in Coelo eum vident. Haec Dei cognitio dicitur visio ; quia sicut dicimus rem corpoream videre, quando eam praesentem clare, et intuitive oculo corporeo attingimus, ita dicimus rem spiritualem videre, quando intellectus, qui est oculus mentis, clare et intuitive fertur in eam, ut realiter sibi in se praesentem.

Articulus I.

Utrum Essentia Divina videri possit oculo corporeo?

Sunt qui contendunt Deum ut est in se videri posse, et de facto videndum oculo corporeo non crasso, et materiali, ut nunc est, sed glorificato, non per visionem corpoream, sed per visionem spiritualem ipsi unitam. Contra quos cum Auctore, et communi sententia

Dico 1. Deus ut est in se, videri non potest oculo corporeo etiamsi glorificato. Est contra Magistrum Bonae Spei et ejus discipulos Patres Carmelitas Calceatos.

Prob. 1. ex Scriptura 1. Tim. 1. dicitur : *Regi saeculorum immortali et invisibili* : et c. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Atqui istae auctoritates, debent intelligi de visione per oculum corporeum : 1. Quia sic communiter interpretantur SS. PP. et Theologi: non licet autem interpretari scripturam contra communem sensum SS. Patrum et Theologorum. 2. Quia non potest intelligi de visione per mentem, siquidem in pluribus aliis Scripturae locis declaratur Deum esse visibilem oculis mentis, ut 1. Joan. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Probatur 2. ex Patribus. Origenes contra Celsum dicit : *Falso igitur nobis imponit Celsus, dicens nos sperare oculis corporeis Deum esse visuros* : et addit, quod sola mens Deum videat. S. Cyrillus Jerosol. Catech. 9. *Carnis quidem*

oculis cerni Deus non potest ; nam incorporeum sub corporeos oculos cadere nequit. S. Athanas. apud S. Aug. Epist. III. dicit, *secundum Deitatis suae proprietatem , omnino Deum esse invisibilem .... nisi in quantum mente ac spiritu nosci potest.* S. Ambros. apud eumdem ibid. ut infra citabitur. S. Hieron. apud eundem ibid. idem asserit et probat , *quia res incorporalis oculis non videtur.*

Quantum ad S. Augustinum, de quo potissimum est difficultas, eum constanter tenuisse nostram sententiam , multis evincitur. 1. Epist. 6. ad Italicam dicit: *Hoc* (nempe Deum) *oculos videre corporis, neque nunc potest , neque tunc poterit;* quod multis argumentis probat , et oppositam opinionem insipientiam et dementiam vocat. Epist. 112. seu lib. *de videndo Deo* , postquam eandem sententiam confirmavit in priori , et in hac epistola ex Scripturis , ex SS. Ambr. Hieronym. Athanasio citatis , concludit sic verbis Ambrosii : *Nec in loco Deus videtur , nec corporalibus oculis quaeritur* ; et addit ; *Hanc autem etiam meam esse sententiam confiteor.* In Psalm. 41. post initium : *Non quidem videri Deus nisi animo potest* : et alibi pluries. Tandem S. Fulgentius ejus discipulus , cui S. Doctoris mens melius perspecta erat , quam sit quibusdam recentioribus ; ad q. tertiam Ferrandi, testatur hanc esse sententiam sui magistri , eique subscribit his verbis : *Oculis corporalibus Deus spiritus non videtur* , et , *non corporis, sed animae oculis Deus suam visionem promittit.*

Prob. 2. ratione. Deus est spiritus ; atqui est absolute impossibile spiritum videri oculo corporeo. Ergo. Prob. Min. Impossibile est aliquam potentiam ferri extra latitudinem sui objecti adaequati et extensivi , alioquin foret adaequatum et extensivum , ut supponitur , et non foret , quia ultra illud potentia supernaturaliter se extenderet : atqui spiritus non continentur intra latitudinem objecti adaequati et extensivi oculi corporei : ergo . Probatur minor . Objectum adaequatum oculi corporei , sicut et omnis potentiae materialis , est quid corporeum et materiale , nimirum oculi color , auris sonus , odoratus odor etc. quod patet tum ex sensu communi hominum , tum ex definitione istarum potentiarum ; visus enim communiter definitur , potentia perceptiva coloris lucidi ; auditus , potentia perceptiva soni ; et sic de caeteris. Ergo.

Ut efficacia hujus rationis melius percipiatur. Nota differentiam inter objectum adaequatum , seu extensivum , et objectum proportionatum alicujus potentiae. Sub proportionato comprehenduntur tantum ea , quae potentia naturaliter, et absque elevatione attingere potest. Adaequatum autem , et extensivum compraendit omnia, ad quae potentia , etiam supernaturaliter , et ut elevata ferri potest. Objectum adaequatum oculi corporei , alteriusve sensus materialis , certo minus late patet quam objectum intellectus , quia eo minus aliqua potentia extenditur , quo magis est materialis. Per materiam enim limitantur potentiae activae , unde videmus quod objectum sensus externi sit magis restrictum , quam objectum sensus interni , et hujus quam intellectus , quia sensus externus est magis materialis, quam internus , et hic quam intellectus , qui cum non habeat secundum communem rationem intellectus limitantem materiam , est illimitatus , et fertur in quodcumque ens , et in rationes communes entis a materia praecisas . Consequenter objectum adaequatum sensus materialis debet esse materiale , et si se posset supernaturaliter extendere ad spiritualia , et ad Deum , foret illimitatus sicut intellectus , imo foret intellectus supernaturaliter , quia esset supernaturalis potentia perceptiva veri , et entis ut sic.

Confirmatur Deus magis distat in ratione objecti ab objectis sensibilibus, quam unum sensibile ab altero sensibili v. g. quam color a sono. Atqui absolute fieri non potest , quod oculus audiat sonum , et auris videat colorem ; alioquin jam non forent duo sensus distincti , sed oculus foret auris , et auris oculus. Ergo a fortiori fieri non potest , ut Deus videatur oculo corporeo.

Respondent discipuli Bonae Spei cum suo magistro , haec omnia probare ocu-

lum corporeum non posse videre Deum visione corporea, at non visione spirituali ipsi unita. Sed contra 1. Patres laudati in prima probatione dicunt Deum videri non posse, nisi sola mente. 2. Visio est actio vitalis; ut actio, debet necessario esse ab agente, conceptus enim actionis est formaliter conceptus egressionis; ut vitalis, debet esse neccessario ab intrinseco se movente, per id enim distinguimus viventia a non viventibus, quod viventia se moveant ab intrinseco, secus mortua: ergo est impossibile, quod oculus corporeus videat visione spirituali sibi unita. 3. Visio spiritualis est intellectio, fieri autem autem non potest, quod oculus corporeus intelligat; quia quod non est intellectivum in actu primo, non potest magis intelligere in actu secundo, quam lapis aut lignum. Denique inde sequeretur pariter, oculum bruti posse videre Deum visione spirituali sibi unita, et esse beatum.

Objicies 1. ex Scriptura: Job. 19. *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Ergo.

R. Quod cum dicitur, *in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*, non intelligitur, quod oculo carnis Deum sit visurus; sed quod *in carne* existens, post resurrectionem Deum sit visurus: hoc est, videbo Deum in carne, sed non per carnem. Et cum addatur, *quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt*: sensus sit; ego existens in carne, videbo oculis mentis Deum, et oculis corporalibus Deum hominem factum, juxta S. Aug. l. 2. de civit. Dei, cap. 29.

Objic 2. In quolibet datur potentia obedientialis ad quodlibet, ex cujus productione non sequitur contradictio. Ergo oculus corporeus potest elevari ut videat Deum visione spirituali cum in hoc nulla appareat contradictio.

Resp. Dist. Ant. In quolibet datur potentia obedientialis ad quodlibet, instrumentaliter, et mere efficienter. Conc. Ant. Principaliter, et vitaliter N. Ant. Quia causa principalis agit virtute propria; si ergo elevatur ultra propriam, hoc ipso desinit agere ut causa principalis. Similiter actio vitalis, qua talis petit esse a principio intrinseco sibi proportionato: sicut enim actio vitalis in genere debet esse a principio vitali in genere, et ideo actio vitalis, qua talis non potest esse a lapide, ita actio vitalis in tali specie necessario debet esse a principio vitali in tali specie. Unde sicut visio qua vitalis non potest esse ab aure, ita nec visio spiritualis qua vitalis, potest esse a principio vitali corporeo. Oculus autem corporeus est causa principalis, et vitalis, suae visionis, qua dicitur formaliter, et vitaliter videns. Si ergo instrumentaliter, et mere efficienter produceret, aut reciperet visionem spiritualem, non esset per eam formaliter vitaliter videns, sed ad illam se haberet mortuo quodam modo; sicut aqua in baptismo, se habet ad productionem gratiae.

Articulus II.

Utrum intellectus creatus supernaturaliter adjutus possit videre Deum, ut in se est?

Suppono intellectum creatum non posse per solas naturae vires videre Deum ut in se est. Ita definitum fuit in Concilio Viennensi sub Clemente V. anno 1311. contra Beguardos et Beguinas. Si enim solis naturae viribus non possumus elicere actus fidei, spei, et charitatis, quia sunt supernaturales, ut definitum est in variis Conciliis contra Pelagianos, a fortiori nec Dei visionem intuitivam, quae est magis supernaturalis, cum haec sit finis, illa media. Unde Rom. 3. dicitur *Gratia Dei vita aeterna*, vita autem aeterna est ipsa Dei visio.

Quantum ad rationem a priori cur haec visio sit Supernaturalis, seu excedat vires naturae, profert hic. S. Thom. Objectum, cujus modum essendi excedit modum essendi naturae cognoscentis, non potest ab ea naturaliter, seu solis ejus viribus cognosci quidditative, seu ut est in se. Atqui modus essendi in Deo in infini-

tum excedit modum essendi cujusvis intellectus creati, sive humani, sive Angelici. Ergo. Minor patet; sunt enim modi essendi triplicis generis. Quaedam sunt, quorum natura habet esse in materia, ut sunt corporalia. Quaedam sunt sine materia, non tamen sunt suum esse, sed sunt in potentia ad illud, sicque habent aliquid, quod est in eis per modum materiae, quales sunt Angeli. Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens, ideoque actus purissimus ab omni materia, et a quovis alio se habente per modum materiae.

Prob. Maj. Cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente. Atqui cognitum est in cognoscente secundum modum cognoscentis; quod enim est in aliquo, est in eo ad modum ipsius, ita ut si natura cognoscens habeat esse in materia, qualis est anima rationalis, naturaliter cognoscet omnia ad modum quidditatis materialis, per species abstractas a sensibilibus. Si habeat esse potentiale ad existentiam, ut Angeli, cognoscunt alia ad modum sui: Deus autem cognitus ad modum quidditatis materialis, vel potentialis non est cognitus quidditative ut est in se, cum ipse sit summ esse, et actus purissimus. Ergo objectum, cujus modus essendi excedit modum essendi naturae cognoscentis, non potest ab ea naturaliter cognosci quidditative, et ut est in se.

Dico. Intellectus supernaturaliter adjutus potest videre Deum, ut est in se. Est contra Palamitas et Armenos, atque contra illos sic definitum a Conc. Flor. in Decreto unionis dato pro Graecis et inserto per integrum in Decr. pro Armenis, in quo dicitur animas purgatas *in Coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est.* Idem definierat Benedictus XII. in Extr. *Benedictus Deo.*

Constat ex Scriptura Joan. 13. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Si non per aenigma et per speculum; ergo non per effectus, ergo intuitive in se, quod significat facie ad faciem. Item si cognoscam ut sum cognitus: ergo intuitive, sum enim intuitive cognitus.

Suffragantur passim SS. Patres, singulariter Chrysostomus, de quo est difficultas: is Hom. 69. ad Popul. dicit beatos Regem ipsum intueri *non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem.* Idem in Epist. 5. ad Theodorum Lapsum cap. 7. exponens illa S. Petri verba Matth. 17. *Bonum est nos hic esse*, dicit: *Quid diceret quando ipsa rerum veritas aderit? quando apertis regiis aedibus ipsum Regem conspicere licebit, non ultra in aenigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem.* Item alibi.

Probatur ratione fundata in principiis fidei. Homo potest supernaturaliter assequi suam beatitudinem, ad quam ex gratia Dei est elevatus: atqui intuitiva Dei visio constituit essentiam beatitudinis secundum S. Thomam, aut saltem ad eam necessario requiritur secundum omnes, juxta illud Joannis 16. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ergo.

Quamvis Deus clare visus non contineatur intra objectum connaturale, et proportionatum intellectus creati, continetur tamen intra objectum ejus adaequatum, et extensivum, quatenus est ens, verum, et intelligibile. Intellectus enim creatus est capax omnis intelligibilis. Atqui intellectus supernaturaliter adjutus potest attingere quod est intra latitudinem sui objecti adaequati. Ergo.

Pro solutione objectionum, quae desumi possunt ex textibus S. Scripturae, quibus Deus vocatur invisibilis ut 1. Timot. 1. *Regi saeculorum immortali, et invisibili*, et ibid. cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et alibi; adverte, has, et similes auctoritates debere intelligi, vel de visione Dei corporea, vel intellectuali per vires naturae, vel de comprehensiva, non vero de visione quidditativa per auxilium supernaturale.

Objic. Nulla potentia potest etiam supernaturaliter elevari ultra latitudinem sui objecti specificativi, alias transiret limites suae essentiae: Atqui Deus clare visus non continetur intra latitudinem objecti specificativi intellectus creati, sive Angelici, sive humani. Ergo etc.

Resp. Dist. Maj. Si objectum specificativum, sit etiam adaequatum, Conc. Maj. Secus Nego. Et ad hunc sensum distincta minori, Nego conseq. Nec inde sequitur Intellectum creatum transire limites suae essentiae, et non remanere eumdem, quia remanet semper idem ejus specificativum connaturale et proportionatum, a quo hauriit speciem, nec aliud attingit ut specificativum, quia non sub eadem ratione formali motiva attingit, sed ut elevatus supernaturaliter, ratione capacitatis passivae, quae major est, quam virtus ejus activa, eo quod in ratione potentiae spiritualis, ut sic, habeat immaterialitatem absolutam, et completam, segregatam ab omni materia, adeoque receptivam, seu actuabilem ab omni intelligibili, et si perfectissimo; (modo tamen finito) quia modus informandi, et immutandi potentiam intellectivam ex parte objecti intelligibilis, quantumcumque sit perfectissimus, non est alius, quam modus spiritualis, excludens omnem materiam corpoream. Ergo hoc ipso quo aliqua potentia est immaterialis est capax cujuscumque intelligibilis, quia est capax ut actuetur spirituali modo, qui in omnibus unus est. Unde fit quod virtus ejus activa ratione talis capacitatis passivae possit elevari ultra suum objectum specificativum, et connaturale.

[Ex quo colliges Intellectum creatum non concurrere ad visionem beatificam ut merum instrumentum, sed ut causam secundam principalem, elevatio enim est quidam ei tota ratio proxima, et formalis operandi, seu videndi Deum, sed tamen supponit in ipso intellectu, qui elevatur, virtutem activam radicalem, et remotam, quae per elevationem constituitur in ratione potentiae proximae per ordinem ad effectum, qui licet excedat ejus naturam, continetur tamen intra latitudinem sui adaequati objecti; Instrumentum autem nullam habet activitatem etiam radicalem, et remotam ad effectum causae principalis, aqua enim v. g. non habet virtutem radicalem ad producendam gratiam in baptismate, sed elevatio est tam proxima, quam radicalis, et remota ipsius ratio attingendi effectum, quem proinde mere instrumentaliter, et mortuo quodam moto attingit]

Petes utrum possibilitas visionis beatae possit solo lumine naturali demonstrari, aut cognosci?

Resp. Probabilius negative. Ratio est: quia visio Dei intuitiva est omnino supernaturalis, non solum in ratione entis, sed etiam in ratione veri, et cognoscibilis, cum neque a priori per causam naturalem, neque a posteriori per effectum naturalem cognosci, aut demonstrari possit; nullam enim habet connexionem cum causa, aut effectu naturali ex cujus cognitione, mens ascendat ad illam indagandam, aut demonstrandam; ita ut si non existeret, aut non foret possibilis ista visio, res omnes naturales forent nihilominus eodem prorsus modo, quo nunc sunt.

Quantum ad rationes, quibus eam probavimus, prima est Theologica, cujus una praemissa est de fide. Alia suadet tantum probabiliter, et moraliter possibilitatem hujus mysterii, supposita fide, sine qua, nullam ejus cognitionem haberemus; et insuper cognita per fidem ejus veritate, solvimus objectiones, et repugnantias, quae contra ipsam opponuntur, quod est ostendere hujusmodi mysterium non probari impossibile, seu falsum; sed an non lateant aliae repugnantiae in ente supernaturali, naturaliter nobis est impervium, sicque naturaliter non possumus demonstrare positive visionem beatificam esse possibilem.

Articulus III.

Utrum aliquis in hac vita viderit, possitive videre Deum, ut est in se?

Suppono hominem purum de lege ordinaria non posse in hac mortali vita videre Deum, ut est in se, juxa illud Exod. 33. *Non videbit me homo, et vivet.* Ratio est, quia cognitio naturalis hominis viatoris non est nisi rerum sensibilium et materialium, seu saltem per species a rebus sensibilibus haustas; tali autem cognitione Deus non potest videri, ut est in se, cum nec sit sensibilis aut materialis, nec per speciem videatur, ut dicemus infra.

Dico. Homo viator in carne vivens, sed sensibus carnis non utens, per potentiam Dei extraordinariam, et praeter communem rerum ordinem potest elevari ad claram ejus essentiae visionem; idque Moysi et Paulo fuisse concessum probabile est. S. Th. 2. 2. q. 174. a. 4. et q. 175. a. 3. et q. 176. a. 2.

Prima pars est communis et certa: quamvis enim intellectus pro hoc statu dependeat a sensibus in sua cognitione, ista tamen dependentia non est ita ipsi necessaria, ut ab ipsa absolvi non possit de potentia Dei extraordinaria, cum ejusdem sit virtutis intrinsecae in corpore, ac separatus a corpore, in quo statu non dependet a sensibus, sicque factum constat in anima Christi, qui simul fuit viator et comprehensor.

Dixi, *sed sensibus carnis non utens*: quia cum intellectus hominis elevatur ad altissimam essentiae Dei visionem, oportet ut tota mentis intentio illuc advocetur, ita quod nihil intelligat aliud ex phantasmatibus, sed totaliter feratur in Deum.

Secunda pars est August. Epist. 112. ad Paulinam de videndo Deo cap. 13. et lib. 12. in Genesim ad litteram cap. 27. et Auctoris locis supra citatis, quibus adnumerantur Ambrosius, Basilius, et alii contra plures alios SS. Patres.

Probatur ex Scriptura 1. de Moyse *Num.* 12. cum Maria et Aaron locuti contra Dominum dicerent. *Num per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne et similiter nobis locutus est?* Deus autem volens ostendere Moysen prae ceteris privilegio singulari suae visionis esse donatum, dicit eis: *Audite sermones meos; si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses... ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per aenigmata et figuras Dominum videt.*

Huic ergo loco cum SS. August. et Thoma potissimum insistimus et non aliis, v. g. Exodi 33. ubi dicitur, quod Moyses viderit Deum facie ad faciem, quia scimus hos et similes passus de Moyse sicut et de aliis prophetis, de quibus idem narratur, a Patribus intelligi de quadam eminenti cognitione Dei et de familiaritate cum ipso. Iste vero locus laudatus nusquam sic, aut alio quovis sensu alieno a nostro intelligi potest: nisi enim intelligas de clara visione, jam per aenigmata et figuras Moyses Deum viderit, adeoque sensum Scripturae non salvas, quae dicit Moysen vidisse Deum, non per aenigmata et figuras.

2. De S. Paulo. Ipsemet Apostolus 2. ad Cor. 12. de se ipso sic ait: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus, nescio: Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.*

Haec ineffabilia, (inquit S. Thom. 2. 2. *q.* 175. *a.* 3. *o.* sunt ea, quae pertinent ad visionem Beatorum, quae excedit statum viae, justa illud Isa. 46. *v.* 4. *Oculus non vidit Deus absque te, quae praeparasti expectantibus te.* Et certe si sanctus Paulus non vidisset essentiam divinam, Mysteria Trinitatis et Incarnationis, sed tantum per fidem cognovisset, potuisset illa eloqui.

Ex his igitur sic argumentor.

Illa, quae pendent ex libera Dei voluntate, aliunde nobis innotescere non possunt, quam ex sacra Scriptura, per quam divina voluntas nobis manifestatur: atqui sacrae Scripturae, ut patet, naturali et litterali sensu acceptae, aperte tradunt Moysen et Paulum Deum vidisse, idque nullam involvit repugnantiam aut incongruentiam, cum id esse possibile omnes concedant: ergo.

Confirmatur ratione congruenti SS. Aug. et Th. Sicut Moyses fuit primus Doctor Judaeorum, ita Paulus fuit primus Doctor gentium; ergo congruum erat ut viderent divinam essentiam, mysteriorumque essent testes oculati, quo melius et solidius illi judaeos et gentes docerent.

Obj. Visio Dei facit hominem beatum, atqui neque Paulus, neque Moyse per illas visiones, quas habuerunt fuerunt Beati: Ergo. etc.

Resp. Dist. Maj. Visio Dei permanens facit hominem beatum C. Maj. Visio transiens, subdistinguo; facit hominem beatum permanenter, et absolute. N. Secundum quid. Conc. Divina Essentia videri non potest nisi per lumen gloriae, quod dupliciter participari potest, uno modo per modum formae permanentis, et sic Beatos facit Sanctos in Patria: alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dicitur de lumine Prophetiae, et hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit, (idem dic de Moyse) et ideo ex tali visione non fuit simpliciter beatus, ut fieret redundantia ad corpus, sed solum secundum quid: Evidentia vero, quam habuerunt Paulus et Moyses ex visione Divinae Essentiae: non remansit in eis habitualiter, sed sub obscura tantum, et caliginosa cognitione rememorativa, tum quia non viderunt per speciem; tum quia lumen gloriae fuit in eis transeunter, et per modum passionis communicatum.

Petes; utrum hoc privilegium videndi Deum in hac vita mortali fuerit concessum alicui alteri a Moyse et Paulo.

R. Pium est existimare hanc praerogativam Beatissimae Virgini non fuisse denegatam. Etenim rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigentum a Patre plenum gratiae et veritatis prae omnibus aliis majora privilegia gratiae acceperit. Quae objici possunt ex Scriptura et Patribus, intelligi debent secundum legem Dei ordinariam vel de visione comprehensiva.

Articulus IV.

De Lumine Gloriae.

Duplex distinguitur principium visionis beatificae; unum se tenens ex parte objecti illud repraesentans intellectui, et dicitur *Species*. Aliud se tenens ex parte potentiae illam elevans et perficiens ad hanc visionem, et dicitur *Lumen gloriae*. [Ratio qua haec vis elevans intellectum ad videndum Deum, dicitur *lumen* traditur a S. Thom. hic. Q. 12. a. 2. *Virtus intellectualis creaturae lumen quoddam intelligibile dicitur, quasi a prima luce derivatum, sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiae, vel gloriae; Unde virtus ista confortans intellectum ad videndum Deum, vocatur Lumen gloriae, de quo dicitur* in Ps. 35. In lumine tuo videbimus lumen.] De Lumine gloriae in hoc articulo agemus, de specie in sequenti.

§. I. *Utrum intellectus creatus indigeat lumine gloriae ad videndam Dei essentiam?*

Dico: Intellectus creatus indiget lumine gloriae ad videndum Deum intuitive. Est de fide decisa in Conc. Viennensi contra Beguardos, et Beguinas, qui

contendebant Animam non indegere lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum, et eo beate fruendum.

Prob. 1. ratione. Potentia, quae de se et intrinsece est impotens ad aliquem actum, ut eliciat hunc actum, indiget intrinsece elevari, corroborari et perfici per aliquam virtutem in se receptam. Atqui intellectus creatus ex dictis *art.* 2. est de se intrinsece impotens ad videndum Deum. Ergo ad eliciendam hanc visionem indiget elevari, corroborari et perfici per aliquam virtutem in se receptam. Haec autem virtus vocatur a Theologis *lumen gloriae*; quia aliquo modo se habet ad intellectum respectu visionis beatae, sicut lumen corporale ad oculum respectu sui objecti.

Objic. Quod est per se lucidum non indiget alio lumine ut videatur; atqui Deus est per se lucidus, est enim ipsa lux intelligibilis: Ergo.

Resp. Dist. maj. Quod est per se lucidum non indiget alio lumine ut videatur ex parte sui, seu in quantum est ex se. Conc. ex parte potentiae videntis, quae cum sit debilis confortari debeat, Nego. Lumen igitur gloriae est medium per quod videtur Deus non tamquam per similitudinem, sed tamquam per virtutem confortantem intellectum ad visionem Dei immediatam. Et ideo potest dici quod non sit medium, *in quo* Deus videtur, sed *sub quo* videtur, quod non tollit immediatam Dei visionem.

Inst. Virtus confortans, et perficiens potentiam vitalem ad actum vitalem, debet esse vitalis, atqui lumen gloriae non est vitale, cum proveniat ab extrinseco. Ergo.

Resp. Virtus perficiens potentiam vitalem ad actum vitalem debet esse vitalis ut quod, vel ut quo C. Ut quod semper N. Sic semen est principium vitae, licet non sit vitale ut quod, sed ut quo, similiter habitus v. g. charitatis, justitiae, scientiae perficiunt potentias ad actus vitales, quia licet non sint vitales ut quod, sunt tamen ut quo. Unde ad minorem juxta hunc sensum dico, quod licet lumen gloriae non sit vitale ut quod, quasi in se habens vitam, est tamen ut quo, quia est vis quaedam ordinata ad elevandum intellectum ad altiorem vitam beatam. Et cum dicitur in minori, quod illa proveniat ab extrinseco, respondeo, quod illud extrinsecum sit Deus, qui est primus auctor vitae.

§. II. *Quid sit Lumen gloriae?*

Dico 1. Lumen gloriae non est ipse Deus, non ejus concursus simultaneus, nec concursus actualis praevius.

Prob. prima pars. Lumen gloriae debet intrinsece recipi in intellectu ipsum informando, et ipsi inhaerendo, eo quod intrinsece eum debeat reddere potentem, et proportionatum, nihil enim ex impotente, et improportionato, redditur intrinsece potens, et proportionatum, nisi per aliquod intrinsece receptum; atqui hoc modo Deus non potest recipi in intellectu: Ergo etc.

Prob. secunda pars. Vel ex illo concursu Dei simultaneo derivatur in intellectu aliqua virtus intrinseca, vel nulla; si primum dicatur non est pure concursus simultaneus, qui causam non attingit sed tantum effectum; sicque habemus intentum; illud enim superadditum intrinsece, erit lumen gloriae, eo modo, quo infra definiemus. Si secundum ergo intellectus non fiet intrinsece potens, et proportionatum ad videndum Deum. Probatur haec illatio. Impossibile est, quod id, quod est ex se, et ex natura sua impotens, et improportionatum ad aliquid, fiat intrinsece potens, et proportionatum, nisi intrinsece mutetur, adeoque nisi aliquid in se recipiat. Ergo.

Prob. tertia pars. Concursus actualis praevius non reddit potentiam potentem, et proportionatam, sed eam supponit: atqui datur lumen gloriae ut intellectum elevet, perficiat, et proportionatum reddat visioni beatificae. Ergo.

Dices contra secundam partem. Impotens ad trahendam navim, fit potens per concursum alterius. Ergo similiter intellectus, etc.

Resp. N. Conseq. disparitas est, quod impotentia ad trahendam navim oriatur ex excessu intensivo effectus in eodem ordine: unde modo multiplicetur virtus sive ab intrinseco, sive ab extrinseco in eodem ordine, ponitur potentia sufficiens ad talem effectum. At vero impotentia ad visionem Dei in intellectu creato, oritur ex eo quod illa visio sit altioris ordinis: unde semper intellectus erit impotens, nisi per formam supernaturalem ad hunc ordinem evehatur.

Dico 2. Lumen gloriae in Beatis est qualitas permanens, seu habitus supernaturalis infusus inhaerens intellectui, ipsum elevans, et perficiens ad videndum Deum.

Colligitur ex Divo Thoma, qui 1. p. q. 12. a. 5. ad 1. dicit: *Lumen gloriae esse necessarium ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per modum habitus.*

Probatur ratione. Potentia connaturalius, et facilius agit per formam permanentem, quam per auxilium transiens: id enim magis accedit ad modum agendi naturalem. Unde sicut datur charitas habitualis in Patria ad amandum Deum, ita datur lumen habituale ad videndum illum.

Caeterum circa datam definitionem duo sunt observanda. Primum quod quamvis sit de fide ex Conc. Vienn. requiri lumen gloriae ad visionem Dei, non tamen sit de fide istum lumen esse habitum, quia licet Concilium dixerit requiri lumen gloriae, non tamen expresse determinavit istud lumen esse habitum. Alterum observandum est, quod habitus supernaturales in hoc distinguuntur a naturalibus, quod illi non supponant potentiam proximam, scilicet ad agendum, sicut naturales; nec dent tantum bene, vel male, aut facilius agere, sed posse agere simpliciter, et ideo habent modum quemdam potentiae: ideoque lumen gloriae in Beatis quamvis sit habitus, habet tamen modum potentiae.

Petes. 1. Quot sint munia Luminis gloriae?

Resp. Tria esse. Primum, et praecipuum corroborare, et elevare intellectum ad eliciendam visionem beatificam. 2. disponere intellectum ad receptionem Divinae Essentiae in ratione formae intelligibilis. 3. eumdem intellectum disponere ad receptionem ipsius visionis beatificae, quia cum visio beatifica sit actio immanens, hoc ipso, quo lumen gloriae disponit ad hanc visionem eliciendam, disponit etiam ad illam recipiendam.

Petes. 2. Utrum in omni Agente Creato congenita sit potentia obedientialis activa immediate quorumcumque effectuum supernaturalium, mediante solo concursu supernaturali?

Resp. Negative. Potentia enim hujusmodi implicat contradictionem; foret siquidem naturalis, et supernaturalis simul: naturalis, quia omnibus agentibus naturalibus esset congenita, et eorum naturam sequens ut proprietas; supernaturalis, quia immediate ordinaretur ad effectus supernaturales. Item foret finita, quia creata, et simul infinita, quia esset productiva effectus perfectioris, et perfectioris in infinitum. Agnoscenda est dumtaxat in Creaturis potentia obedientialis passiva respectu eorum, quae naturae facultatem excedunt, quatenus a natura habent aptitudinem ad recipiendas formas, quibus elevantur, et perficiuntur ad illos effectus supernaturales.

Petes 3. Utrum de Potentia Dei absoluta sit creabilis intellectus, cui connaturale sit lumen gloriae?

Resp. Negative. Prob. Intellectus, cui foret connaturale lumen gloriae, esset supernaturalis; intellectus supernaturalis supponeret substantiam supernaturalem, cujus esset potentia. atqui implicat dari substantiam creatam supernaturalem: ergo. Major conceditur ab adversariis. Minor probatur. Supernaturalitas consistit in ordine trascendentali ad Deum, ut est in se, et elevatus super totam naturam

tamquam ad objectum specificativum, et finem connaturalem, ut probaur in Tract. de Gratia, consequenter ens supernaturale constituitur esentialiter per ordinem ad aliquid extrinsecum, scilicet ad Deum ut trascendit omnem creaturam : atqui implicat dari substantiam creatam, maxime si sit completa, quae constituatur essentialiter per ordinem ad extrinsecum, quia substantia completa est ens in se, et ad se, sicque habet suum constitutivum intra propriam lineam, ita ut non possit suam speciem emendicare ab aliquo extrinseco. Ergo.

Hinc habes discrimen inter substantiam, et accidens quantum ad supernaturalitatem, et quare cum repugnet dari substantiam supernaturalem creatam, non repugnet accidens supernaturale ; quia accidens cum non sit ens in se, sed ens entis, et affectio substantiae, potest essentialiter constitui per ordinem ad aliquid extrinsecum, sic relatio constituitur per ordinem ad terminum, potentia per ordinem ad actum: Substantia vero cum sit ens in se, et ad se, debet constitui intra propriam lineam independenter a quovis extrinseco ut constitutivo, et specificativo.

Dices: Intellectus lumine gloriae perfusus, non est infinitae virtutis; ergo nihil vetat talem a Deo creari ; si autem crearetur, foret illi connaturalis visio Dei.

Resp. D. Ant. Intellectus lumine gloriae perfusus non est infinitae virtutis, et tamen est elevatus ad ordinem superiorem, scilicet supernaturalem. Conc. Ant. Et remanet in ordine naturali. N. Ant. Impossibile est enim quod res quantumcumque in suo ordine augeatur, unquam pertingat ad perfectionem ordinis superioris ; sic quantumcumque perficiatur corpus in suo ordine, nunquam attingit perfectiones spiritus ; quantumvis ergo perficiatur virtus intellectus naturalis, nunquam attinget perfectionem intellectus elevati ad ordinem supernaturalem.

§. III. *Quomodo lumen gloriae et intellectus concurrunt ad visionem beatificam* ?

Dico 1. utrumque concurrere active.

Prob. 1. pro lumine gloriae. Sic se habet lumen gloriae ad visionem beatificam, sicut charitas ad amorem beatificum, aliique habitus supernaturales ad actus supernaturales : atqui charitas caeterique habitus supernaturales concurrunt active ad actus supernaturales, in quantum scilicet disponunt, perficiunt, elevant et complent potentias ad illos eliciendos. Ergo similiter lumen gloriae respectu visionis beatificae.

Prob. 2. pro intellectu. Visio beatifica est actus vitalis Beati, quin imo ipsius vita beata : ergo effective procedere debet a potentia vitali ipsi intrinseca et ab intrinseco se movente, utpote illius intellectu.

Dico 2. Intellectum non producere visionem beatificam instrumentaliter, sed principaliter.

Probatur triplici ratione. 1. Sic se habet intellectus lumine gloriae perfusus ad visionem beatam, sicut voluntas ad amorem Dei informata charitate ; atqui voluntas informata charitate est causa principalis amoris Dei, et non instrumentalis tantum. Ergo. 2. De ratione instrumenti est, quod elevetur extra latitudinem sui objecti adaequati, ut patet in aqua baptismali, quae elevatur ad gratiam producendam : atqui Deus visus non est extra objectum adaequatum intellectus creati, sed extra proportionatum tantum. Ergo. 3. De ratione instrumenti proprie dicti est ut moveatur motione transeunti, non se movens ab intrinseco, ut patet in serra, securi, etc. Atqui intellectus videns Deum, non ita movetur a Deo motione transeunti, quin seipsum etiam moveat vitaliter, ut modo dicebamus. Ergo.

Dico 3. Intellectus, et lumen gloriae concurrunt ut duae causae totales sub diversa ratione, lumen gloriae ut totalis ratio formalis proxima, quo intellectus elevatur, et proportionatur visionis actui ; intellectus ut totale principium eliciens visionem, sicut voluntas, et habitus charitatis respectu amoris.

Articulus V.

Utrum essentia divina videatur aut videri possit per aliquam similitudinem seu speciem?

Nota 1. Cognitionem nostram fieri quatenus potentia cognoscens trahit res ad se, illas sibi conjungendo, et quia res propter suam materialitatem non possunt entitative ingredi potentiam, indigent specie, quae sit illorum repraesentatio et similitudo formalis, per quam uniuntur potentiae. Species ergo est in esse intelligibili et repraesentativo idem omnino, quod est objectum in esse entitativo, nec ponit in numero cum illo, sicut imago Caesaris est idem omnino in esse imaginis, quod est Caesar in esse naturali, ita species equi v. g. continet in se formam et naturam equi eandem omnino cum illa, quae est in equo, non sub modo naturali, sed sub modo intelligibili, et species hujus numero hominis est hic numero homo in esse intelligibili, alias species non repraesentaret objectum ut est, et per illam non posset cognosci.

Nota 2. duplicem distingui speciem, *impressam* et *expressam*; *impressa* repraesentat objectum ut cognoscibile, *expressa* ut cognitum, *impressa* movet ad cognitionem, *expressa* illam terminat. De hac ergo utraque specie quaestio est, utrum detur, darive possit in visione Dei.

Dico 1. Non datur, nec dari potest species impressa in visione beatifica. Prima pars est communis, secunda est Thomistarum et plurium aliorum.

Probatur prima pars. Species impressa in visione beatifica est superflua: ergo non datur. Probatur antecedens. Tunc requiritur species impressa quando vel objctum non existit, vel non est per se praesens intellectui, vel non est sufficienter intelligibile propter suam materialitatem: atqui objectum visionis beatificae, nempe Deus, essentialiter existit, est intime per se praesens cuilibet intellectui beato, et est summe intelligibilis, quia est summe immaterialis. ergo.

Probatur secunda pars. 1. Species impressa debet convenire cum objecto in eodem gradu immaterialitatis, alias non repraesentabit illud ut est in se, quia in tantum est repraesentativa, in quantum intelligibilis, et in tantum est intelligibilis in quantum immaterialis; unde per species materiales non possumus cognoscere spiritum: atqui nulla species creata vel creabilis pertingere potest ad gradum immaterialitatis, qui Deo competit: ergo,

Probatur 2. Species impressa est ipsa objecti quidditas in esse intelligibili, ut dictum est; atqui implicat quod species creata sit quidditas Dei in esse intelligibili, Ergo.

Prob. Min. Quidditas Dei est suum esse, etiam in esse intelligibili, atqui implicat speciem creatam esse suum esse, etiam in esse intelligibili, et repraesentativo. Ergo.

Dico 2. Non datur, nec dari potest species expressa in visione beatifica. Est quoad utramque partem communior inter Thomistas.

Probatur prima pars. 1. Ad hoc datur species expressa, ut objectum quod est intelligibile per speciem impressam, fiat intellectum actu per expressam, sistatque intra intellectum ut terminus ejus: atqui divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per se ipsam faciens intellectum in actu: ergo. Minor est D. Thomae: et patet, quia divina essentia est actus purissimus in esse intelligibili, sicut in aliis generibus, adeoque intellectus actu, et ut sic intime praesens intellectui. ergo.

Probatur 2. evertendo fundamentum adversariorum. Ideo juxta illos datur species expressa in visione beatifica, quia debet assignari terminus illius actionis ab

ipsa productus: atqui haec ratio nulla est : ergo : Probatur min. Non est de ratione actionis immanentis producere effectum , quamvis id ipsi saepe contingat. atqui visio beatifica est actio immanens : ergo. Probatur major. 1. In hoc distinguitur actio immanens a transeunte , quod haec sit propter effectum , illa vero sit propter perfectionem subjecti , in quo manet. 2. Quia Verbum divinum videt et intelligit , nec tamen producit aliud verbum seu speciem expressam. 3. Quando nos contemplamur pure speculando verbum jam in mente formatum , nullum aliud fingimus , et tunc cognitio est simpliciter *intellectio* et non *dictio* : ergo.

Probatur secunda pars iis fundamentis , quibus probata est secunda pars primae conclusionis : si enim non possit dari species impressa tantae perfectionis et immaterialitatis , quae Deum , ut est in se , repraesentet : ergo nec a fortiori species expressa , cum ista debeat esse perfectior , aut saltem aeque perfecta ac impressa ; ejus enim est repraesentare objectum , ut intellectum in actu secundo , speciei autem impressae repraesentare ut intelligibile tantum in actu primo : ergo.

Objicies 1. Joan. 3. dicitur : *cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* : et Aug. 9. *de Trinitate c.* 11. dicit . *cum Deum novimus ea notitia; Verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia.* Atqui species expressa nihil aliud est , quam Dei similitudo, quae dicitur verbum. Ergo. R. ad 1. quod auctoritas illa loquitur de similitudine , quae est per participationem luminis gloriae. Est enim lumen gloriae participatio divini luminis, quo intellectus Deo videndo proportionatus, eadem cum ipso felicitate fruitur, et idem objectum cum ipso habet , et in his lumen gloriae nos Deo similes efficit. Ad 2. Augustinum loqui de cognitione Dei , quae habetur in via ; eam autem dicit esse verbum et similitudinem , non formaliter sed causaliter, quia producit verbum et similitudinem [*Relinquitur ergo quod oportet* , concludit S. Thomas (*opusc.* 3. *Compend. Theolog. p.* 2. *c.* 9.), *ad hoc quod Deus per suam essentiam videatur ab intellectu creato , quod ipsa divina essentia per se ipsam, non per aliam speciem videatur , et hoc per quamdam unitionem intellectus creati ad Deum. Unde Dionysius dicit* 1. *capit. de divinis nomin. quod* „ quando beatissimum consequemur finem , Dei apparitione, adimpleti erimus per quamdam „ superintellectualem cognitionem ad Deum. „]

Objic 2. S. Thom. Q. 4. de verit. a. 2. dicit : *Verbum est aliquid realiter progrediens ab altero, quod universaliter verum est de omni eo, quod a nobis intelligitur , sive per essentiam videatur, sive per similitudinem.* Ergo.

Resp. Hunc esse sensum S. Thomae. Omne verbum in nobis est aliquid realiter progrediens ab altero , et hoc universaliter verum est (scilicet omne verbum esse aliquid realiter progrediens ex altero) de omni eo quod intelligimus producendo verbum ; ita ut S. Doctor non velit , quod in omni eo , quod intelligimus , producamus verbum ; sed quod omne verbum quod producimus quando intelligimus , sit realiter progrediens ab altero : et hoc manifestum fit ex ratione immediate subjuncta , addit quippe S. Thom. *Ipsa enim cognitio* (hoc est in phrasi S. Thomae ipsum verbum) *est effectus actus intelligendi* , quae ratio probat omne verbum esse realiter progrediens ab altero , quia omnis effectus realiter procedit a causa , non autem omnem intellectionem producere verbum.

Instabis Non est minus de ratione intellectionis producere verbum , quam de ratione amoris producere impulsum : atqui amor beatus , quantumvis sit circa objectum infinite perfectum , tamen producit impulsum. Ergo.

Resp. N. Maj. disparitas est , quod impulsus nec sit ultima actualitas objecti amati , nec perfecta ejus similitudo ; sed ponatur tantum in voluntate, ut perfecte illam compleat, et inclinet circa objectum amatum. At vero verbum , seu species expressa ponitur ut ultima actualitas objecti in esse intelligibili, et debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto , utpote ejus expressa similitudo : id autem pro-

duci ab intellectu creato repugnat circa objectum divinum, tum quia est ex se sua ultima actualitas in esse intelligibili, tum quia repugnat dari aliquam creaturam, quae sit perfecta Dei similitudo, et ejusdem naturae, et immaterialitatis cum illo. Et quamvis Essentia divina non denominetur extrinsece intellecta ab intellectu creato nisi cum ab illo intelligitur; habet tamen ab aeterno tantam actualitatem in esse intelligibili, quanta sufficit ad actualem intellectionem intellectus creati absque auxilio speciei expressae: unde ut denominetur actu intellecta ab intellectu creato, sufficit quod ipsi in ea actualitate obversetur, absque eo quod producatur species.

Urg. Datur lumen gloriae, quo intellectus creatus videt Deum, quod tamen non est ejusdem ordinis cum Deo. Ergo dari potest et species, qua Essentia divina videatur, licet non sit ejusdem immaterialitatis cum ea.

Resp. N. Cons. disparitas est quod lumen gloriae se teneat ex parte potentiae, quam elevat ad ordinem supernaturalem, et hoc sufficit, ut sit proportionata attingendo Deo finito modo. At species se tenet ex parte objecti ut ejus formalis similitudo ipsum representans ut est in se; nihil autem potest Deum repraesentare ut est in se, nisi sit immateriale, et infinitum sicut ipse Deus.

Petes Utrum Essentia Divina in Visione beata gerat vices speciei impressae, et expressae?

Resp. Affirmative: Speciei expressae tamen secundum quid, et incomplete. Est communis inter Thomistas, et sequitur ex dictis. Etenim in omni intellectione requiritur quod res vel per se, vel per suam similitudinem uniatur intellectui, 1. ut forma intelligibilis ante cognitionem: 2. ut intellecta per cognitionem, quia ex intelligibili, et intelligente oportet aliquo modo fieri unum in intelligendo: et ut fert commune axioma; *ex objecto, et potentia paritur notitia*. Atqui in visione Dei essentia divina non potest uniri intellectui beato per speciem sive impressam, sive expressam, ut probatum est. Ergo unitur per seipsam gerentem vices utriusque.

Dixi de specie expressa, quod Essentia divina ejus vices gerat *secundum quid*, *et incomplete* tantum; quia species expressa, seu verbum duo habet de sua ratione, scilicet quod sit intellectum actu, et quod sit ab alio expressum, seu realiter progrediens: atqui essentia divina unitur intellectui beato ut intellecta actu, non vero ut ab ipso expressa, seu realiter progrediens. Ergo. etc.

Dices: de ratione speciei impressae est quod inhaereat intellectui, ipsum informando, ab eoque dependens. Atqui hoc essentiae divinae repugnat. Ergo non potest speciei impressae vices gerere.

Resp. Dist. Maj. De ratione speciei ut est accidens physicum est quod inhaereat, Conc. Maj. Ut est praecise species, N. Maj. Species enim formaliter qua talis, cum se teneat ex parte objecti, vices ejus gerens in esse intelligibili, nihil aliud ex sua ratione formali importat, quam quod sit ipsius objecti similitudo, est autem per accidens quod sit substantia vel accidens, adeoque quod per se subsistat vel inhaereat. Similiter de ejus ratione est, ut species est, repraesentare objectum intellectui, ipsum hac repraesentatione movere ad intelligendum, et determinare ad hanc intellectionem. Unde si species, aut ejus vices gerens, puta ipsum objectum, sit substantia completa, et actus purus, qualis est Essentia divina, haec omnia prestat, scilicet seipsam repraesentat intellectui, et hac repraesentatione intellectum movet ad intelligendum absque eo quod sit pars dependens a comparte.

[Speciei impressae tria per accidens, et totidem per se competere possunt. I. quod competit per accidens, est quod sit secundum esse naturale substantia, vel accidens. II. quod habeat esse naturale, vel intentionale; in Deo enim, et Angelo respectu cognitionis sui, habet primum, in nobis secundum. III. quod sit idem in esse naturali cum potentia, vel ab ea distincta; in Deo est idem, in nobis est distin-

cta. Primum quod per se competit speciei est, ut sit formalis similitudo sui objecti, et idem cum illo in esse intentionali, et repraesentativo. II. ut gaudeat tanta immaterialitate, quanta ipsum objectum. III. Ut sit idem cum intellectu secundum esse intelligibile.]

Articulus VI.

Utrum Beati inaequaliter videant Deum, et unde oriatur ista inaequalitas?

Dico 1. Beati inaequaliter vident Deum, unus scilicet altero perfectius. Est de fide contra Jovinianum, et Lutherum.

Prob. 1. Auctoritate Scripturae 1. Cor. 15. *Stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum*; quibus verbis licet Apostolus loquatur de inaequali gloria corporum, consequenter tamen loquitur de inaequali gloria essentiali animarum, a qua profluit inaequalitas gloriae accidentalis corporum. 2. Joan. 14. Christus dicit: *In domo patris mei mansiones multae sunt*; quod debet intelligi de Regno Coelorum, et non de Ecclesia, ut interpretabatur Jovinianus, quia Christus subjungit, *vado vobis parare locum, ut ubi sum ego et vos sitis.*

Prob. 2. auctoritate Conciliorum. Concil. Florent. Sess. ultima definit, *Beatos intueri Deum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.* Et Trid. Sess. 6. cap. 16. can. 32. Anathemate ferit, qui dixerit homines justificatos per bona opera non mereri *augmentum gloriae*.

Prob. ratione fundata in Scripturis. Visio Dei in qua sita est gloria et beatitudo, proponitur sanctis ut merces bonorum operum distribuenda secundum leges justitiae et proportionem meritorum, juxta illud Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in Coelis*. Et 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus justus judex. Item* ad Rom. 2. *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Atqui merita sanctorum non sunt aqualia; pluris enim faciendum est martyrium, aut perpetua virginitas, quam simplex observantia mandatorum; pluris opus ferventissima charitate, quam remissa, factum: ergo.

Objiciebat Jovinianus parabolam vineae: Matth. 20. in qua primi, et ultimi operarii aequale denarium receperunt. Responsio communis Patrum et Interpretum est per illam aequalitatem denarii significari parem beatitudinem quoad substantiam, quia omnes sancti Deum videbunt, non vero parem hujus visionis seu beatitudinis gradum.

Potest etiam optime significari per hanc parabolam, mercedem aeternae vitae non tempori, quo quis laboravit, sed charitatis affectui, quo laboravit, esse tribuendam: ita enim fit quod duo, quorum unus decem annis Deo militavit remissa charitate, alter uno tantum anno ferventiore charitate, aequali gloria donentur, quia Deus non quantum, sed ex quanto; non censum, sed affectum pensat.

Ex his jam habes causam moralem inaequalitatis in visione Dei, esse inaequalitatem meritorum. At difficultas est de causa physica hujus inaequalitatis. Pro quo

Dico 2. Tota inaequalitas visionis beatificae provenit phisice ex inaequalitate solius luminis gloriae, et non intellectus, ita ut duo beati, quorum unus est altero perspicacior, si aequali lumine gloriae donentur, aequaliter Deum videbunt. Est communis contra Scotistas et paucos alios.

Prob. conclusio ex principiis positis ipsismet S. Thomae. Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriae. Ergo facultas perfectius videndi Deum non competit intellectui creato se-

cundum suam perfectiorem naturam, sed per lumen perfectius gloriae: Ergo ubi non est perfectius lumen gloriae, non potest videri Deus perfectius. Ergo tota inaequalitas visionis beatificae provenit ex inaequalitate solius luminis gloriae. Ant. est de fide, et constat ex dictis, nec negatur ab adversariis. Prob. conseq. Ideo facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, quia haec visio est supernaturalis, et excedens omnes naturae vires. Ergo si facultas videndi Deum non sit secundum naturam, sed per solum lumen gloriae, a fortiori facultas videndi perfectius.

Prob. 2. ab inconvenientibus. Si inaequalitas visionis beatae proveniret partim ex majori vel minori perspicacia intellectus creati, ut volunt adversarii, sequeretur 1. quod stantibus paribus meritis, unus altero perfectius videret Deum, ille nempe, cujus intellectus esset perpiscacior; atqui falsum consequens, utpote contra rationem mercedis justitiae, imo contra ipsos adversarios, qui admittunt nobiscum inaequalitatem visionis beatae provenire moraliter ex inaequalitate meritorum.

Sequeretur 2. Aliquem gradum gloriae non correspondere gratiae, sed naturae, et hominem per naturalia se discernere in spiritualibus; activitas enim, et perspicacia major intellectus creati, cum sit ordinis naturalis, est beneficium naturae, et non gratiae. Atqui hoc est contra illud Scripturae, *Gratia Dei vita aeterna*; et illud, *quis te discernit?*

Objicies, quo magis crescit causa totalis in perfectione, eo perfectiorem producit effectum. Sed causa totalis visionis beatificae sunt intellectus, et lumen gloriae. Ergo ubi est perfectior intellectus, perfectior debet esse visio,

Resp. N. Min. Intellectum, et lumen gloriae neque esse unam causam totalem visionis beatificae, neque duas partiales, sed duas totales sub diversa ratione, ut jam diximus. Lumen gloriae est causa totalis elevans, et proportionans intellectum ad visionem supernaturalem: intellectus est causa totalis eliciens vitaliter, mediante elevatione, visionem supernaturalem; unde quantumvis crescat vis naturalis intellectus, nihil confert ad perfectionem visionis, quia non influit in illam secundum perfectionem naturalem, sed secundum perfectionem luminis gloriae, et illo mediante.

Inst: Ideo perfectior est visio beatifica ubi perfectius est lumen gloriae, quia procedit a causa perfectiori: atqui ubi est intellectus perfectior, etiam procedit a causa perfectiori. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Ideo perfectior est visio beatifica, ubi est perfectius lumen gloriae, quia procedit a causa perfectiori proxima, et immediata Conc. A causa radicali, et remota N. Tota diversitas visionis beatificae reduci debet in virtutem non radicalem, et remotam, sed proximam, et immediatam, quia virtus remota non agit nisi secundum proportionem virtutis proximae, a qua elevatur, et modificatur: Virtus autem proxima, et immediate influens in visionem beatam non est intellectus creatus, sed lumen gloriae. Item ad majorem explicationem aliter distinguo eamdem Majorem. Ideo perfectior est visio beatifica ubi est perfectius lumen gloriae, quia procedit a causa perfectiori agente, ut perfectior est. Conc. Maj. Secus N. Maj. Dist. Min. Visio procedens ab intellectu perfectiori, procedit a causa perfectiori, et illa causa agit ut perfectior est naturaliter, N. min. Agit ut elevata, et secundum mensuram elevationis tantum. C. Min. Igitur major, aut minor perspicacia naturalis intellectus respectu visionis hujus supernaturalis, se habet materialiter tantum, et per accidens, cum totam vim, et proportionem eliciendi hunc actum habeat a lumine gloriae.

Urgeb. Intellectus in visione Dei agit ut potentia vitalis; est enim visio actus vitalis. Ergo per vires sibi intrinsecas, quia vitalitas est a principio intrinseco se movente.

Resp, Dist. Ant. Agit ut potentia vitalis naturalis N., Ant. Ut potentia vitalis elevata, et supernaturalis. Conc. Ant. Est enim ista visio vitalis vitalitate, ut ita dicam, supernaturalizata. Unde Dist. Cons. Ergo agit per vires sibi intrinsecas naturales, N. Supernaturales, C. Quamvis igitur ad vitalitatem actus requiratur, quod procedat a principio intrinseco se movente, non est tamen necesse, quod hoc principium constituatur proportionatum, et proxime activum per virtutem ab intrinseco, provenientem; sed potest haec virtus provenire ab extrinseco, et elevare, ac proportionare principium vitale, modo non tollat a tali principio, quod possit esse se movens.

Ex dictis colliges omnes visiones beatificas, sive hominum sive Angelorum esse ejusdem speciei essentialis, quia habent idem objectum formale, scilicet essentiam Divinam, eumdem modum tendendi in illud, nempe sine specie, et idem principium proximum, nimirum lumen gloriae. Neque refert Intellectum Angelicum, et humanum specie differre; quia non influunt secundam rationem suam specificam, sed prout conveniunt in ratione potentiae obedientialis elevabilis per lumen gloriae.

Articulus VII.

Utrum beati videntes Deum, ipsum comprehendant, aut comprehendere possint, saltem de potentia Dei absoluta.

Beatos Deum non comprehendere tenet fides Catholica contra Anomaeos; eos autem nec posse absolute comprehendere, communis est Theologorum sententia contra Vasquez.

Nota: Comprehensionem spiritualem (quae a comprensione corporea dicitur) dupliciter sumi: 1. large, prout opponitur insecutioni, et est idem ac assecutio, et obtentio rei, quae desideratur, licet per totum, seu adaequate, non capiatur; sic v. g. corporaliter dicitur quis latronem comprehendere, dum capit, etsi non totum teneat, sed partem. Hoc modo de fide est Deum esse comprehensibilem, et de facto comprehendi a Beatis juxta illud 1. Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis*: et ad Philipp. 3. *Sequor autem si quo modo comprehendam.* Ratio est quia Beati Deum per visionem beatam assequuntur, et possident: ergo cum comprehendunt comprehensione large sumpta: ideoque comprehensores vocantur.

2. Stricte, et proprie, secundum quod aliquid includitur in comprehendente, de qua hic loquimur, et definitur: Cognitio objecti adaequans, non in ratione naturae seu entis, sed in ratione cognitionis, objecti cognoscibilitatem intrinsecam; ita ut per eam objectum cognoscatur quantum est cognoscibile naturaliter, et ex propriis meritis, non solum extensive, sed etiam intensive.

Explicatur, Dixi 1. *Cognitio adaequans non in ratione naturae, seu entis*, etc. quia impertinens est ad comprehensionem spiritualem adaequatio cognitionis, et cogniti in ratione entis, modo adaequentur in ratione cognoscibilis, et cognitivi, alias nulla cognitione creata quantumvis perfecta posset substantia imperfectissima comprehendi, quia cognitio creata est accidens.

Dixi 2. *Objecti Cognoscibilitatem intrinsecam.* Quia duplex distinguitur cognoscibilitas objecti; una intrinseca, quae commensuratur perfectioni entitativae objecti cognoscendi, ut ejus proprietas. Nec solum attenditur secundum ea, quae rem constituunt, aut sunt in ipsa, sed etiam secundum extrinseca, quae ad ipsam pertinent, quatenus vel ea potest facere, vel recipere, ex, et in ordine suae naturae; hoc est non solum secundum ea, quae formaliter res habet, sed etiam secundum ea, quae eminenter, aut virtualiter continet. Cognoscibilitas extrinseca est, quae non commensuratur perfectioni objecti cognoscibilis secundum ea, quae tam forma-

liter, quam eminenter, aut virtualiter continet, sed virtuti potentiae cognoscentis, seu variis respectibus ad extrinseca, quae per illam rem fieri possunt, aut in ea recipi, non ex, et in ordine suae naturae, sed obedientialiter per extrinsecum agens.

Notio itaque comprehensionis negat ad comprehensionem requiri, quod res cognoscatur quantum est cognoscibilis cognoscibilitate extrinseca, asserit vero quod cognoscibilitas intrinseca, quam adaequare debet cognitio comprehensiva, attendatur non solum secundum ea, quae formaliter res illa habet, sed etiam secundum ea, quae eminenter, aut virtualiter continet; alioquin si cognosceretur tantum secundum ea, quae formaliter habet, non cognosceretur quantum est ex se, et ex propriis meritis cognoscibilis, secundum ea, quae eminenter, aut virtualiter continet.

Dixi 3. *Ita ut objectum per eam cognoscatur in quantum est cognoscibile naturaliter, non solum extensive, sed etiam intensive*; idest non solum cognoscantur, quoad numerum, omnes perfectiones, quae in eo continentur, sive formaliter, sive eminenter, aut virtualiter, sed etiam cognoscantur tam clare, tam distincte, tam perfecte, quantum objectum istud ex natura sua, et intrinseca perfectione est cognoscibile. Unde cum aliqua demonstrabilis propositio v. g. per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid ejus, quod non cognoscatur, nec subjectum, nec praedicatum, nec compositio, tota enim cognoscitur, sed tota non ita perfecte cognoscitur sicut cognoscibilis est, quia est adhuc cognoscibilis per demonstrationem, et ideo non comprehenditur. In his ultimis particulis potissimum reponimus comprehensionem. His praemissis.

Dico: Beati videntes Deum ipsum non comprehendunt comprehensione *proprie dicta*, nec ipsum possunt absolute comprehendere 1. p. q. 12. a, ad 2.

Prob. utraque pars simul auctoritate Scripturarum, Patrum, et Conciliorum. Ierem 32. Deus dicitur *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. *quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus. S. Aug.* serm. 38. de verb dom. cap. 3. *Attingere aliquantulum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile.* Concil. Later. sub. Inn. III. *Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immensus, incommutabilis, et incomprehensibilis.*

Probatur ratione. Comprehendere Deum, est ipsum tantum cognoscere extensive, et intensive quantum est cognoscibilis ex propriis meritis, seu cognoscibilitate intrinseca: atqui Beati ita Deum, nec cognoscunt, nec absolute cognoscere possunt: Ergo. Major patet ex praenotatis. Probatur Minor: Deus ex propriis meritis est infinite cognoscibilis: atqui nullus intellectus creatus, neque per se, neque per lumen gloriae potest Deum infinite cognoscere: Ergo. Probat. Major et Minor simul. Radix tam cognoscibilitatis, quam virtutis cognoscitivae est immaterialitas, et actus: atqui Deus est summe immaterialis, et actus purissimus; nullus autem intellectus creatus, sive per se, sive per lumen gloriae est summe immaterialis, et actus purissimus, alioquin foret Deus vel ipse, vel lumen gloriae. Ergo.

Objic. 1. Paulus Apost. 1. Cor. 13. dicit: *Tunc cognoscam sicut cognitus sum*, atqui erat cognitus Apostolus a Deo comprehensive: Ergo.

Resp. Tò *sicut* in verbis Apostoli non significare omnimodam paritatem, sed aliqualem tantum, sitam in hoc, quod sicut Deus cognoscebat Apostolum immediate in se sine medio, ita Apost. cognoscet Deum immediate, et in se, et non amplius per speculum in aenigmate.

Objic. 2. Illud comprehenditur, quod ita totum videtur ut nihil ejus lateat videntem, atqui si Deus videtur per essentiam, totus videtur, et nihil ejus latet videntem, cum Deus sit simplicissimus. Ergo.

Resp. Illud compraenditur quod totum videtur, et totaliter Con. Maj. Quod totum videtur, sed non totaliter Nego. Eodem modo distincta Min. N. Cons. Solutio patet ex dictis.

Articulus VIII.

De objecto visionis beatificae.

Duplex distinguitur objectum visionis beatificae : unum primarium et *formale* , quod ratione sui videtur , et est ipse Deus. Alterum secundarium et *materiale* , quod ratione primarii videtur , et sunt creaturae. De utroque dicemus per varios §§.

§. I. *Quid de Deo videant Beati.*

Dico 1. Beati vident omnia , quae in Deo continentur *formaliter* et necessario , nimirum , essentiam , attributa et personas. Est communis contra Nominales.

Dixi , *quae necessario in Deo continentur* : quia quantum ad decreta libera , licet ea videant quoad realitatem , quam habent in Deo , non tamen semper quoad terminationem liberam ad creaturas ; de quo §. 2. dico 2.

Prob. 1. ex illo 1. Joan. 3. *Cum apparuerit , similes ei erimus , quoniam videbimus eum sicuti est* ; Deus autem est in se unus , trinus , justus , sapiens, omnipotens etc, Item ex Concilio Floren. in litteris S. Unionis , ubi dicitur, quod *Deus unus et trinus videatur a Beatis.* Ergo.

Prob. 2. Visio beatifica correspondet fidei tamquam ejus merces , consequenter Beati vident in Patria , quae crediderunt in via. Atqui fides in via versatur circa ea , quae spectant essentiam , attributa et personas. Ergo.

Dico 2. Implicat essentiam divinam videri a Beatis sine attributis et personis, attributa aut personas sine essentia, unum attributum sine altero, et unam personam sine altera. Est communis contra Scotistas.

Esse D. Thomae colligitur ex 2. 2. *q.* 8. *a.* 8. *ad* 3. ubi dicit : *summa bonitas Dei secundum quod intelligitur in seipsa prout videtur a Beatis , non potest intelligi sine Trinitate Personarum.* Et (3. *p.* *q.* 3. *a.* 3. o.) *Intellectus dupliciter se habet ad divina , uno modo ut cognoscat Deum sicuti est, et sic impossibile est quod circumscribatur per intellectum aliquid a Deo , et quod aliud remaneat , quia totum quod est in Deo, est unum salva distinctione personarum .*

Prob. ratione 1. De ratione visionis , quatenus beatificae , est , quod perfecte satiet, et quietet appetitum rationalem Beati : atqui Beatus videns divinam essentiam rationaliter appetit videre attributa et personas : ergo. Prob. Minor : qui videt essentiam aliquam , naturaliter desiderat videre ejus proprietates , et modum quo subsistit et existit : atqui attributa sunt velut Dei proprietates et existit in tribus personis. 2. Quia si visa Dei essentia , aliquid , quod est in Deo formaliter , lateret Beatum , lateret et non lateret summum bonum : non lateret, quia videret divinam essentiam ; lateret, quia illud , quod non videret, est etiam summum bonum indistinctum ab essentia , utpote actus purus , ac proinde continens actu formaliter omnem perfectionem .

Confirmatur conclusio. Deus est actus purus carens omni compositione et parte : ergo implicat clare et intuitive videri aliquid Dei , et non videri totum quod est in Deo .

Dices si Essentia Divina non posset beatificare praecisa a personis , non esset summum bonum . Ergo, Prob. Ant. De ratione summi boni est beatificare. Ergo.

Resp. N. Sequel. Ad probat D. Ant. De ratione summi boni est beatificare ; eo modo quo est a parte rei Conc. Ant. Aliter quam sit a parte rei , N. Ant. Quia visio beatifica est intuitiva rei ut est a parte rei, et satiativa appetitus, quod

non esset si non videret Deum ut est in se, et existit a parte rei. Quod ergo essentia Divina non possit beatificare sine Personis non provenit ex imperfectione, sed ex summa ejus simplicitate, et puritate, qua personas essentialiter in re sibi identificat. Et dato relationes non esse praedicata constitutiva Divinae Essentiae, sunt saltem ejus termini, et modi essentiales pertinentes ad infinitam ejus eminentiam, et foecunditatem; de Deo enim praedicantur essentialiter, et in ipsa ejus essentia identificantur, consequenter implicat Deum videri quidditative, ut est in se, et in re, et haec omnia non videri.

Replicabis. Essentia est quid Absolutum, Persona quid relativum: Atqui absolutum potest cognosci sine relativo, cum ab ipso non dependeat. Ergo.

Resp. Dist. Min. In creatis, Conc. In divinis, Nego intelligendo de cognitione intuitiva, et quidditativa. Disparitas est quod in divinis absolutum, et relativum realiter, et essentialiter identificantur sine ulla distinctione ex natura rei; secus in creatis. Nec inde sequitur, quod Essentia dependeat a Personis, sed tantum quod intrinsece connectatur cum illis.

§. II. *Utrum videntes Deum videant omnia, quae Deus facit et facere potest?*

Nota. Creaturae dupliciter *in Verbo* possunt videri, *formaliter*, et *causaliter*: *formaliter*, quando videntur eadem visione et eodem lumine, quibus Verbum ipsum videtur, ita tamen quod Verbum sit proxima ratio creaturas videndi: adeoque in se visum tanquam medium ducat in cognitionem creaturarum. *Causaliter* creaturae dicuntur videri in *Verbo*, quando non videntur ipsa visione, nec ipso lumine, quibus Verbum videtur, sed per revelationem specialem, seu species infusas extra Verbum, communicatas tamen vi status beatitudinis, seu intuitu, et ratione visionis beatificae; unde dicitur haec visio causalis *in Verbo*, improprie quidem *in Verbo*, siquidem sit proprie extra Verbum. Priorem cognitionem Augustinus vocat *Matutinam*, posteriorem *Vespertinam*.

Quaestio est igitur 1. Quid de creaturis Beati videant? 2. Quomodo eas videant, an formaliter *in Verbo*, an causaliter?

Dico 1. Beati non vident omnia, quae Deus facit et facere potest. Est communis.

Prob. 1. ex Scriptura. Nemo sive Angelus sive Beatus scit diem judicii, *Math.* 24. Angelus Persarum, et Angelus Judaeorum ignorabant voluntatem Dei circa liberationem Judaeorum, *Daniel. c.* 10. Ergo.

Prob. 2. Si Beati viderent omnia, quae Deus facit, et facere potest, vel ea viderent in Verbo, vel extra Verbum; non primum, quia comprehenderent Deum, ut probabimus infra. Non secundum, quia nulla est ratio, ob quam Deus omnia praeterita, praesentia, futura et possibilia revelet Beatis, cum horum omnium cognitio non requiratur ad eorum beatitudinem. Adde, quod juxta probabilem sententiam ad id requireretur lumen creatum infinitum.

Dico 2. Beati vident de creaturis praeteritis, praesentibus et futuris quidquid specialiter et praecipue eos spectat. Ita communiter cum Auctore 3. p. q. 10. a. 2.

Prob. ratione. Beatitudo debet perfecte satiare omne desiderium justum et honestum Beatorum: atqui Beati juste et honeste desiderant scire, quae illos specialiter spectant: Ergo.

Quae vero Beatos specialiter spectant assignare in particulari non est facile. Pro quo observant communiter Theologi, Beatum posse tripliciter considerari. 1. Ut est elevatus ad ordinem gratiae. 2. Ut est pars universi. 3. Ut est talis persona publica vel privata, puta Papa, Rex, Fundator Religionis, Pater

familias etc., censentque ea omnia videre, quae juxta exigentiam istius triplicis status cum specialiter spectant. Hinc

Ex 1. capite, quatenus scilicet est elevatus ad ordinem gratiae, videt mysteria fidei, quae credidit in via, scilicet Incarnationis, Resurrectionis, Redemptionis, luminis gloriae, gratiae, praedestinationis etc., et ea maxime quod visio beatifica succedat fidei, et sit ejus merces juxta illud Ps. 47. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum*: et illud August. l. 20. de Civ. c. 21. *Ibi videbimus Deum, et omnia illa, quae nunc non videmus; credentes autem ... cogitamus*. Adde, quod quilibet videre desiderat quae credit.

Non est tamen necesse, ut videant illa mysteria quoad omnes circumstantias loci, et temporis, ut patet de die judicii, quem nec Angeli norunt 1. p. q. 57. a. 5. ad 1. et de tempore ac variis aliis circumstantiis Incarnationis, quas Angeli non nisi successu temporis noverunt, licet illud quoad substantiam statim noverint.

Neque etiam necesse est, quod videant omnia individua, in quibus complentur illa mysteria et ordo gratiae, si plura sint, id enim non videtur requiri ad Beatitudinem; secus si esset unicum aut plura specialia, ut humanitas Christi, beata Virgo respectu Incarnationis: unde quamvis cognoscant mysterium Eucharistiae, non tamen vident omnes hostias consecratas; licet cognoscant mysterium Resurrectionis, non tamen vident aut videbunt omnes resurrecturos maxime damnatos, nam quoad Beatos verisimilius est, quod omnes se et suas invicem cogitationes videant, seseque diligant tamquam consortes ejusdem beatitudinis.

Ex 2. capite, quatenus scilicet Beatus est pars universi videt omnia genera et species rerum, consequenter omnes Angelos, quia omnes, secundum S. Th. specie differunt: item et praecipuas universi partes, coelum, elementa, stellas et alia similia, quae per se et principaliter pertinent ad ornatum et integritatem mundi. Unde S. Bernardus Serm. de triplici genere bonorum num. 7. exclamat: *O sapientia, qua tunc omnia, quae in coelo et quae in terra sunt perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiae rerum omnium cognitionem bibentes.* Quantum vero ad individua et singularia, quae apud nos facta sunt, fiunt aut fient, item et secreta cordium, quaedam videt, ea scilicet quae necessaria sunt ad cognitionem specierum, aut quae ipsum spectant, ut modo dicam; non tamen omnia, quia cum non sint praecipuae partes universi, nec per se intendantur, sed propter conservationem speciei, nec alio titulo speciali, ut suppono, ipsum spectent, curiositatis potius foret quam rationis, illorum visionem desiderare, ut ait Angelic. loc. cit. a. 8.

Ex 3. capite, Beati vident omnia aut saltem praecipua, quae pertinent ad suum statum, sive sint actus liberi, sive necessarii, sive sint naturales, sive supernaturales, sive contingant in hac vita, sive in altera. Sic S. Petrus et probabilius etiam Papa vident, quae pertinent ad totam Ecclesiam, Rex ad Regnum, Patriarcha Religionis ad Religionem, Paterfamilias ad suam familiam etc. Item vident omnes preces, quae ad ipsos diriguntur, cum hae specialiter ipsos ut intercessores spectent. Hinc fit, quod Beatissima Virgo longe plura cognoscat, quam caeteri Sancti, praesertim quoad preces et cogitationes hominum, quia cum sit specialis eorum advocata, debet in pluribus statum illorum cognoscere, ut possit opportune eis opitulari. Non videtur tamen, quod cognoscat omnes sive cogitationes, sive actus liberos hominum, cum ista ad eam specialiter non spectent 3. p. q. 10. a. 2. o., idque sit privilegium Christi, qui, cum sit constitutus Judex omnium hominum, debet cognoscere omnes judicandos, omnes et singulos eorum actus ac cogitationes cum omnibus circumstantiis.

Quantum ad decreta Dei libera secundum terminationem defectibilem, quam habent ad creaturas, quaedam cognoscunt Beati, non omnia, quia quaedam tan-

tum et non omnia spectant specialiter eorum statum, et consolationem rationabilem. Dixi, *decreta Dei libera secundum terminationem, quam habent ad creaturas.* Quia si spectentur secundum realitatem, quam habent in Deo, cum sic, sint ipse Deus, certum est Beatos ea omnia cognoscere, sicut cognoscunt aliaquae sunt in Deo formaliter, ut jam superius notavimus. Quantum ad res possibiles dicam modo.

Dico 3. Beati vident creaturas possibiles, non omnes, sed aliquas, et tanto plures quanto perfectior est visio beatifica. Est communis cum Auctore.

Prima pars, quod non videant omnes creaturas possibiles, patet ex prima conclusione: Prob. 2. pars. Deus videndo se comprehensive videt in se omnes creaturas possibiles: quanto autem perfectius penetratur causa, tanto plures ex ea noscuntur effectus possibiles, sicut qui perfectius novit aliquod principium, eo plures ex eo noscit conclusiones deducibiles. Ergo quanto perfectior est visio Dei, qui est causa omnium, eo plures in eo noscuntur effectus possibiles.

§. III. *Quomodo Beati videant creaturas in Deo*

Nota duplex medium cognitionis distingui; unum quod prius cognitum *ut quod* ducit in cognitionem alterius, et dicitur medium in quo, sic sunt praemissae respectu conclusionis, causa respectu effectus, signum respectu signati. Aliud est quod facit cognoscere absque eo, quod prius cognoscatur *ut quod*, sed solum repraesentando objectum; sic est species impressa, quae non debet prius cognosci *ut quod*, sed est tantum ratio repraesentandi objectum: dicitur medium incognitum, seu medium *quo.*

Nota insuper distingui duplex esse creaturarum. unum in Deo, quod est eminentiale, et illud est ipse Deus prout eminenter continet creaturas; aliud proprium, et formale, quod habent creaturae in seipsis si existant, vel habere possunt, si fint possibiles.

Dico 1. Beati vident aliquas creaturas in Verbo formaliter, aliquas causaliter, seu extra verbum vi status beatitudinis, omnes quoad proprium, et formale esse.

Prob. prima, et tertia pars. Cognitio Beatorum est exemplata a cognitione, qua Deus seipsum cognoscit; est enim ejus participatio, et imitatio: atqui Deus seipsum cognoscendo cognoscit in seipso creaturas secundum esse verum formale, ut fusius probabimus infra. Ergo Beati videndo Deum vident in illo Creaturas secundum esse earum formale, non quidem omnes, quia ipsum non comprehendunt, sicut ipse se comprehendit, sed plures vel pauciores juxta mensuram luminis gloriae, et dispositionem Divinae voluntatis.

Adde pro tertia parte, quod si Beati non viderent Creaturas, nisi secundum esse eminentiale, quod habent in Deo, eas proprie non viderent, cum istud esse eminentiale nihil sit aliud, quam ipse Deus.

Dixi *juxta mensuram luminis gloriae, et dispositionem Divinae voluntatis*: Quia plures sunt rationes, ob quas aliquae creaturae videntur in verbo, et non aliae, neque omnes. Prima est ex parte potentiae, scilicet luminis gloriae, quod cum sit finitum, non confert vim videndi omnia, sed plura, vel pauciora, secundum quod est magis, vel minus intensum. Altera ex parte objecti, scilicet essentiae divinae, ut est species intelligibilis, quae quamvis sit omnium repraesentativa, actu tamen non repraesentat, nisi tot quot intellectus habet vim cognoscendi, juxta mensuram luminis gloriae. Ratio autem, cur haec potius, quam illa repraesentat, est beneplacitum Divinae voluntatis. Non enim Divina essentia est necessario sepraesentativa Creaturarum in se, ut in causa efficienti, et exemplari, sed libere, et pro sua voluntate repraesentat quas vult, et quibus vult. Unde sicut libere, et pro beneplacito utitur sua omnipotentia ad haec potius, quam illa produccn-

da, ita libere, et pro beneplacito utitur sua essentia, ut specie intelligibili, ad haec potius, quam illa, his potius, quam illis repraesentanda, sic tamen ut non excedant virtutem luminis gloriae. Jure autem praesumimus velle repraesentare, unicuique quod specialiter, et praecipue ipsum spectat.

Prob. 2. pars. Ea, quae Beati cognoscunt in verbo formaliter, simul ab initio cognoscunt et non successive, utpote unico intuitu et unica specie, ut dicam infra; atqui Beati quaedam non cognoverunt simul ab initio, sed successive; sic *Daniel.* 10 Angelus Persarum et Angelus Judaeorum ignorabant liberationem Judaeorum, qua de causa litigabant, non quidem contrarietate voluntatum, inquit S. Th., sed rerum. Sic nullus Beatorum nunc cognoscit diem Judicii, quem postea noscet, ut jam dixi. Sic Angeli non sciverunt ab initio quasdam circumstantias passionis Christi, quas postea cognoverunt. Ergo.

Petes 1. An Beati videant Creaturas in Verbo tamquam in specie immediata illas repraesentante, seu tamquam in medio *quo* ?

Resp. Negative. Sed eas vident tamquam in medio *in quo* prius cognito, seu tamquam in causa efficienti, et exemplari: Ita ut Deus cognitus sub ratione causae sit medium ducens in creaturarum cognitionem, eo modo, quo nunc per causam cognoscimus effectum, cum hac differentia, quod causae, et effectus notio in coelis habeatur unico intuitu, seu actu, propter perfectionem luminis gloriae, et unitatem speciei. Ratio est; quia eo modo creaturae cognoscuntur in essentia divina, quo modo in ea repraesentantur: atqui Essentia divina ut gerens vices speciei respectu intellectus Beatorum, non repraesentat immediate creaturas, sed ipsam, et in se ut in causa efficienti, et exemplari, seu ideali Creaturas. Ergo.

Dico 2. Implicat omnia, quae Deus facit et facere potest, cognosci a Beatis formaliter *in Verbo* ut in causa secundum omnes habitudines, modos et rationes eorum possibiles.

Prob. Cognoscere in causa omnes effectus possibiles secundum omnes suos modos, et rationes vi cognitionis causae est ipsam causam comprehendere: atqui implicat Deum comprehendi a Beatis, ut probatum est: ergo. Prob. Maj. Cognoscere omnes effectus possibiles vi cognitionis et penetrationis causae, est cognoscere quousque causa potest et non ultra. Ergo est eam adaequate cognoscere quantum cognoscibilis est, adeoque comprehendere.

Petes 2. Utrum ea, quae Beati vident, videant per aliquas similitudines ?

R. Sub distinctione: quae videntur in verbo formaliter non videntur per similitudines seu species proprias, sed per ipsam Dei essentiam, per quam Deus videtur, quia non videntur in propriis naturis, sed in quo praeexistit eorum similitudo exemplaris seu idealis et efficiens. Quae vero videntur in verbo causaliter, seu potius extra verbum, videntur per proprias species aut similitudines propter oppositam rationem.

Petes 3. Utrum ea, quae Beati vident in Deo, simul ab initio videant ?

R. sub distinctione. Quae videntur in Verbo formaliter, videntur simul: quia omnia videntur unico actu per unicam speciem omnino invariabilem tam in repraesentando, quam in essendo, scilicet per Dei essentiam. Unde Aug. *ultimo* de Trinit. *c.* 16. *in fine* dicit: *volubiles non erunt cogitationes nostrae ab aliis in alias euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Quae vero videntur in Verbo causaliter per species proprias et diversas, non videntur simul ab initio sed successive, propter oppositam rationem. Et hoc ultimo modo verisimile est Beatos cognoscere preces ad se fusas, quia si simul ab initio omnes omnium preces ad se fundendas viderent in Verbo formaliter, jam cognoscerent diem judicii, quia noscerent, qui sint futuri ultimi hominum, quia ipsos invocabunt, quae ultimae eorum preces, quam ardentes in ipso conflagrationis mundi tempore etc. Ita S. Doctor. Q. 8. de Verit. a. 4.

Petes 4. Utrum sit absolute impossibile Deum videre ut est in se, nulla visa in eo creatura?

Resp. Impossibile est absolute Deum videri ut est in se, non visis in eo creaturis secundum rationem communem entis creabilis. Quia Deus non potest videri ut est in se, quin videatur ejus omnipotentia, et eminentialis continentia creaturarum, quam implicat cognosci non visa ratione entis creabilis. Non videtur tamen absolute impossibile Deum ut in se est cognosci nulla visa in eo creatura in particulari; potuit enim nullam creare. Ergo nec implicat quod videatur, nulla visa creatura, in particulari, modo videatur ratio entis creabilis in communi. Adde quod Creaturae non sint nisi objectum secundarium visionis beatificae; non implicat autem objectum primarium videri sine secundario.

Petes 5. Utrum Creaturae videantur in Deo tamquam in speculo?

Resp. Affirmative intelligendo speculum metaphorice, et secundum quid, quatenus nempe divina Essentia repraesentat Creaturas, quod facit speculum, non vero si intelligatur speculum simpliciter, et proprie dictum: quia speculum proprie dictum recipit species a rebus, non sic Deus.

Petes 6. Quae sit mensura Visionis beatificae?

Resp. Visio beatifica mensuratur aeternitate participata. Prob. Non mensuratur tempore, quia tempus est mensura durationis rei successivae, et variabilis secundum esse, et operari: Non aevo, quod est mensura rei invariabilis secundum esse, variabilis secundum operari: Non aeternitate essentiali, quae est mensura rei invariabilis secundum esse, et operari tam ab intrinseco, quam ab extrinseco: Visio autem beata non est ullo modo successiva, aut variabilis ex intrinsecis; tum quia est tota simul, tum quia ejus principia, scilicet lumen gloriae, et divina essentia gerens vices speciei non subjacent successioni, aut variationi; attamen est variabilis ab extrinseco, sicut enim incoepit esse, ita potest desinere, Deo suum concursum suspendente; imo sicut est diversa in diversis, sic nihil repugnat quin de potentia Dei absoluta in eodem subjecto minuatur, vel augeatur. Ergo.

Articulus IX.

De Nominibus Dei. D. Th. q. 13.

Quaeritur 1. Utrum possit imponi aliquod nomen Deo quod ipsum ut est, significet?

R. A nulla creatura possibili potest Deo imponi nomen quod ipsum adaequate et comprehensive significet; potest tamen ab Angelis et Beatis, non a viatoribus imponi nomen, quod ipsum quantitative significet: possunt tandem a viatoribus plura ei nomina imponi, quae diversas ejus perfectiones imperfecte significent.

Tota haec responsio prob. hac ratione fundata in Philosophia 1. Periher. c. 1. quod nomina non significent res nisi mediante conceptu imponentis, seu loquentis, sunt enim ejus conceptuum signa, et expressiones, et ideo mentitur, qui contra mentem loquitur. Ergo nomina dicta, vel imposita ab aliquo, tantum et non magis quidditatem rei significant, quam eam concipit. Subsumo. Atqui nulla creatura possibilis potest adaequate et comprehensive Deum cognoscere: Angeli et Beati non tamen viatores ipsum quidditative cognoscunt; viatores tandem ipsum et varias ejus perfectiones ex creaturis imperfecte cognoscunt. Ergo.

Hinc colliges 1. Deum dici ineffabilem, non quod de illo nullus sermo haberi possit, aut nullum nomen ipsi imponi queat a creaturis; sed quod a nulla creatura possit imponi nomen ejus naturae comprehensivum, nec a viatoribus, ullum quod perfecte ejus quidditatem significet ad sensum 1. et 2. partis responsionis.

Colliges 2. Quod cum triplici via Deus a nobis cognosci possit. 1. Per viam remotionis, dum ab eo removemus imperfectiones creaturarum. 2. Per viam collectionis, dum omnes perfectiones dispersas in effectibus, in eo tanquam in omnium causa colligimus. 3. Per viam excessus, dum omnes perfectiones creaturarum ipsi modo eminentiori tribuimus : juxta hunc triplicem modum cognoscendi Deum tria nominum genera ei attribuimus Juxta 1. modum, vocamus ipsum infinitum, incorporeum, immaterialem, immutabilem, impeccabilem, incomprehensibilem, etc. Juxta 2. modum nominamus ipsum omnipotentem, primam causam, provisorem, gubernatorem generalem, etc. Juxta 3. modum vocamus ipsum supersubstantialem, superexcellentem, superpulchrum, superbonum, etc.

Quaeritur 2. Quae sint praecipua Dei nomina ?

R. Esse tria, scilicet *Deus*, *qui est*, *Jehova* seu *Jeheva*. Quia ista tria nomina magis proprie, quam caetera, divinam naturam significant, non tamen eodem modo. *Deus* significat naturam divinam simpliciter, seu ut intelligentem; *Qui est* ut subsistentem: *Jehova* ut incommunicabilem, et singularem, quasi istum Deum.

Porro hoc nomen *Jehova* dictum Tetragrammaton, seu Quadrilitterum, quod constat quatuor litteris hebraicis *Iod*, *he*, *vau*, *he*, ita sacrum, ac venerabile erat apud Hebraeos, eo quod existimarent illud esse proprium, et essentiale, ut nunquam, vel raro illud pronuntiarent ; sed cum inter legendum occurreret, loco illius, ex consuetudine recepta a majoribus, ordinarie usurpabant *Adonai*, quod significat Dominum. Praeter autem haec tria assignata nomina, sunt alia plura minoris notae nomina de Deo imposita apud Hebraeos, quae referunt Dionys. Hieron. et alii.

Queritur 3. Utrum omnia nomina dicta de Deo sint synonyma ?

R. Negative.

Prob. 1. Nomina synonyma sunt, quae eamdem rem, et sub eadem ratione, seu eodem conceptu significant, ut ensis, gladius; vestis, indumentum : cum etiam nomina rem significant mediante conceptu, primum significatum est conceptus, ultimum res ipsa; consequenter quando plura nomina significant eamdem rem sub diversis conceptibus, seu rationibus, non habent idem significatum saltem primum, et immediatum : atqui licet plura Dei nomina eamdem rem significent, eam tamen significant sub diversis rationibus, et conceptibus; bonitas enim in Deo non significat eamdem rationem, eumdemque conceptum, quam justitia : etiamsi in Deo bonitas, et justitia sint idem ; ergo.

Confirmatur ; plura synonyma sibi invicem adjuncta nugationem faciunt, sicut si dicatur, vestis, indumentum, ensis, gladius : atqui admitti non debet quod Scriptura nugetur, cum Jer. 33. dicit. *Fortissime*, *magne*, *potens*, *Dominus exercituum nomen tibi*. Similiter alibi. Ergo

DISSERTATIO V.

De scientia Dei. *D. Th. q.* 14.

Post considerationem eorum, quae pertinent ad divinam substantiam restat considerandum de iis, quae pertinent ad operationem ipsius, et 1. de his quae pertinent ad operationes immanentes, quae sunt intelligere, et velle. Igitur in hac Dissertatione dicemus de iis, quae pertinent ad Divinam intellectionem, acturi in sequentibus de Divina voluntate.

Articulus I.

Utrum in Deo sit Scientia proprie dicta, eaque sit attributum?

Suppono 1. Deum esse perfectissime intelligentem; Deum namque omnes intelligunt ens summe perfectum, primum motorem ordinatissimum, sapientissimum mundi rectorem, et primam omnium causam; verum absque intelligentia non esset ens summe perfectum, cum haec sit maxima perfectio, foret caecus motor, et rector imprudentissimus, nec esset omnium causa, cum non conferret nobis intelligentiam, qua careret. Hoc est de fide tradit. in Script.
Job. c. 12. v. 13. *Ipse* (Deus) *habet consilium et intelligentiam.* Hester c. 14. 1. 14. *Domine qui habes omnium scientiam.* Rom. c. 11, v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei*: et alibi.

Item in tantum ens est cognoscitivum, in quantum est immateriale, seu elevatum supra conditiones materiae: atqui Deus est in summo immaterialitatis, utpote actus purus: ergo. Prob. maj. Cognitio fit, in quantum cognoscens habet in se formam cogniti, retinendo propriam: atqui quod aliquid habeat in se formam alterius retinendo propriam, provenit ex immaterialitate, et elevatione supra conditiones materiae: ergo. Prob. min. Quod aliquid in se habeat propriam et aliorum formas, provenit ex ejus amplitudine, et illimitatione; quo quid enim plura complectitur, eo magis est amplum et illimitatum: atqui illa amplitudo et illimitatio provenit ab immaterialitate: est enim materia, quae formam limitat et impedit, ne communicetur ad aliud subjectum in eadem ratione individuali, quod est facere suam tantum: ergo. Unde major vel minor facultas cognoscendi distribuitur secundum majorem vel minorem immaterialitatem, majorem vel minorem elevationem supra conditiones materiae: ut patet in omnibus cognoscitivis.

Suppono 2. intellectionem et intellectum in Deo esse unum et idem absque virtuali distinctione: quia ea tantum distinguuntur in Deo virtualiter, quae aequivalent pluribus creatis ex objecto formali distinctis, et ad diversas lineas pertinentibus: atqui intellectus et actualis intellectio pertinent ad eamdem lineam, et versantur circa idem objectum formale: ergo.

Insuper Intellectus virtualiter distinctus ab intellectione conciperetur cum fundamento in re ut potentialis ad illam, atque ab ea determinabilis, quod concipi non potest in Deo actu purissimo.

Dico 1. Datur in Deo scientia proprie dicta. Est communis contra Vasquez.

Probatur 1. Scientia proprie dicta nihil aliud est quam cognitio certa et evidens rerum per causas: atqui Deus cognoscit certo et evidenter res per causas: cognoscit enim eas omni modo, quo sunt cognoscibiles, sunt autem cognoscibiles per suas causas: ergo: S. Th. q. 2. de verit. a. 1.

Dico 2. Scientia in Deo est ejus attributum.

Probatur. Attributum est ratio absoluta formaliter in Deo existens, et ad naturam divinam jam constitutam consequens, eamque ad diversam lineam trahens, ut patet ex dictis de attributis: atqui talis est scientia in Deo. Et primo constat ex prima conclusione, quod sit ratio absoluta formaliter in Deo existens. Probatur quoad reliquas particulas. Intelligere divinum ut constitutivum Dei respicit essentiam divinam absolute, et praecise ut intelligibilem: intelligere ut scientificum respicit essentiam divinam determinato modo, scilicet sub ratione causae: ergo sequitur ad naturam jam constitutam, et ratione diversi objecti trahit ad diversam lineam.

Dices. Intelligere Divinum ut constitutivum Naturae Divinae est scientificum: Ergo scientia non est Dei attributum, sed ipsa Divina essentia. Prob. Ant. Intelligere Divinum ut constitutivum attingit Divinam naturam ut rationem attributo-

ram, et causam creaturarum; cum enim sit infinitum, et comprehensivum cognoscit Divinam naturam omni modo, quo est cognoscibilis. Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Ant. Intelligere Divinum ut constitutivum Divinae naturae respicit illam ut radicem attributorum, tamquam rationem *quae* attingitur C. Ant. Tamquam rationem *sub qua* ipsa attributa attinguntur N. Ant. Sic enim attingitur a scientia, et hoc sufficit ut intelligere constitutivum, et scientificum virtualiter distinguantur. Sic scientia in Deo attingit rationem agibilium, et factibilium, ut rationem *quae*: sed quia prudentia, attingit rationem agibilium, et ars rationem factibilium, ut rationem *sub qua*, ideo prudentia, et ars virtualiter a scientia distinguuntur. Nec per hoc sequitur Intelligere Divinum ut constitutivum non esse infinitum, et comprehensivum: Ad cognitionem enim infinitam, et comprehensivam sufficit ut objectum cognoscatur omni modo, quo est cognoscibile in linea, in qua est infinita talis cognitio: Unde cum intelligere divinum constitutivum naturae non sit infinitum omnibus modis, sed in linea naturae dumtaxat, cognoscit tantum ea, quae pertinent ad lineam naturae, ut est ratio *quae* attingibilis, ratio autem *sub qua* pertinet ad rationem scientiae.

Articulus II.

De objecto et divisione scientiae Dei.

Non est amplius quaestio in hoc articulo et sequentibus de scientia Dei stricte sumpta, sed de ejus cognitione ut sic, sive sit scientifica, sive non.

Petes 1. quousque se extendat scientia Dei?

R. 1. Deus se per se ipsum cognoscit, imo et comprehendit.

Ratio primae partis est; quia Deus, sicut est summe intelligens, ita est summe intelligibilis atque sibi praesentissimus et unitus imo ut intelligens et intelligibilis omnibus modis unus et idem: ergo se cognoscit per se ipsum, et non per speciem a se distinctam.

Ratio secundae partis est: quia Deus se cognoscit quantum est cognoscibilis, sicut enim est infinite cognoscibilis, ita est infinite cognoscitivus, cum ex utraque parte sit actus purus et infinitus: ergo. Hinc Apost. 1. Cor. 2. *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*: et ibid. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.*

R. 2. Deus cognoscit omnia alia a se, sive possibilia, sive praesentia, sive praeterita, sive futura etiam minima, non solum secundum communem rationem entis, sed etiam quoad esse proprium et singulare usque ad ultimas differentias.

Est de fide ubique in Scripturis tradita. Hebr. 4. *Non est ulla Creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, et aperta sunt oculis ejus.* Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe .... omnes vias meas praevidisti ..... cognovisti omnia novissima, et antiqua.* Psal. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Psal. 68. *Delicta mea a te non sunt abscondita*, Et alibi passim.

Probatur ratione: Deus perfecte se suamque virtutem cognoscit: virtus autem non potest perfecte cognosci, nisi cognoscantur omnia, ad quae se extendit: atqui virtus divina se extendit ad omnia alia a Deo, non solum quoad rationem communem entis, sed quoad esse eorum formale et singulare usque ad ultimas differentias; est enim plenitudo essendi et causa effectiva atque exemplaris omnium entium et omnis differentiae ac perfectionis eorum: ergo.

Dices Saltem Deus non cognoscit entia rationis, neque privationes, neque peccata, cum haec omnia neque a Deo causentur, neque in eo contineantur: Ergo.

R. Deum cognoscere entia rationis, non quod ea faciat, sed quia facit et cognoscit cogitationes et fictiones nostras, quibus fiunt entia rationis. Privationes autem cognoscit per formas oppositas : similiter mala sive physica, sive moralia seu peccata per bona opposita ; unumquodque enim est cognoscibile secundum quod est ; unde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae. Sic v. gr. cognoscendo actum furti et rectitudinem justitiae, eamque deesse furto, cognoscit hujus actus malitiam. Plura circa hanc conclusionem recurrent art. subsequenti, ubi de medio in quo Deus alia a se cognoscit, et alibi.

Petes 2. quodnam sit objectum formale et primarium scientiae divinae?

R. 1. *Cont. gent. cap.* 48. Objectum formale et primarium cognitionis divinae non est ens creatum, neque ens ut sic abstrahens a creato et increato, sed ens dumtaxat increatum, scilicet ipse Deus.

Probatur 1. Illud est objectum formale et primarium cognitionis divinae, quod per se primo et ratione sui attingitur ; atqui id quod per se primo et ratione sui attingit cognitio divina, non est ens creatum, nec ens ut sic abstrahens a creato et increato, sed solus Deus : ergo : Prob. min. 1. quia nihil est aut concipi potest prius Deo. 2. Quia Deus se cognoscit ut causam, et in se ut causa cognoscit creaturas ut effectus : ergo primo per se et ratione sui se cognoscit, secundario et dependenter a se, creaturas. 3. Essentia divina primo per se repraesentatur intellectui divino, creaturae secundario et ratione illius : ergo per se primo essentia divina attingitur a cognitione divina. Patet consequentia ; quia intellectus fertur in objecta, eo ordine, quo ipsi repraesentantur. Prob. ant. Species, qua intellectus divinus utitur, est ipsa essentia divina : atqui essentia divina primo se repraesentat, deinde in se creaturas, quia, si ex aequo se et creaturas repraesentaret, non esset potius Deus in esse intelligibili quam creatura, ut jam alibi notavimus : ergo.

Petes 3. Quotuplex sit scientia in Deo?

Resp. Quamvis scientia divina ex parte Dei sit unica simplex, et illimitata omnia unico actu perfectissime comprehendens, ex parte tamen objectorum, et secundum modum nostrum concipiendi varie dividitur.

Resp. 1. dividitur in Scientiam speculativam, et practicam. Speculativa est quae res solum contemplatur, sed non efficit, qualis est illa, quae versatur circa ipsum Deum • Practica est, quae non solum cognoscit, sod etiam efficit suum objectum. Mala vero, licet non sint operabilia a Deo, tamen sub cognitione ejus practica cadunt, sicut et bona, inquantum vel permittit, vel impedit, vel corrigit, vel ordinat, sicut aegritudines cadunt sub practica scientia Medici, in quantum per artem suam illas curat.

2. Dividitur in scientiam necessariam, et liberam. Necessaria est quae praecedit liberam Dei determinationem, et versatur tantum circa objecta necessaria; ut circa quidditates rerum, quae aliter se habere non possunt. Libera est, quae supponit decretum, et versatur circa objecta a libera Dei voluntate pendentia, ut sunt res existentes, aut futurae.

3. In scientiam simplicis intelligentiae, et visionis, et haec divisio est omnium celeberrima.

Scientia *simplicis intelligentiae* est, quae versatur circa ea, quae nec fuerunt, nec erunt, hoc est, circa quidditates rerum in statu merae possibilitatis, coincidit cum speculativa et necessaria 1. cont. gent. c. 60. et 69, et q. 2. de ver. a. 1. ad 4. Dicitur autem *simplicis intelligentiae*, non ad excludendum respectum scientiae ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus : quod est extra genus notitiae, sicut est existentia

rerum, quam addit scientia *visionis*, vel ordo voluntatis ad res scitas, quem addit scientia *approbationis*. Scientia *visionis* igitur est, quae fertur ad ea, quae sunt, vel fuerunt, vel erunt; unde addit, ut mox dicebam, supra scientiam *simplicis intelligentiae*, ordinem ad existentiam physicam objecti, ut praesentem in aeternitate modo infra explicando. Dicitur *visionis*, metaphora desumpta ab oculo corporeo, qui dicitur res videre, quando eas sibi praesentes attingit. Utrum vero haec divisio sit adaequata, an e contra detur altera scientia medians inter illas, quae dicitur scientia *media*, quaestio est in tota Theologia celeberrima, quam infra suis omnibus momentis expendere conabimur adversus Molinam et Patres Societatis hujus scientiae mediae assertores.

Scientia *visionis* subdividitur in scientiam *approbationis* et *improbationis*. Scientia *approbationis* est, quae versatur circa bona, et supponit decretum approbativum divinae voluntatis circa illa. Scientia *improbationis* est, quae versatur circa peccata, et supponit decretum divinae voluntatis circa illa, non approbativum, sed permissivum tantum. Et juxta hanc divisionem, Deus aliquando dicitur in Scriptura scire et nescire mala seu peccata, nescire scientia approbationis, scire scientia improbationis.

Articulus III.

An, et quae scientia in Deo sit causa rerum?

Dupliciter scientia potest dici causa rerum: I. Directive quatenus proponendo modos, quibus res fieri debeat, aut possit, dirigit potentias effectrices. 2. Effective, sic ut ipsa efficiat exterius, quod interius concepit.

Dico 1. Scientia in Deo est causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva, non formaliter, et praecise ut est scientia, sed ut habet adjunctam voluntatem, et consuevit dici approbationis.

Prima pars est de fide. Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Psal. 135. *Qui fecit coelos in intellectu*, et alibi. Ratione etiam constat. Ne fas est enim existimare agens intellectuale, et perfectissimum agere caeco, et ignoranti modo, cumque in suis operationibus scientia, et sapientia non dirigi.

Secunda pars, prout proponitur abstrahendo a scientia simplicis intelligentiae, et scientia visionis, a paucis forte negatur; neque refert quod addiderim cum S. Thoma, quae *consuevit dici approbationis*, quia contendit Tournely, scientiam simplicis intelligentiae posse dici approbationis.

Probatur itaque 1. ex Scriptura Prov. 3. *Dominus sapientia fundavit terram, coelos prudentia.* Genes. 1. *Dixit Deus fiat lux, et facta est lux.* Psal. 32. *Verbo Domini coeli firmati sunt.* Et alibi: atqui hic termini fundare, stabilire esse artifex, facere, firmare exprimunt plusquam simplicem directionem Ergo.

3. Deus res efficit per actum imperii formaliter immanentem, et virtualiter transeuntem: atqui actus imperii, quamvis sit radicaliter, et praesuppositive a voluntate, et ideo dicatur quandoque quod voluntas imperet: est tamen formaliter, et elicitive ab intellectu: ergo. Major patet ex Scripturis jam citatis. Genes, 1. *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux.* Psalm, 148. *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.*

Magis adhuc patebit ex dicendis in sequenti conclusione. Minor est D. Thomae 1. 2. q. 17. Et probatur nunc breviter. Imperare est intimare, seu dicere, est ordinare, et praecipere: atqui intimare, seu dicere, et loqui spiritualiter pertinet ad intellectum, qui est quasi os substantiae spiritualis; unde illud Psal. 36. *Os justi meditabitur sapientiam*: item ordinare unum ad aliud est intellectus practici, et prudentiae: tandem praecipere, cum sit superioris, pertinet ad superiorem et nobiliorem potentiam, quae est intellectus: ergo. Confer quae dicam in 1. 2.

Probat. tertia pars 1. Scientia in quantum scientia non dicit causam activam, sed est nuda objecti notitia ; unde actus scientiae ut talis non est producere, sed cognoscere : et ideo multa scit Deus , quorum non est causa , ut sunt peccata , et mere possibilia, quae nunquam erunt. 2. Ut jam dixi, et modo adhuc dicam, Deus non causat res ad extra nisi per actum imperii , atqui actus imperii supponit decretum voluntatis , a quo habet efficaciam : Ergo.

Remanet magis controversa difficultas , quae scientia in Deo sit causa rerum, an scientia simplicis intelligentiae, an scientia visionis? Sedulo revocandum est quod eadem Scientia in Deo , prout respicit res in statu possibilitatis , dicatur simplicis intelligentiae , prout respicit res sub statu existentiae, aut futuritionis , dicatur visionis. Unde est potius explicatio diversarum terminationum ejusdem scientiae, quam distincta scientia.

Dico 2. Scientia , simplicis intelligentiae est causa actu dirigens res in ordine intentionis , et effectiva in actu primo. Scientia visionis est causa dirigens , et efficiens in actu secundo in ordine executionis , non praecise ut visionis , sed ut approbationis , ut explicuimus in prima conclusione ; ita ut verum sit dicere in sensu causali : ideo res existunt , aut futurae sunt , quia Deus illas videt, Ly *quia* appellando supra visionem, ut habet adjunctam voluntatem: non e contra sit verum dicere : ideo Deus res videt , quia existunt aut futurae sunt, nisi forte aliquo sensu subtiliori , de quo in solutione objectionum : et intelligenda est conclusio generaliter de omnibus rebus , quas Deus facit , etiam libere futuris .

Pro intelligentia conclusionis abservandum est , in agentibus intellectivis duplicem distingui ordinem; unum intentionis , qui incipit a cognitione, et intentione finis , et terminatur inclusive ad electionem et volitionem mediorum. Alterum executionis , qui incipit ab actu imperii , et terminatur ad executionem operis , seu acquisitionem finis . Quod ut breviter exponamus , id enim pertinet ad tractatum *de actibus humanis* , primum intellectus apprehendit finem , et eum proponit voluntati, voluntas acquiescit, et intendit hunc finem , vi hujus intentionis intellectus inquirit de mediis , et discernit inter magis et minus apta , voluntas vult, et seligit aptiora , et hic sistit ordo intentionis . Deinde sequitur ordo executionis , vi enim electionis voluntatis , intellectus imperat executionem mediorum volitorum , vi hujus imperii voluntas applicat potentias executivas, quae applicatio dicitur usus activus, quem sequitur usus passivus potentiarum executricum, et tandem perfectio operis , seu assecutio finis.

Sic igitur in proposito (et est explicatio , et probatio conclusionis) intellectus divinus , secundum modum nostrum concipiendi , apprehendit manifestationem suae gloriae ut bonum, eamque proponit voluntati : voluntas divina annuit, et intendit hunc finem ; vi hujus intentionis intellectus, seu scientia divina inquirit de mediis, et inter innumera, quae potest, aptiora discernit, et ea ut in sua arte possibilia, voluntati proponit, voluntas ea vult, et seligit,et hic sistit ordo intentionis.Et hinc patet, quod scientia huc usque dirigens proponendo finem, et media sit *simplicis intelligentiae*, quia huc usque, et dum dirigeret ante electionem voluntatis, omnia adhuc erant in statu merae possibilitatis, et quamvis per electionem secutam facta sint inchoative, et quoad affectum futura, non tamen complete et quoad effectum, neque ad hanc inchoatam futuritionem aliter cooperata, est scientia, quam dirigendo. Patet 2. quod cum proponat media ut sibi possibilia , et ut contenta in virtute suae artis , sit effectiva in actu primo , seu habeat virtutem ea efficiendi : et sic manet probata prima pars conclusionis.

Jam vero posita electione efficaci mediorum , vi illius , intellectus imperat eorum executionem , et cum imperium Dei sit efficacissimum , nec indigeat distinctis potentiis executricibus , ut dicam in calce articuli , sed eodem instanti, quo imperat res fiant , et aliunde sit , ut probavimus , actus intellectus ; sequitur quod ef-

ficiendo videat, et videndo efficiat, sicque quod scientia, quae est causa effectiva rerum in actu secundo, sit scientia *visionis*, utpote attingens res ut existentes, aut complete futuras, non praecise qua *visionis*, ut dictum est, sed ut habet adjunctam voluntatem, et consuevit dici *approbationis*. Unde in forma sic argumentor. Deus est causa effectiva rerum in actu secundo per imperium: atqui imperium est actus intellectus pertinens ad scientiam *visionis*, et non *simplicis intelligentiae*: ergo. Minor pro prima parte patet ex dictis in prima conclusione. Probatur pro secunda: iste actus imperii supponit decretum efficax, et in eo fundatur, et terminatur ad res ut existentes, siquidem per ipsum efficiantur: ergo.

Prob. 2. (1. p. q. 4. a. 8. ad 3. et q. 16. a. 1. o. et 1. 2. q. 93.) Si Deus res videret, quia sunt, et eas videndo non faceret, scientia ejus mensuraretur a rebus, atque ab illis dependeret quoad veritatem, et certitudinem, sicut scientia nostra, ut patet: atqui repugnat Deo, quod ejus scientia mensuretur a rebus, atque ab illis pendeat quoad veritatem, et certitudinem, cum potius ipsa sit mensura rerum: ergo. Neque dicas Deum cognoscere peccata, quae non facit, et tamen ejus scientiam non pendere a peccatis, quia peccatum cum sit privatio, non cognoscitur in se, sed in forma opposita. Quid vero Deus attingat in actionibus malis, videbimus infra.

Pro intelligentia Sanctorum Patrum, qui videntur asseruisse non ideo res esse futuras, quia cognoscuntur a Deo, sed potius a Deo cognosci, quia futurae sunt, advertendum est plerumque SS. Patres loqui de peccatis, quorum, quatenus sunt formaliter peccata, scientia visionis non est causa, quia Deus non approbat peccata, sed permittit dumtaxat. Quod si quandoque SS. Patres loquantur de actibus non peccaminosis, intendunt tantum, quod scientia non sit causa inducens necessitatem in scito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud scit. Scientia enim visionis habet suam efficaciam a decreto, in quo fundatur; hoc autem decretum non solum decernit ens, sed et omnes modos entis, de quorum numero est contigentia, et libertas; unde scientia visionis, quae vi hujus decreti agit, efficit ens, et modos entis, ac proinde libertatem non destruit, sed ponit. Vel dicendum est illos locutos fuisse in sensu illativo, non causali, et ita esse intelligendos; si aliqua sint futura sequitur; quod Deus ea praescierit, non vero res futurae sunt causa, quod Deus sciat. Imo potest absque praejudicio sententiae nostrae hoc dictum Patrum verificari in sensu causali. Cum enim scientia visionis habeat duo munia, etenim simul tempore efficit, et videt, et prius natura concipiatur effici, seu esse, quam videri; secundum hanc praecisionem verificatur in sensu causali, quod res ideo videantur, quia sunt. Non requiritur vero necessario ad visionem objecti, quod illud praecedat visionem, sed sufficit quod comitetur. Sic in naturalibus intellectus noster rem cognoscendo producit verbum, et illud producendo videt. Visio autem Dei est eminenter speculativa, et practica.

Objic. 1. Scientia visionis supponit decretum efficax de futuritione, atqui vi decreti efficacis res sunt futurae, alias non foret efficax. Ergo. Resp. Dist. min. sunt futurae inchoative, et quoad affectum, seu intentionem C. min, Completae, et quoad effectum, seu executionem N. min. Pro cujus intelligentia recolendum est, scientiam simplicis intelligentiae, et visionis non esse duas scientias, sed unam, et eamdem ex parte Dei, distingui autem dumtaxat secundum diversam terminationem. Hoc ipso ergo quo concipitur decretum, seu ordo voluntatis ad res producendas, scientia simplicis intelligentiae, quae erat de possibilibus, et indifferens, determinatur ad existentiam, seu futuritionem alicujus effectus, et transit in scientiam visionis. Sed quia vi solius decreti res sunt tantum inchoate futurae, et quoad affectum, ut dixi, fiunt autem complete futurae, et quoad effectum per actum imperii sequentis decretum, dicimus quod ille actus imperii, qui est actus intellectus simul res videat, et faciat; unde scientia quae prius erat simplicis intelligentiae, et indifferens, non est vi adjuncti decreti causa rerum in actu secundo, nisi transeundo in scientiam visionis.

APPENDIX

Utrum detur in Deo potentia executiva virtualiter distincta ab intellectu, et voluntate.

Dico. Potentia executiva in Deo non distinguitur virtualiter ab intellectu, et voluntate tamquam potentia diversa, seu tamquam attributum adaequate disctinctum ab illis, sed est eadem potentia cum illis sub aliqua tamen distinctione infra explicanda.

Prob. 1. pars. 1. Quia in natura pure intellectuali nulla admitti debet potentia, nisi pertineat ad gradum intellectivum: atqui ad gradum intellectivum non pertinent aliae potentiae praeter intellectum, et voluntatem; et ideo S. Th. (*Opusc.* 11. *a.* 3.) docet, quod in Angelis non sit potentia executiva distincta ab intellectu, et voluntate. 2. Quia potentia executiva distincta a potentia movente, et imperante importat imperfectionem tam ex parte imperantis, quia haec non est sufficienter efficax, ut res sibi subjiciat et executioni mandet, tam ex parte sui, quia non se habet ut movens sed ut pure mota per modum instrumenti.

Secunda pars explicatur. Potentia executiva in Deo potest dupliciter intelligi distincta ab intellectu, et voluntate. 1. Distinguitur per modum includentis, et inclusi, quatenus potentia executiva non est intellectus praecise, sed utrumque importat, intellectum in recto, voluntatem in obliquo; et sic distinguitur eo ferme modo, quo compositum distinguitur a materia, et forma. 2. Distinguitur inadaequate secundum diversas formalitates, et connotationes intra eamdem potentiam. Etenim eadem potentia attingens res ut intelligibiles, dicitur intellectus, attingens res dando illis esse dicitur omnipotentia, seu potentia executiva; sicut idem actus intellectus est simul intellectio, et dictio sub diversa ratione.

Hinc inferes potentiam immediate effectivam rerum esse intellectum, non voluntatem, quia voluntas efficit mediante imperio, quod est actus elicitus ab intellectu.

ARTICULUS IV.

In quo medio Deus cognoscat alia a se?

Nota aliquid dupliciter cognosci. Uno modo in seipso, alio modo in altero. In seipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam, sicut cum oculus videt hominem, per speciem hominis, et talis species dicitur medium *quo*, et incognitum ut *quod*. In alio autem videtur quod videtur per speciem alterius, in quo continetur, sicut cum pars videtur in toto, per speciem totius, numerus ternarius in senario per speciem senarii, vel cum effectus videtur in causa per speciem causae, vel quomodocumque alio modo contingat aliquid in alio videri. Et hoc medium vocatur medium *in quo*, quod prius debet cognosci, ut ducat in cognitionem alterius.

Quaestio procedit de creaturis ut sic abstrahendo a statu existentiae praeteritae, praesentis, aut futurae: de futuris autem sunt graviores difficultates, de quibus specialiter dicemus infra. Caeterum praesentis difficultatis resolutio proludit positioni vel eversioni scientiae mediae; si enim Deus non cognoscat alia a se, nisi in se, ut in causa, corruit scientia media; e contra si Deus cognoscat alia a se, immediate in seipsis, datur locus scientiae mediae.

Dico. Deus alia a se cognoscit, non immediate in seipsis; sed mediate in se ut in causa praecognita.

Prob. 1, ex Patribus. S. Dionysius, aut quisquis antiquus Auctor libri de di-

vinis nominibus cap. 7. dicit. *Neque enim ea, quae sunt, ex iis, quae sunt, discens novit divina mens, sed ex se et in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, et ante comprehensam habet: non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causae complexu omnia sciat, et contineat.., Igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius, ipsas novit.* S. Aug. lib. 83, QQ. q. 46. ait : sacrilegium esse, asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum. Quae verba S. Thomas expendens hic ait, sic intelligenda esse, non quasi Deus nihil, quod sit extra se intueatur, sed quia id, quod est extra ipsum, non intuetur nisi in se ipso. Et eundem articulum sic concludit : Q. 2. de verit a. 3, ad. 9. *Sic igitur dicendum, quod Deus seipsum videt per essentiam suam; alia autem a se videt non in ipsis sed in seipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.* Intellige similitudinem non secundum convenientiam in natura, sed secundum repraesentationem effectuum in causa : similitudo enim effectus in sua causa praeexistit, cum omne agens agat sibi simile.

Probatur 2. ratione. Cognoscere rem immediate in seipsa, est illam cognoscere per propriam ejus speciem, quae illam immediate repraesentet : cognoscere vero rem mediate in altero, est illam cognoscere per speciem alterius, id est, per speciem, quae repraesentet alterum, in quo res illa continetur, ut v. g. cognoscere numerum ternarium in senario, vel effectum in causa ; res enim eo modo, et ordine cognoscuntur, quo per speciem repraesentantur : atqui Deus non cognoscit alia a se per species illis proprias, sed per speciem sibi propriam, illum immediate repraesentantem, et alia a se mediate, quatenus sunt in illo, ut in causa : ergo. Probatur min. Non est in Deo alia species, quam ipsa ejus essentia, ut constat ex ante dictis : atqui essentia Dei, ut species non repraesentat immediate creaturas, sed se ipsum, et in se creaturas, ut effectus in causa contentos, non enim alio modo possunt esse in Deo. ergo.

Prob. 3. alia ratione. 1. cont. gent. cap. 48. Si Deus attingeret creaturas immediate in ipsis independenter ab essentia prius visa, creaturae essent simul cum essentia divina objectum formale, et specificativum intellectus divini, quod admitti non potest : cum specificari ab aliquo sit ab ipso accipere speciem, et perfectionem ergo. Probatur sequela, Illud est objectum formale specificativum, quod per se primo, ratione sui, et non ratione alterius attingitur : ergo.

Objic. Deus non est causa adaequata actuum vitalium, nec est causa entium rationis, aut privationum, et tamen ea omnia cognoscit. Ergo.

Resp. Quamvis Deus non sit causa formalis actus vitalis sub formalitate vitalitatis, hoc est quatenus est a principio intrinseco semovente ; non enim dum video, Deus videt per visionem meam ; quidquid tamen est entitatis, et perfectionis in actu vitali est a Deo, et in ipso eminenter continetur. Quantum ad entia rationis dico Deum esse illorum causam mediatam, quatenus est causa intellectionum nostrarum, quibus entia rationis fingimus; cum ergo intellectiones in se ut in causa cognoscat, cognoscit etiam earum objecta, quae sunt entia rationis. Privationes vero Deus cognoscit in formis oppositis, quas in se ut in causa cognoscit, et sic verum manet, quod Deus alia a se cognoscat in se ut in causa, sive mediate, sive immediate.

DISSERTATIO VI.

De Praescientia Futurorum.

A scientia Dei secundum se, et scientia simplicis intelligentiae, seu possibilium progredimur ad scientiam futurorum, de qua sunt graviores difficultates, et 1. de scientia futurorum absolutorum, postea de scientia conditionatorum, consequenter de scientia media, quae in tota Theologia est quaestio celeberrima.

Articulus I.

Quid, et quotuplex sit futurum?

Dico 1. Futurum recte definitur, *quod est determinatum in suis causis ad habendam existentiam in tempore sequenti*. Hanc definitionem non admittunt, quin potius totis viribus impugnant defensores scientiae mediae, quod videant ea everti suum systema. Attamen.

Prob. 1. auctoritate. S. Aug. lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 17. dixit: *Deum futura facere nihil aliud est, quam eorum causas praeparare* Et Tractat. 68. in Joan. *Deus futura facit ea praedestinando* S. Th. q. 2. de verit. a. 12 ad 7. *Cum dicitur, hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei ad productionem ejus* In hac parte q. 36. a. 7. ad 3. *Omne, quod est, ex eo futurum fuit, ante quam esset, quia in causa sua erat, ut fieret*; non in causa ut potenti praecise, haec enim denominat tantum possibile; non in causa, ut actu influente, haec denominat actu existens: ergo in causa, ut determinata ad producendum in tempore sequenti: Et hinc desumitur fundamentalis ratio. Igitur

Prob. ratione. Futurum debet constitui per id, per quod extrahitur a massa possibilitatis, et distinguitur a possibili et existenti; atqui nihil aliud est assignabile, per quod id obtineat, quam determinatio illius causae: ergo. Prob. min. Possibile continetur quidem in causa potenti, sed indeterminata ad illud producendum; existens est extra causas: ergo futurum, quod mediat inter utrumque, constituitur medio modo, non per causam mere potentem, et indifferentem, non per causam actu producentem, sed per causam determinatam ad dandum illi esse pro tempore sequenti.

Ex dictis sponte fluit nullum esse futurum contingens independenter a determinatione primae causae, quia prima causa manente indeterminata, nulla causa secunda est determinata, alioquin non foret causa secunda, sed prima. Et hinc funditus evertitur systema scientiae mediae, ut patebit ex sequentibus.

Dico. 2. Futurum aliud *necessarium*, aliud *contingens*. Necessarium est, quod ex natura sua petit aliquando esse nec est naturaliter impedibile, ut crastinus ortus solis. Contingens, si late sumatur, est quidem, quod ex natura sua petit aliquando esse, sed ex concursu aliarum causarum est naturaliter impedibile, ut vita longaeva ex temperamento robusto. Contingens proprie et stricte sumptum est, quod ex natura sua est indifferens ad esse, et non esse, ut sunt, quae pendent ex libero arbitrio.

Futurum proprie contingens, aliud *absolutum*, quod non dependet ab aliqua conditione, aliud *conditionatum*, quod dependet ab aliqua conditione. Rursus conditionatum aliud *pertinens*, aliud *impertinens*, seu *disparatum*. Pertinens est, quod connexionem quamdam sive moralem sive physicam habet cum conditione, ut conversio Tyriorum, si praedicetur ipsis Evangelium, salus Iudae, si poenitentiam agat, Disparatum est, quod nullam habet connexionem cum conditione, ut si capra saltet, arbor florebit, vel illud Elisaei ad Regem Ioas 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem.*

Articulus II.

Utrum Deus certe, et infallibiliter cognoscat omnia futura absoluta, contingentia, et libera?

Quamvis in superioribus probaverimus Deum omnia, nullo excepto, cognoscere; quia tamen est specialis difficultas de futuris, quae a nostro pendent arbitrio, ratione libertatis salvandae, ideo de his specialem instituimus quaestionem.

Dico. Deus certo et infallibiliter cognoscit omnia futura absoluta, contingentia, et libera, illaesa libertate.

Prob. prima pars ex Script. et Patribus. Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe, et omnes vias meas praevidisti*: Joan. 6. *Sciebat Jesus ab initio, qui essent non credentes, et qui traditurus eum esset.* Futurorum praescientia assignatur ut certissima tessera divinitatis. Isaj. 41. *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum et scient, quia Dii estis vos.* Hinc Tertull. cap. 20. in Apolog. *Idoneum*, inquit, *testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et Aug. 5. de Civit. cap. 9. contra Ciceronem: *Confiteri esse Deum, et negare praescientiam futurorum, apertissima est insania.*

Prob. multiplici ratione. 1. Scientia Dei, ut habet adjunctam voluntatem, facit futura, ut divi supra: ergo ea cognoscit. Et dato scientia Dei futura non fieri, certum est saltem ea non fieri, nisi volente, aut permittente Deo: ergo ea cognoscit in sua voluntate tamquam in causa. 2. Futurum contingens, v. g. istud, *Antichristus erit* habet determinatam veritatem: ergo a Deo infinite intelligenti cognoscitur. Prob. ant. Haec propositio, *Antichristus erit*, habet suam de inesse veritatem, et aliquando ita erit, sicut significatur per illam: ergo est determinate vera non minus, quam propositio de praeterito, quae habuit suam de inesse veritatem, ut haec: *Petrus peccavit*, 3. Deus cognoscit res, dum eas actu producit ad extra: ergo cognoscebat antea, alioquin variabilis esset ejus scientia.

Neque enim obstat praedicationes libere futurorum quandoque efferri in scripturis sub particula *forte*, aut *forsitan*. Haec enim particula non adhibetur, ut significet aliquam incertitudinem in Deo; sed quia loquitur scriptura more humano, et significat id, quod praedicitur, esse semper incertum respectu nostri, atque libere a nobis ponendum; quandoque etiam adhibetur ad significandam rei difficultatem.

Non obstat etiam, quod quaedam leguntur in scripturis vaticinia, quae non fuerunt adimpleta, ut subversio Ninive Joan. 3. mors regis Exech. Isa. 38. (2. 2. *q.* 174. *a.* 1.) Haec enim vaticinia non erant absoluta, sed conditionata, qualia sunt ordinarie comminatoria, et promissoria. Sic praedicta fuit subversio Ninivitarum, si non convertantur, mors Ezechiae, si permaneat cursus ordinarius causarum secundarum, quem Deus immutari voluit.

Cum autem audis, quosdam Patres denegare Deo praescientiam, intellige praescientiam quoad nomen; quia cum, quae nobis sunt futura, sint Deo praesentia, ut modo dicam, non habet de illis praescientiam proprie, et in rigore, sed scientiam.

Pr. 2. Pars. 1. Deus praevidet, et providet res futuras, non solum quoad earum substantiam, sed etiam quoad earum modum necessitatis et contingentiae, ut saepe inculcat S. Thomas: ergo ex hoc, quod certo, et infalliibiliter futura contingentia cognoscat, non solum non sequitur, quod necessario evenient, quin potius sequitur certo, quod contingenter, et libere evenient, alioquin falleretur ejus praescientia: ergo nihil nocet haec praescientia rerum contingentiae.

2. Praescientia futurorum certa et infallibilis, sumpta praecise sub munere praescientiae, nihil immutat in rebus futuris, aut earum causis; sed habet tantum

nosse, quid sit eventurum, et quomodo : ergo ea non obstante, quae sunt contingentia, evenient contingenter, et quae sunt necessaria, necessario ; sufficitque ad istam certam, et infallibilem cognitionem, quod habeat medium certum et infallibile, in quo, quae futura sunt, ei repraesententur : alius enim est status rerum in mente cognoscentis, alius in seipsis ; et sicut quae sunt per se necessaria, possunt contingenter cognosci, ita quae sunt contingentia in suis causis, possunt certo cognosci, si nempe medium cognitionis sit certum. Necessitas, aut contingentia est in rebus et ex rebus, certitudo autem, vel incertitudo cognitionis est in mente ratione medii : ergo.

Articulus III.

Quomodo futura sint Deo praesentia in aeternitate ?

Nota Futura esse Deo praesentia in aeternitate dupliciter potest intelligi, objective scilicet, seu intentionaliter, et physice, seu realiter. Objective quatenus Divinae cognitioni repraesentantur ut praesentia secundum illud esse reale, quod habebunt, quando producentur. Physice, quatenus realiter existunt in aeternitate. Aeternitas enim, quamvis sit in se indivisibilis, et tota simul, habet tamen quamdam extensionem virtualem, seu partes virtualiter distinctas, correspondentes per analogiam ad diversas partes temporis praeteriti, praesentis, et futuri ; sicut esse divinum licet sit simplicissimum, aequivalet tamen pluribus perfectionibus dispersis, et distinctis in Creaturis. Quaeritur itaque, utrum futura sint Deo praesentia non solum objective, et intentionaliter, sed physice, et realiter in aeternitate, non secundum se tota, sed prout correspondent virtualiter illi differentiae temporis, in qua futura producentur, et existent. Non est ergo quaestio, utrum futura sint realiter Deo praesentia per anticipatam illorum productionem in aeternitate, distinctam ab illa, qua producentur in tempore : est enim haec intelligentia crassa, et fidei contraria, cum sit de fide certum, nihil esse ab aeterno productum, sed omnia in tempore ; sed, ut dixi, utrum sint Deo realiter praesentia per coextensionem virtualem ipsius aeternitatis ad illam differentiam temporis, in qua aliquando existent.

Futura esse Deo praesentia objective, et intentionaliter in aeternitate non est dubium : cum enim Deus in se contineat, omnes ideas, et rationes, quas res futurae habiturae sunt in tempore, eas in se cognoscit secundum illud esse reale, quod habebunt dum producentur, quod est eas habere praesentes objective, et intentionaliter

Dico : Futura sunt Deo in aeternitate praesentia non solum objective, et intentionaliter, sed physice, et realiter. Est communis inter Thomistas.

Prob. 1. ex Patribus. S. Aug. lib. 2. ad Simplic. q. 2. S. Gregorius Papa lib. 20. Moral. cap. 23., et plures alii negant in Deo praescientiam in rigore, vel aliquid esse Deo futurum : atqui si futura essent Deo praesentia objective tantum, et intentionaliter, non physice et realiter, haberet respectu illorum praescientiam in rigore, ut patet in Prophetis : ergo.

Quantum ad S. Th. totus est in hac sententia hic a. 13., in 1. d. 38. a. 5. o^{2} et alibi pluries.

Prob. 2. ratione. 1. Aeternitas est duratio in ratione durationis infinita, indivisibilis, et tota simul, ut patet ex ejus definitione communiter recepta ex Boetio: atqui ratione infinitatis continet omnes durationes, praeteritum, praesens, et futurum : ratione indivisibilitatis continet illa, quamvis successive fluentia, modo indivisibili in eodem *nunc*, sine nulla successione : ergo omnia tempora, et tempore mensurata, sunt Deo realiter praesentia ratione aeternitatis.

2. Scientia Dei, cum sit perfectissima, debet esse invariabilis : atqui non esset invariabilis, si res futuras non videret realiter praesentes in sua aeternitate. ergo.

Prob. min. Si res non essent Deo realiter praesentes in aeternitate, inciperet de novo illas videre realiter praesentes in tempore, eo scilicet modo, quo producerentur : ergo, ut arguebat Aug. illas bis cognosceret, nunc futuras, postea realiter praesentes, et aliquid de novo in tempore illius scientiae accideret, sicque mutaretur, sicut mutaretur Dei voluntas, si inciperet aliquid velle nunc, quod prius non voluit. Ergo.

Articulus IV.

In quo medio Deus cognoscat futura absoluta contingentia, et libera.

Quaerimus modo, in quo medio Deus futura absoluta, et praesertim contingentia, et libera cognoscat? De conditionatis dissert. seq. Haec quaestio est summi momenti, a qua plures aliae dependent. Nos quidem ex principiis positis haud difficile illam resolvimus : si enim, ut dictum est, Deus non cognoscit alia a se in ipsis, sed in seipso, ut in causa, rerum autem sit causa in actu primo per essentiam, qua omnia potest, et in actu secundo per voluntatem, qua haec de facto potius quam alia vult esse, palam est quod sicut possibilia in essentia sua praecise spectata cognoscit, sic futura in essentia sua per voluntatem determinata, seu in decreto suae voluntatis cognoscat. Verum quia haec doctrina viam praemunit assertioni gratiae per se efficacis, et eversioni scientiae mediae, et toto conatu impugnatur a Patribus societatis.

Dico 1. Deus non cognoscit futura absoluta, contingentia, et libera in essentia sua, ut habet rationem speciei intelligibilis ante decretum, ut novissime excogitavit Honoratus Tournely. Quia in causa indifferenti ad futuritionem, et non futuritionem, non potest cognosci effectus futurus potius, quam non futurus, patet ex terminis : atqui essentia Dei, ut habet rationem ideae, aut speciei, ante decretum est indifferens ad effectum futurum, vel non futurum; est namque causa rerum in actu secundo libera et per suam voluntatem, ita ut non sint futura, nisi quia vult, et ideo ante decretum eas quidem repraesentat ut possibiles, sed non ut futuras : ergo.

Neque ea cognoscit in supercomprehensione causarum secundarum ante decretum, ut vult Molina, propter eamdem rationem: quia neque comprehensio, neque supercomprehensio alicujus causae potest in ea apprehendere, quod in ea non continetur. atqui in causa secunda ante decretum divinae voluntatis, effectus non continetur ut determinate futurus, sed indifferenter ad esse, vel non esse; non enim potest causa secunda esse determinata ad futuritionem potius, quam non futuritionem ante decretum, seu determinationem causae primae. ergo. Haec patent ex dictis art. 1. hujus dissert., et adhuc magis patebunt ex dicendis.

Neque futura contingentia cognoscit in suo decreto praeviso ut futuro, ut voluit Suares. Prob. 1. Decretum Dei, utpote aeternum, non potest concipi cum fundamento in re, seu virtualiter futurum. Ergo. Prob. Ant. Quia sicut ad futurum reale requiritur realis prioritas existentiae, et *in quo*, et non sufficit prioritas dependentiae, *et a quo*, ut patet in proprietatibus, quae quamvis dependeant ab essentia, tamen non sunt ipsae futurae, sic ad futurum virtuale requiritur, virtualis prioritas existentiae, *et in quo* : Atqui in Deo non potest concipi cum fundamento in re prioritas existentiae, seu *in quo*, cum omnia in Deo existant per unicam, et indivisibilem existentiam, seseque mutuo transcendant. Ergo. V. S. Thom. de Verit. q. 8. a. 3.

Prob. 2. Dato gratis Decretum posse concipi futurum, saltem ut in eo Deus futura cognosceret, deberet dari medium, in quo hoc decretum, ut futurum repraesentaretur, cum enim in illo priori non intelligatur existens, non potest in seipso cognosci. Atqui ante decretum, non est medium, quod illud repraesentet ut futurum,

cum in illo priori Deus sit indifferens ad ponendum, vel non ponendum decretum. Ergo.

Neque ea cognoscit in eorum veritate sive formali, sive objectiva ante Decretum.

Est contra Recentiores Professores Societatis, qui sic arguunt. Deus est omniscius, et nulla veritas ipsum latet, atqui ante decretum una ex duabus propositionibus contradictoriis est determinate vera, altera falsa: ergo hanc veritatem ante decretum ab aeterno cognoscit Deus. Duplicem autem distinguunt veritatem; alteram formalem propositionum, alteram objectivam rerum; si enim, ut concedunt, verum fuit ab aeterno quod nunc est, ita vera fuit propositio, quae affirmabat futurum: hanc veritatem vocant formalem, primam objectivam, quia est objectum hujus secundae. Quidam ergo dicunt futura a Deo praesciri in veritate formali, quidam in objectiva, sed uterque modus in eumdem ferme reincidit. Itaque

Prob. Conclusio 1. Ante Dei decretum nihil est determinate futurum. Ergo nulla futuri veritas sive formalis, sive objectiva. Patet Conseq. quia veritas sequitur ad ens, tamquam ejus proprietas.

Prob. Ant. 1. Futurum est, quod est determinatum in suis causis ad habendum existentiam in tempore sequenti, patet ex dictis. Atqui ante determinationem causae primae, nulla causa secunda est determinata, alioquin prima foret secunda, et secunda prima.

2. Si ante Dei decretum aliquod foret determinate futurum, vel hoc haberet a se, vel ab aliqua causa. non a se, quod enim non est, non potest sibi dare ut sit, nec a fortiori ut futurum sit. Adde quod si esset a se futurum non foret futurum contingens, de quo est maxime quaestio, sed necessarium, ita ut oppositum Deus decernere non posset. Non ab aliqua causa, quia ante determinationem primae causae, omnes causae secundae sunt indifferentes, et indeterminatae ad futuritionem, vel non futuritionem.

3. Dato gratis propositiones de futuro contingenti esse veras ante Decretum, veritas tamen non potest esse medium, in quo Deus, quae futura sunt, possit cognoscere, quia veritas propositionis de futuro, si datur, pendet ab eventu futuro, atque ab illo mutuatur, medium autem ad aliud cognoscendum, debet prius isto alio cognosci, consequenter prius etiam debet esse verum, siquidem eo modo aliquid est cognoscibile, quo est verum.

Dico 2. Deus cognoscit futura absoluta, contingentia et libera in suo decreto eorum futuritionem determinante, seu in essentia sua hujusmodi decreto determinata.

Prob. 1. Auctoritate Scripturae, et Patrum. Isai. c. 14. Deus praedicens per Prophetam bella, quae Assyrii illaturi erant Israelitis, consequenter futura libera, et priorum deletionem, subjungit: *juravit Dominus exercituum dicens: si non, ut putavi, ita erit, et quomodo mente tractavi, sic eveniet; ut conteram Assyrium in terra mea ..... Hoc consilium quod cogitavi ..... Dominus exercitum decrevit, et quis poterit infirmare?* Quibus verbis Deus aperte fundat horum futurorum certam praenotionem in decreto suae voluntatis. Item Apostolus ad Rom. 11. discurrens de praescientia Dei circa conversionem Gentilium et infidelitatem Judaeorum, proinde circa actus liberos, postquam exclamavit, *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei*, addit pro ratione istius incomprehensibilis scientiae: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*, quasi diceret, quoniam ordinat, et facit.

Probatur ex Patribus. Hilarius lib. 3. de Trinit. dicit. *Quae Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* S. Aug. lib. de praedest. Sanct. c. 10. *Praedestinatione Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus.* Et infra. *Quando promisit Deus Abrahae fidem gentium, non de nostrae voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat.* Ubi sermo est, ut patet, de futuris liberis, nimirum de conversione gentium.

Prob. 2. ex principiis D. Thomae. S. Doctor ubique statuit duo principia, ex quibus conficitur nostra conclusio. Primum, quod Deus extra se nihil videat, sed omnia in essentia sua tamquam in causa (1. p. q. 14. art. 5. ad 1.) et in 1. contr. gent. c. 68. postquam probavit quinque rationibus, et testimoniis S. Scripturae *quod, Deus cogitationes mentium et voluntates cordium cognoscat in virtute causae, cum ipse sit universale essendi principium*, totum caput sic concludit; *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, et non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causae exterius agentis, non autem excludit influentiam superioris causae, a qua est ei esse, et operari; et sic remanet causalitas in prima causa, quae est Deus, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus se ipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit.* Confer. art. 4. praeced. dissert. Secundum principium; quod sit causa rerum per suam voluntatem; hic. q. 14. a. 8. infra q. 19. a 4. et alibi. Ex quibus, inquam, duobus principiis conficitur, quod Deus futura quaecumque etiam contingentia. et libera cognoscat in sua voluntate, quod est conclusio nostra. Insuper in 1. d. 39. q. 1. art. 1. ad 5. dicit. *Licet esse, et scire in Deo sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem ut imperatum ab ipso, esse autem non: et ideo esse suum non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturae.* Plura alia, ne longiores simus, omittimus.

Opponunt frustra adversarii S. Thom. agendo de cognitione futurorum contingentium nullam facere mentionem decreti, sed futurorum praesentiae in aeternitate. Nam videre futura praesentia in aeternitate, est in via S. Thomae ea videre in divina voluntate, quia, ut supra dicebamus, non sunt praesentia in aeternitate, nisi quatenus sunt termini divinae voluntatis ea determinantis.

Insuper falsum est quod jactitant, S. Thom. non meminisse expresse decreti. „ *Omnia*, ait 1. p. q. 14. a. 13. „ *quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum, apud se praesentes, uti quidam dicunt*: (rationes autem rerum practicae sunt ideae per decretum voluntatis determinatae) „ Et 1. d. 38. q 1. a. 5. „ *Deus ab aeterno non solum videt ordinem sui ad rem ex cujus potestate res erat futura*: (ecce decretum) *sed ipsum esse rei intuebatur*: (ecce rerum praesentia in aeternitate)

Prob. ratione. 1. Prob. fundamentalis non est alia, quam quae supra ex S. Th. proposita est. Haec nimirum. Deus cognoscit alia a se in se ut in causa: atqui est causa futurorum contingentium per decretum suae voluntatis: ergo. Major constat ex dictis art. 4. praeced. dissert. Minor ex art. 3. ejusdem dissert., estque communis, et passim tradita in Scripturis. Ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* Sap. 11. *Quomodo aliquid permanere posset, nisi tu voluisses?* Apoc. 4. *Tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt* adde illud Is. 26. *Omnia opera nostra operatus es nobis*: et illud ad Philipp. 2. *Operatur in vobis et velle et perficere* Prob. 2. Decretum divinae voluntatis habet omnes conditiones requisitas, ut sit medium, in quo Deus futura contingentia cognoscat. Ergo. Prob. Ant. Medium, in quo Deus futura contingentia cognoscit, debet esse aeternum, quia Deus non incipit in tempore cognoscere, quae prius nesciebat; debet esse efficax, et infallibile, alioquin in eo certo non cognosceret, sic tamen quod potuerit non esse, quia Deus potuit futura non cognoscere, si ea facere non voluisset: atqui decretum divinae voluntatis est aeternum, cum Deus non incipiat in tempore velle aliquid, quod prius non volebat; est efficax, quia est omnipotens, et nemo, ut dicit Scriptura, voluntati divinae resistit: potuit tamen non esse, quia Deus libere voluit, quaecumque voluit ad extra, ita quod potuisset non velle quaecumque fuerunt, sunt, aut erunt in mundo. Ergo.

Notandum tandem est quod decretum, in quo Deus videt omnia futura dicitur *praedeterminans*; unde per decretum praedeterminans nihil aliud intelligimus,

quam decretum divinae voluntatis efficaciter, et infallibiliter determinans rei futuritionem, suaviter tamen, quia modum ejus liberum etiam determinat. Duplici autem titulo *determinans* dicitur 1. quia causat futurum: 2. quia certo, et infallibiliter, libere tamen, causat. Ex quibus recte concluditur quod istud solum, et non aliud indifferens, aut concomitans potest esse medium, in quo Deus futura certo, et infallibiliter cognoscat.

Caeterum quidquid sit decretum Dei liberum, et in quo consistat; quod in omni sententia difficillimum est definiri, ut videbimus infra, certum est saltem apud omnes Theologos esse aliquid sufficiens ad productionem omnium creaturarum; a fortiori ad cognitionem earum.

Objicies 1. Si Deus certo et infallibiliter futura libera cognoscat in suo decreto, istud decretum debet esse efficax, et infallibile, atqui inde perimitur libertas, et futura desinunt esse libera: ergo.

R. N. Min. quin potius inde adstruitur libertas, quia decretum non est solum ad substantiam rei, sed etiam ad ejus modum, scilicet libertatem 1. p. q. 19. a 8. o. et ad 2. Unde ex hoc, quod sit efficax et infallibile nihilque divinae voluntati resistat, sequitur, quod non solum fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quia sic Deus vult fieri. Similiter S. Anselmus, cujus authoritate hac in parte abutuntur Molinistae in Concord. praedest. c. 1. ait *Quoniam quod Deus vult non potest non esse, si Deus vult voluntatem humanam nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam, et esse quod vult.* Verum de hoc argumento late in Philosophia, dum de praemotionibus physicis, et infra dum de efficacia divinorum decretorum.

Objicies 2. Peccata saltem Deus non cognoscit in suo decreto, cum ea neque velit, neque decernat, quin e contra maxime detestetur, et prohibeat.

R. Equidem Deum non velle peccata fieri, tamen ea permittere. Nihil enim futurum est nisi volente, vel permittente Deo, juxta illud Augustini in Enchirid. c. 95. *Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et illud S. Thomae loco cit. *Illa solum sunt futura, quae Deus permittit esse, vel vult esse.* Cognoscit ergo Deus peccata futura in suo decreto permissivo, hoc est in decreto suspendendi, seu denegandi auxilium ad vitandum peccatum.

Et quia in iis casibus, in quibus Deus decernit non opitulari speciali auxilio voluntati creatae, et tamen eam movere, prout secundum praesentes dispositiones exigit, ad actum conjunctum cum defectu, certo voluntas ipsa peccabit, certo etiam et infallibiliter in hoc decreto ex parte permissivo, et ex parte positivo, Deus peccatum futurum cognoscit. Quomodo autem, et quando voluntas creata exigit moveri ad actum defectuosum dicemus dum de divinis decretis.

Articulus V.

De Scientia futurorum conditionatorum. Utrum Deus ea certo cognoscat?

Nota. Futurum conditionatum, ut jam diximus, est quod reipsa non erit, esset tamen si aliquid aliud poneretur. Potest accipi dupliciter 1. in sensu illativo, ita ut *Si* sit idem ac *ergo*, explicans connexionem antecedentis cum consequente. 2. In sensu enuntiativo, ita ut *Si* importet tantum coexistentiam extremorum. Futura conditionata sensu illativo accepta certo a Deo cognosci per scientiam, simplicis intelligentiae non est dubium, cum sint necessario vera, vel necessario falsa. Quaestio est de futuris conditionatis sensu enuntiativo acceptis, et possunt distingui triplicis generis. Quaedam habent necessariam connexionem cum conditione, ut *si Pe-*

trus peccet, amittet gratiam ,, Quaedam habent connexionem tantum contingentem cum conditione, ut ,, *si Evangelium praedicetur Tyriis, converterentur.* ,, Quaedam tandem nullam habent cum conditione connexionem, sed sunt omnino disparata ; ut ,, *Si Rex Joas percussisset septies terram, destruxisset Syriam* ,, Futura conditionata necessaria a Deo certo cognosci nullus dubitat, cum haec a nobis etiam cognoscantur. Restat ergo difficultas de futuris conditionatis contingentibus, et disparatis.

Dico. Deus certo cognoscit futura conditionata, contingentia, et disparata.

Prob. Deus multa in Scripturis praedixit certo futura conditionata, quae nullam, aut contingentem tantum ex se habent connexionem : atqui nefas et dicere Deum aliquid certo futurum affirmasse, quod non sciebat certo futurum ; ergo, Prob. maj. 1. Reg. 23. Davidi interroganti Dominum, an Ceilitae traderent eum Sauli, si apud ipsos remaneret ? respondit Dominus. *Tradent* : scilicet si remaneas. 3. Reg. 11. *Dixit Dominus filiis Israel: non ingrediemini ad eas* (filias gentium) ... *certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* 4. Reg. 13. Regi Israel dixit Elisaeus : *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem,* Matth. 11. dixit Christus ; *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia, si in Tyro, et Sidone factae fuissent virtutes, quae in vobis factae sunt, olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent* Adde promissiones, quas fecit Deus de transmittenda justitia originali in posteros Adae, si ipse non violaret pactum ; de firmando regno in domo David, si ejus posteri servarent legem, et plura alia : ergo.

Prob. ratione. Negari non potest, quin Deus aliquam cognitionem habuerit de istis futuris : atqui non conjecturalem, aut probabilem, haec enim incerta est, et obnoxia errori ; proindeque Deum dedecens : ergo certam.

Ex Aug. lib. de dono perseverantiae c. 9. ubi dicit : *Numquid possumus dicere etiam Tyrios, et Sidonios apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent ; cum eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent illa signa virtutum.* Ergo agnoscit Aug. Christum certo novisse Tyriorum conversionem, si facta fuissent apud ipsos signa, et miracula.

Petes 1. Per quam scientiam Deus futura conditionata cognoscat ?

Resp. In hoc divisos esse Thomistas, Quidam dicunt futura conditionata a Deo cognosci per scientiam visionis, non quatenus visionis formaliter, sed quatenus libera est, et approbationis. Alii dicunt ea cognosci per scientiam simplicis intelligentiae, quam distinguunt in necessariam, et liberam, illa versatur circa mere possibilia, ista circa futura conditionata. Ex iis duabus sententiis elige, quam malueris, perinde est, modo non dixeris scientiam independentem a decreto Dei actuali.

Petes 11. An Deus certo cognoscat omnia omnino futura conditionata ?

Resp. Quantum ad futura conditionata in Scripturis revelata, constat ex dictis Deum certo illa cognoscere. Quantum ad alia non revelata, sed quae spectant gubernationem hujus Mundi, et habent ordinem ad ea, quae de facto futura sunt, ut haec v. g. Si Petrus non introivisset Praetorium non peccasset ; si Judas non habuisset loculos, Christum non tradidisset, aut etiam disparata ; Si Petrus currat, Joannes sedebit, censent communiter Theologi ea etiam a Deo certo sciri, quia cum Providentia ejus sit perfectissima, debet prospicere quae aliquo modo conducunt ad ejus perfectionem, et habent connexionem, vel ordinem cum iis, quae provisa sunt. Adde, quod hoc ipso, quo supponuntur aliquo modo futura, sint a Deo decreta, in decreto autem ea certo cognoscit.

Articulus VI.

De Scientia media.

Part.

§. I *Praenotanda. Status quaestionis exponitur.*

Nota 1. Articulo praecedenti diximus ex communi Theologorum sensu, Deum certo cognoscere futura conditionata libera : superest quaestio, eaque in scholis inter omnes celeberrima , in quo medio Deus ea cognoscat ? Thomistae consentanei ad sua principia, ea dicunt a Deo cognosci in suo decreto subjective absoluto, et objective conditionato , quod sic exprimitur : volo quod id fiat, si talis conditio ponatur ; v. g. volo , quod Tyrii convertantur , si praedicetur ipsis Evangelium . Sicut enim nullum est futurum absolutum , nisi ex decreto Dei simpliciter absoluto, nec nullum futurum conditionatum , nisi ex decreto Dei objective conditionato , et sicut futura absoluta in suo decreto absoluto Deus cognoscit , ita et futura conditionata in suo decreto conditionato , dari autem hujusmodi decreta ex parte objecti conditionata , et ex parte subjecti absoluta , infra probabimus.

Id Patres Societatis tamquam libertatis eversivum, et sanctitati Dei injuriosum abhorrent. At si urgeas, ut assignent aliud medium , vix cui credas , reperies; ita inter se digladiantur , aliis pro supercomprehensione causarum secundarum , aliis pro essentia divina , ut habet rationem speciei intelligibilis , aliis pro decreto futuro , aliis pro veritate formali , aliis pro objectiva contendentibus : verum in hoc unanimiter conveniunt a temporibus P. Ludovici Molinae , Deum non cognoscere futura conditionata libera in aliquo decreto absoluto actuali sed ante illud, eamque scientiam inde vocant *mediam* ; vel quia, ut ipsi dicunt, est media inter scientiam *simplicis intelligentiae*, et *visionis*, ac de utraque participat : est enim *necessaria* ex parte Dei cum praecedat ejus decretum ,sicut scientia *simplicis intelligentiae* , *libera* ex parte objecti , quia est circa futura contingentia , ut scientia *visionis* , vel quia fertur in futura conditionata , quae medium locum tenent inter mere possibilia, et futura absoluta, vel tandem, si superis placet, quia est medium divinitus inventum ad profligandas haereses Lutheranorum, et Calvinistarum, ut quidam jactitant.

Nota 2. est ergo scientia *media*, juxta suos assertores cognitio , qua Deus ante decretum actuale determinans futuritionem conditionatam actuum liberorum, explorat, et certo praevidet, quid voluntas creata ex innata libertate ageret , si poneretur in talibus , vel talibus circumstantiis cum oblato auxilio indifferenti , an illi consentiret, et bene ageret ? an illi dissentiret, et male ageret ? quo praeviso , si velit eam consentire, et bene agere , decernit illam in talibus circumstantiis ponere, in quibus praevidit consensuram, et offerre illi concursum indifferentem , sin minus , decernit in aliis circumstantiis ponere ; et in tali decreto absoluto , inquiunt, Deus certo cognoscit consensum absolute futurum, sed ista certitudo , ut patet , non provenit ex ipsa efficacia decreti , sed ex ipsa praevia scientia conditionata.

Dixi ; *Ante decretum actuale determinans futuritionem conditionatam*: quia isti Theologi non refugiunt admittere decretum generale in Deo concurrendi cum causis liberis , si velint , aut quando voluerint se determinare ad agendum . non enim , inquiunt, Deus praevidet consensum futurum posita conditione, nisi mediante concursu .

Nota 3. De ortu, et origine scientiae mediae iterum inter se litigant ejus patroni . Quidam volunt esse felicem nec satis laudandum Molinae foetum eo usque in scholis inauditum. Alii cautiores, ne ipsa novitate improbentur, con-

tendunt eam esse perantiquam et ex ipsis Patribus haustam : ita moderni cum Suarez. Quod vero spectat rei veritatem , dicimus , nec esse Molinae foetum , nec ex Patribus haustam , sed aliunde depromptam.

Nota 4. Abutebantur Semi-Pelagiani scientia media, quatenus dicebant Deum per eam praescire in voluntate humana id , unde moveretur ad conferendam his potius , quam illis gratiam , existimabant enim Deum non posse absque injusta personarum acceptione uni prae altero gratiam decernere, nisi esset aliquod saltem initium Fidei ex parte voluntatis humanae , quo ad id moveretur. an autem istud initium fidei reponerent in natura nuda , an in natura aliquo auxilio interiori adjuta , non disputo modo : de hoc alibi ..

Et cum urgerentur exemplo parvulorum , qui immatura morte rapiuntur , quorum his gratia baptismi confertur, non illis, dicebant Deum praescivisse, quid boni, vel mali acturi fuissent, si ad adultam aetatem pervenissent , et inde pariter moveri , ut his potius , quam illis baptismi gratiam conferret. Hunc porro usum seu potius abusum scientiae mediae rejiciunt moderni ejus assertores ; non enim volunt praescientiam boni operis conditionate praevisi, esse Deo causam motivam , cur his potius , quam illis conferat gratiam ; ut patet , inquiunt, in Tyriis et Sidoniis , quos Deus praevidit convertendos, si eis praedicaretur Evangelium , et tamen noluit praedicari .

Verum in hoc cum Semi-Pelagianis conveniunt , quod eam admittant ad conciliandam humanam libertatem cum infallibilitate divinorum decretorum; cum enim non secus ac Semi-Pelagiani existiment perimi libertatem humanam, si Deus infallibiliter praedefiniat voluntates nostras , et tamen negari non possit , quin Deus sua aeterna, et infallibili providentia disponat omnia , etiam actus liberos , dicunt Deum prius , quam quidquam absolute decernat , praevidisse , quid voluntas creata in his, vel illis circumstantiis posita, boni vel mali ageret ex innata libertate sub oblato concursu indifferenti ; quo praeviso absolute, et infallibiliter decernit , qui bene vel male sint acturi ; quia eos , quos vult bene agere , ponit in his circumstantiis , in quibus praevidet ex innata libertate bene acturos, sin minus, in aliis , sicque de omnibus infallibiliter disponit, prout vult, absque praejudicio libertatis. Scientiam mediam hoc sensu explicatam , a Molina suscitatam , Societas Jesu fecit suam ab anno 1598. quo nostri eam Semi-Pelagianismi accusarunt in famosis Congregationibus de auxiliis, coram Clemente VIII., et postea coram Paulo V.

Nota 5. Extra scholas Societatis pauci sunt , qui hanc scientiam mediam defendunt. Inter hos paucos novissime prodiit Honoratus Tournely Doctor Parisiensis in suis praelectionibus de Deo. Q. 16. art. 5. Sed eam tot pigmentis illinit , tot aequivocis involvit , tot explicationibus restringit , ut vix eam agnoscas. Crederes ipsum erubescere causam hanc aperta fronte tueri ..

§. II. *Impugnatur scientia media auctoritate Scripturae.*

Apostolus 1. Cor. 4. dicit : *Ne supra quam scriptum est unus adversus alterum infletur prae alio. Quis enim te discernit ? Quid habes , quod non accepisti ? Si autem accepisti . quid gloriaris , quasi non acceperis ?* Ex quo sic argumentor. Juxta Apostolum discretio unius ab alio repeti debet non ex parte voluntatis humanae , sed ex parte Dei unum ab alio per suam gratiam discernentis: at scientia media supponit unum prae alio, puta Petrum, a Juda, se discernere ex propria voluntate : ergo. Prob. min. supponatur Petrum, et Judam in aequalibus circumstantiis aequali gratia praeveniri; Deus videt Petrum consentientem illi gratiae , et inde se discernere a Juda non consentiente , non ratione gratiae , utrique enim aequalis, et indifferenter oblatae: ergo ratione determinationis propriae voluntatis ad acceptandam gratiam .

Confirmatur. Quod Petrus prae Juda in aequalibus circumstantiis consentiat gratiae, hoc habet vel a Deo donante hunc consensum, vel ex propria voluntate. Si consensum habeat a Deo donante: ergo antequam Deus decernat, quod velit hunc consensum dare, non est futurus iste consensus, nec illum ut futurum Deus videre potest, sicque perit scientia media. Si autem Petrus hunc consensum habeat ex propria voluntate: ergo habet, quod non accepit, et eo seipsum a Juda discernit contra Apostolum.

Respondet P. Annatus, et alii Molinistae, quod Apostolus non loquatur ibi de donis supernaturalibus divinae gratiae, sed de donis naturalibus sapientiae, et eloquentiae, in quibus alii prae aliis excellebant in annuntiando Evangelium, et inde inflabantur, atque alios contemnebant.

Contra. Nego assumptum P. Annati. Quamvis enim Apostolus haec dixerit occasione eorum, qui de donis naturalibus gloriabantur, ejus tamen verba non ad hos solum restringuntur, sed generalia sunt, et spectant quaecumque dona sive naturalia, sive supernaturalia; nihil enim excipit: *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti*? Iis ergo voluit totius humilitatis Christianae jacere fundamentum, et adversus quamcumque inanem gloriam, sive quoad naturalia, sive quoad supernaturalia nos praemunire. Ita intelligunt interpretes, et inter SS. Patres Ambros., Teod., Ansel. apud Tirinum. Imo S. Aug. lib. de Praedest SS. c. 5., et lib. de Spirit. et litt. c. 34., et Conc. Arausic. 2. can. 6. hanc generalem Apostoli sententiam in particulari accipiunt de discretione per gratiam. Et sane paradoxum foret in Religione Christiana hominem non posse gloriari de bonis naturalibus, et posse de bonis supernaturalibus, quasi supernaturalia haberet a se, et naturalia a Deo.

Consequenter ad hanc auct. Apost., S. Cyprian. apud Aug. lib. de Praedest. SS. cap. 3. dicit: *In nullo gloriandum est, quando nostrum nihil est*. Et S. Basil. Hom. 20. de humilitate: *Nihil tibi relictum est, o homo, de quo possis gloriari, per universum enim in gratia, et dono Dei vivimus.*

Longe plura alia Scripturae loca proferri possent adversus scientiam mediam, sed brevitati studentes haec dumtaxat annotamus. Apostolus Ephes. 1. dicit Deum nos elegisse, non quia futuri eramus Sancti, sed ut essemus Sancti. 1. Cor. 12. Deum operari omnia. Philipp. 2. operari velle. Atqui si nos elegit, ut essemus Sancti, ergo priusquam eligeret, non scivit nos esse Sanctos, etiam sub auxilio gratiae, ut praecoccupetur evasio Tournely. Si operatur omnia et ipsum velle, ergo dat ipsum velle, et consentire; si dat, quomodo futurum cognoscere potest, antequam decreverit dare?

Respondet Tournely operari velle, quia sine gratia, quam gratis concedit, bonum non volumus. Sed quaero, vel gratia determinat voluntatem meam ad velle, et consentire, vel voluntatis consensus determinat gratiam ad mecum concurrendum. Si primum, habemus intentum, et Deus non potest praescire futurum hunc consensum, nisi in voluntate dandi gratiam illam determinantem, et efficientem: si secundum, ergo consensus gratiae non est a gratia, sed a me.

§. III. *Impugnatur scientia media auctoritate SS. Aug., et Thomae.*

Suppono tamquam certum, Hilarium et Prosperum in suis Epistolis ad Augustinum, ei proposuisse scientiam mediam ex parte Semi-Pelagianorum. Scribit enim Prosper in Epist. ad Aug. hanc esse Semi-Pelagianorum sententiam, scilicet *Deum praedestinasse in regnum suum, quos de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit.* Et cum urgerentur exemplo parvulorum, *qui ante discretionem boni vel mali de usu vitae istius auferendi, alii per regenerationem inter caelestis regni assumantur haeredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuae transeant debitores: tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in*

annis majoribus, si ad activam servarentur aetatem, scientia divina praevide-rit. Item cum urgerentur exemplo tot nationum, quarum aliis est annuntiatum Evangelium, aliis non annuntiatum: *Praevisos inquiunt a Domino credituros, et ad unamquamque gentem ita dispensata tempora, ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum*. En in his duobus exemplis apertissime praescientia futurorum conditionatorum praevia decreto.

Idem Hilarius scribit in Epist. ad S. Aug. et S. Prosper *Cum eis* (Semi-Pelagianis) *dicitur, quare aliis vel alicubi praedicetur, vel non praedicetur.... Dicunt, id praescientiae esse divinae, ut eo tempore, et illis veritas annuntietur, quando et ubi praenoscebantur esse credenda*, Sub fine Epistolae expresse rogat Augustinum, ut explicet, quomodo decretum praeveniens nostras voluntates (quod nolebant admittere Semi-Pelagiani) non noceat libertati, an potius decretum imitatur praescientiae, tandem ut respondeat objectioni petitae ex suis et aliorum Patrum testimoniis.

Ex his omnibus palam est Prosperum et Hilarium proposuisse Augustino ex parte Semi-Pelagianorum scientiam mediam, seu scientiam futurorum conditionatorum ante decretum. Nunc nobis incumbit probandum, S. Augustinum eam improbasse, non solum quantum ad abusum seu quatenus exhibet Deo motivum conferendi, vel denegandi gratiam, id concedunt Molinistae; sed etiam eam improbasse quoad substantiam, hoc est, docuisse, nullam esse in Deo scientiam futurorum contingentium tam absolutorum, quam conditionatorum independenter a decreto absoluto, et actuali, abstrahendo ab abusu vel usu, ad quem adhiberi potest. Hoc autem probamus multipliciter ex libris de praedestinatione Sanctorum, et de bono perseverantiae, quibus S. Doctor respondet Prospero, et Hilario.

Priusquam ad probationes descendamus, notandum est quod Augustini mentem potissimum inquirimus, quia ejus doctrina in hac materia, et ea maxime quam tradit in libris de Praedest. SS., et de dono perseverantiae, est doctrina Ecclesiae juxta illud Hormisdae Papae ad Possessorem: *ea quae sentit Romana Ecclesia de gratia, et libero arbitrio ex libris S. Augustini ad Hilarium, et Prosperum cognosci possunt*. Id etiam constat ex hoc quod Clemens VIII. in famosis Congreg. de auxiliis jusserit doctrinam Molinae de scientia media expendi ad mentem S. Augustini.

Prob. 1. Aug. libro de dono perseverantiae cap. 17. respondens quaestioni Hilarii: *An ea, quae sunt a Deo praescita, sint etiam ab eo praedestinata, ita ut praescientia sit subnixa decreto?* quae est ipsissima quaestio scientiae mediae quoad substantiam, statuit pro principio, et regula generali, quod, si opera nostra bona non sint a Deo praedestinata, *nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit: quod, si et dantur, et ea se daturum esse praescivit, profecto praedestinavit*. Et de praed. Sanct. c. 10. *Praedestinatione*, inquit, *Deus praescivit, quae fuerat ipse facturus*. Hoc autem posito generali principio stare non potest scientia media, juxta quam sunt a Deo praescita bona et non praedestinata: quod ut manifestius fiat sic argumentor.

Quod Petrus, si ponatur in iis circumstantiis, sit gratiae consensurus potius, quam dissensurus, vel erit a Deo donante, vel ex innata libertate arbitrii; si erit a Deo donante, id juxta Augustini principium praesciri non potuit ante, vel extra decretum, sicque nulla est scientia media, saltem circa illum consensum. Si non erit a Deo donante; sed ex innata libertate; ergo quod maxime conducit ad salutem, nempe gratiae consentire potius, quam eam rejicere, non erit donum Dei, sed fructus liberi Arbitrii; quod non est tantum contra August., sed etiam contra fidem.

Prob. 2. Aug. eod. lib. de perseverantia cap. 18. respondens objectioni Semi-pelagianorum petitae ex testimoniis aliorum Patrum antiquorum, quam ipsi

proposuerant Hilarius, et Prosper, post quam ostendit Patres antiquiores nomine praescientiae non intellexisse meram praescientiam decretis Dei praeviam, sed includentem decretum et ei innixam, concludit capite sequenti statuendo hanc alteram regulam generalem: *Quid ergo nos prohibet quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam de vocatione electorum, eamdem praedestinationem intelligere?* Quo altero principio palam est, pariter everti fundi-tas scientiam mediam, juxta quam datur praescientia boni pertinentis ad vocationem electorum, scilicet consensus gratiae conditionate futuri, quae non est praedestinatio.

Prob. 3. Si Augustinus probavit scientiam mediam quantum ad substantiam, qualem nunc docent scholae Molinae, quaero, cur illam non proposuit Semi-Pelagianis ad compescendas eorum querimonias, et ad sedanda scandala orta occasione suae doctrinae? Vidimus enim supra, referente Prospero, illos conqueri, *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio*, ut docebat Aug., *humanas praeveniat voluntates, et sub hoc praedestinationis nomine fatalem necessitatem induci*, et paulo ante, *propositum illud vocationis Dei, et lapsis incuriam resurgendi, et Sanctis occasionem teporis afferre.* Quare, inquam, his querelis sedandis, et objectionibus solvendis non adhibuit Augustinus scientiam mediam? nihil enim erat expeditius ad ea inconvenientia semovenda, cum ad id sit excogitata: eam tamen nullibi in responsionibus ad Hilarium, et Prosperum admisisse constat, ut fatentur Tournelius, Gabriel, Daniel, cum aliis Molinistis; eam ergo certo certius non probavit August., aut si probavit, maxime culpandus est, quod tam facili, ac prompto remedio tot malis ac scandalis mederi omiserit, suam et religionis causam tueri neglexerit, et dissesiones in Ecclesia solo litigandi studio foverit, quod sane de tanto Doctore nefas est suspicari:

Quantum ad Divum Thomam:

1. Sanctus Doctor nusquam meminit scientiae mediae, sed dumtaxat scientiae simplicis intelligentiae, quae mere possibilia spectat, et visionis, quae futura supposito decreto intuetur.

2. Quotiescumque S. Doctor sibi proponit argumenta, quae conglomerant adversarii circa concordiam libertatis cum divinis decretis, nunquam confugit ad scientiam mediam exploratricem consensus, aut dissensus libertatis humanae ante decretum, sed cum Augustino recurrit ad ipsius divinae voluntatis efficacissimam potestatem. Ita hic q. 19. a. 3. *Cum voluntas divina*, inquit, *sit efficacissima, non solum sequitur, quod ea fiant, quae Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus vult fieri; vult autem quaedam fieri necessario, et quaedam contingenter et libere.* Similiter alibi.

3. Ille rejicit scientiam mediam, qui negat ejus objectum: atqui S. Thomas negat objectum scientiae mediae: ergo. Prob. min. Objectum scientiae mediae est futurum conditionatum ante Dei decretum actuale: atqui secundum divum Thomam nullum est futurum ante Dei decretum actuale: ergo. Minor est S. Thomae hic q. 16. a. 7. Neque valet si dicas, S. Thomam esse intelligendum de futuris absolutis non conditionatis, quia eadem est ratio de conditionatis, ac de absolutis proportione servata, ut patebit §. sequenti.

4. Ille rejicit scientiam mediam, qui docet creaturas non posse cognosci a Deo immediate in seipsis, sed in ipsa ejus essentia: per scientiam mediam enim, si daretur, Deus non videret consensum hominis conditionate futurum in sua essentia, ut potenti illum producere, quia inde nihil dicitur futurum, sed possibile dumtaxat: neque in essentia ut determinata per decretum; quia foret illo decreto prior, sed immediate in seipso; et ita esse contendunt adversarii: atqui S. Thomas perpetuo docet creaturas non cognosci a Deo immediate in seipsis, sed in ipsa

ejus essentia. Ita hic q. 14. a. 5. et alibi pluries. Vide dissertationem praecedentem a. 4. Plura alia D. Thomae principia, quibus evertitur scientia media, referunt auctores: consule, si lubet, Gonetum.

§. IV. *Scientia media variis rationibus impugnatur.*

Prima ratio fundamentalis. Non datur objectum scientiae mediae: ergo non datur scientia media. Prob. ant. Objectum scientiae mediae secundum suos assertores est futurum liberum conditionatum ante Dei decretum actu exercitum, et independens ab illo; Atqui ante Dei decretum actu exercitum, et independenter ab illo nullum est futurum conditionatum liberum; ergo. Prob. min. in qua est difficultas. Si aliquid in contingentibus esset conditionate futurum ante Dei decretum, vel hoc haberet a se, vel ex vi conditionis, vel a concursu indifferenti oblato, vel tandem ab aliqua alia causa; atqui non a se, aliquin non esset futurum contingens, sed necessarium, et naturale; et insuper sicut nihil sibi dare potest ut sit; ita nec ut sit conditionate futurum. Non vi conditionis; vel enim conditio est disparata, ut in hac propositione, *si percussisses septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem*, et tunc plusquam manifestum est, quod illa conditio, scilicet septena percussio terrae, vi sua non inferat infallibiliter futuram consumptionem Syriae; vel conditio est comparata, seu pertinens, ut si fiat praedicatio, erit conversio; et tunc etiam manifestum est, talem conditionem non reddere conversionem infallibiliter futuram, cum saepe fiat praedicatio sine conversione, et aliunde sequeretur, quod sola praedicatio sufficeret ad conversionem, quod est damnatum in Pelagio. Non a concursu oblato; quia concursus ille generalis et indifferens non habet nexum infallibilem cum eventu, puta cum consensu; cum stare possit cum consensu, vel dissensu juxta suos auctores. Non tandem ab aliqua alia causa, quia omnes aliae causae sunt indifferentes, et indeterminatae ad futuritionem, vel non futuritionem pro priori ad decretum Dei determinans alterutram, cum non se determinent independenter a determinatione primae causae, alias non forent causae secundae, sed primae, et prima foret secunda; restat ergo solum Dei decretum, quo res contingens fiat conditionate futura, et ut talis a Deo cognoscatur.

Confirmatur 1. ista Minor ex dictis art. 1. hujus diss. de notione futuri. Futurum absolutum est id, quod est absolute determinatum in suis causis ad habendam existentiam in tempore sequenti, ut patet ex supra dictis. Ergo futurum conditionatum est id, quod est conditionate determinatum in causis ad habendam existentiam in tempore sequenti. Subsumo. Atqui ante decretum seu determinationem Dei, utpote causae primae, nulla alia causa est determinata ad futuritionem ullius rei etiam sub conditione. Ergo.

Conf. 2. eadem Minor. Rem esse conditionate futuram, non est denominatio intrinseca (haec enim rei nondum existenti competere non potest) sed extrinseca, consequenter proveniens ab aliqua forma, rei futurae extrinseca; atqui non a causa ut potenti illam producere, haec enim denominat rem possibilem dumtaxat; non a causa ut actu producente, haec enim denominat rem existentem, ergo a causa ut determinata ad dandam illi existentiam sub conditione. Subsumo: atqui ante Dei decretum nulla causa alia est determinata, ut jam diximus; ergo ante Dei decretum nihil est conditionate futurum.

Confirm. 3. Futuritio conditionata non reliquit rem in statu meae possibilitatis, sed transfert ad statum aliqualis futuritionis, (mediat enim inter possibilitatem, et futuritionem absolutam). Item est aliquid reale, aliquid verum, et cognoscibile, ac tandem dicit aliqualem actualitatem, quam non dicit possibilitas, nimirum ordinem ad existentiam, si ponatur conditio. Atqui 1. Res non potest tran-

sire a statu possibilitatis ad statum aliqualis futuritionis per seipsam ; neque per voluntatem divinam praecise ut potentem, cum haec relinquat rem in statu possibilitatis. Ergo per voluntatem divinam aliter dispositam, quam erat in illo priori signo, in quo res concipiebatur tantum possibilis ; disponitur autem aliter per suum decretum. 2. Ista realitas, ista veritas, et actualitas, quam dicit futuritio conditionata non potest subterfugere divinam causalitatem ; Deus autem nihil causat extra se, nisi ad id libere determinatus.

Huic fundamentali rationi varie respondent Adversarii. 1. Quidam dicunt ideo aliquid esse conditionate futurum, quia erit *Si*. At haec responsio est manifestissima petitio principii : hoc est enim, quod quaerimus, unde res non existens habeat quod erit potius, quam non erit, si ponatur conditio, non habens ex se cum illa infallibilem connexionem? Nihil est aliud assignabile, quam decretum, ut probavimus.

Respondent alii, et communius. Causa effectui debet proportionari, ita ut effectui qui est, assignetur causa, quae sit, effectui qui erit, causa quae erit, effectui qui esset, si poneretur conditio, causa, quae esset, si poneretur conditio : atqui futura conditionata nec sunt, nec erunt, sed solum essent si poneretur conditio : Ergo sufficit si iis assignetur decretum, quod non sit actu, sed quod esset, si poneretur conditio.

Respondeo. Dist. Min. Futura conditionata nec sunt, nec erunt, etc. quoad actuale exercitium existentiae, ad quam sunt futura Conc. Min. Non sunt, nec erunt, etc. quoad actualem veritatem, seu rationem futuritionis conditionatae, Nego. Min. Et in hoc magna est hallucinatio adversae sententiae. Explicatur solutio.

Verum est quidem quod futnra conditionata non sunt actu, id est non existunt in re ea existentia, ad quam aliquando habendam sunt futura, nec etiam sic existunt futura absoluta, alias non forent futura, sed praesentia : pro futuris ergo conditionatis sic sumptis debet assignari causa quae esset, si poneretur conditio, sicut pro futuris absolutis sic sumptis debet assignari causa, quae aliquando erit. Attamen sunt actu quoad veritatem, seu rationem futuritionis conditionata vel absoluta ; vere enim sunt actu futura conditionate, vel absolute, et pro illa futuritione actuali absoluta, vel conditionata, quae non est ens rationis, nec pura possibilitas, debet assignari causa, quae sit actu ; et sicut pro futuritione absoluta ipsimet adversarii in objectione assignant decretum absolutum actu existens, ita pro actuali futuritione conditionata debet assignari decretum conditionatum actu existens. Hinc sic argumentor ad hominem. Quamvis futura absoluta non existant actu, quia tamen sunt actu futura absolute, pro veritate hujus futuritionis absolutae assignatis causam, quae sit actu, scilicet decretum absolutum actu existens ; ergo pariter, quamvis futura conditionata, non sint actu, quia tamen sunt actu futura conditionate, debet eis assignari causa quae sit actu, scilicet decretum conditionatum actu existens.

Secunda ratio praecedenti affinis, seu major ejus explicatio. Scientia media est, qua Deus independenter a decreto positivo videt infallibilem connexionem inter voluntatem humanam et hunc actum potius, quam alium, positis certis circumstantiis : atqui non est talis connexio ante Dei decretum positum ; ergo non est objectum scientiae mediae. Major patet ex definitione Scientiae mediae. Prob. min, Non est infallibilis connexio inter ea, quae nec per se, nec per aliud connectuntur : atqui ante Dei decretum positum voluntas non connectitur infallibiter neque per se, neque per aliud cum hoc actu potius, quam cum alio : ergo. Non per se, voluntas enim est indifferens ad hunc vel illum ; et aliunde si per se connecteretur cum uno actu, esset naturalis et necessaria connexio, sicque futurum necessarium, quod est contra hypothesim. Non per aliud : quid enim esset istud aliud ? Non divina voluntas, quia nullum in ea supponitur decretum, quo de facto

velit illa connecti ; non decretum *si*, seu concursus oblatus *si*, utrumque enim est indifferens ad hunc vel oppositum actum ; non circumstantiae, illae enim sunt disparatae, vel contingentes, proindeque non infallibiliter ex se connexae cum uno actu

§. V. *Inconvenientia gravissima scientiae mediae.*

Primum inconveniens. Scientia media tollit a Deo rationem primae causae, et primi motoris. De ratione, enim primae causae, et primi motoris est, ut alias causas moveat, et nulla ex eis moveatur, nisi mota a prima.

Secundum inconveniens. Scientia media tollit a Deo rationem causae universalis, cum in eo systemate aliquod ens, nimirum determinatio creaturae, ejus causalitatem subterfugiat.

Tertium inconviens. Scientia media decurtat omnipotentiam Dei, et supremum dominium, quod habet in nostras voluntates. Probatur. Constans est Augustini doctrina, Deum voluntates hominum in quibusvis circumstantiis posse in bonum convertere. *Quis* (inquit S. Doctor in Enchyr. c. 97.) *tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere?* Quod pluries repetit, et ex eo probat, quod sit omnipotens: Atqui in Systemate scientiae mediae Deus non potest, salva libertate, voluntatem inclinare in consensum in iis circumstantiis, in quibus praevisa est dissensura, nec quidquam certo decernere de actibus nostris liberis, nisi prius exploraverit quid nos ipsi volituri sumus, nec potest decernere ut non consentiat in iis circumstantiis, in quibus praevidit consensuram. Ergo. Si dicas Deum posse voluntatem in aliis circumstantiis ponere, in quibus obtinebit consensum; hoc nunc dato, de quo modo, saltem in prioribus obtinere non poterit, sicque non poterit voluntatem, in bonum convertere, quando, et ubi voluerit, nec in ipsam voluntatem, sed in circumstantias tantum dominium habebit.

Imo non repugnat in eo systemate dari hominem, quem Deus etiam de potentia sua absoluta non possit in ulla circumstantia convertere. Namque non repugnat ex natura rei esse hominem, qui in nullis circumstantiis velit converti; seu consentire gratiis praeviis, moraliter tantum moventibus, hae quippe sive conjunctim, sive separatim non habent nexum infallibilem cum consensu, nec unquam vi sua superabunt resistentiam voluntatis. Gratiam autem per se efficacem, quae vi sua cor istud pervicax emolliat, et invictissime convertat, tamquam excidium libertatis abhorrent defensores hujus systematis. Restat ergo Deum non habere cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem, ut loquitur August., seu non posse cor hominis vertere quocumque voluerit, ut dicit. Scriptura, uno verbo non esse omnipotentem.

Quartum inconveniens. In Systemate scientiae mediae Deus non est magis auctor bonorum, quam malorum operum. Prob. In hoc systemate in tantum Deus est causa bonorum operum, in quantum ponit hominem in iis circumstantiis, in quibus praevidit eum bene usurum gratia oblata, et cum eo simultanee concurrit ad bonum opus: atqui pariter illum, qui male agit, ponit in iis circumstantiis, in quibus praevidit illum gratia oblata male usurum; et concurrit simultanee cum illo ad malum opus. Ergo. Neque obstat quod Deus intendat bonum opus, et non malum, quia hic non quaeritur, quid intendat Deus, sed quid faciat; aliunde quamvis Deus non intendat malum, saepe tamen intendit illud permittere, ut ex eo eliciat bonum. Nec etiam obstat quod per gratias morales excitet ad opus bonum, non enim ex iis potest dici Deus proprie operari bonum, et esse causa ejus proprie dicta, quia causalitas moralis est impropria, et metaphorica. Adde Deum non raro constituere suos, ut eos probet, inter gravissimas tentationes, in quibus sunt minora motiva moralia ad bonum.

Quintum inconveniens. Scientia media tollit praecipua in negotio salutis, idest orationis necessitatem. Probatur. Id a Deo petimus, quod ab ipso darì credimus, et non quod a nobis pendet: *Irrisoria enim est petitio* (inquit August.) *cum ab eo petitur, quod scitur ab ipso non dari, sed ipso non donante esse in potestate hominis* „ Atqui quod praecipuum est in negotio salutis, nempe consensus gratiae omnibus indifferenter oblatae, in systemate scientiae mediae non est a Deo, sed a nobis: Ergo illum a Deo petere non debemus. Quid ergo petet a Deo Molinista! Non gratiam ab intrinseco efficacem, quae faciat velle, quae auferat cor lapideum, quae rebellem ad se compellat voluntatem, ut orat Ecclesia; hoc enim totum ipsius est, et poterit Deus illi respondere, fac tu ipse gratiam efficacem illi consentiendo. Id unum ergo petere poterit, ut Deus ipsum constituat in iis circumstantiis, in quibus praevidit ipsum gratiae consensurum.

§. VI. *Scientia media ipsa sua novitate reprobanda.*

Antiqua est veritas, teste Aug. novitium et temporale mendacium. *O Timothee*, inquit Apost. 1. Tim. 6., *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* • Quod exponens Vincentius Lirin: Commonit 1. c. 27. dicit: *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae; non usurpationis privatae, sed publicae traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos.* Plura alia adversus novitias opiniones proferunt Scriptura, Patres, et Theologi. Illa ergo doctrina in rebus praesertim Theologicis merito est rejicienda, quae novitatis vitio laborat.

Porro scientiam mediam esse novam in Scholis Catholicis, Patribus, et antiquis Theologis ignotam palam profitentur ipsimet ejus Assertores. Imprimis ipse Molina in Concord. q. 23. a. 4. et 5. disp. 1. membro ult, Edit. Elyssipon. 1588. se hujus inventorem jactat: *Longior*, inquit, *fui in hac disputatione, quam putaram, quia tamen res est magni momenti, et valde lubrica, et haec nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina praedestinatione a nemine, quem viderim, huc usque tradita fuit, ideo satius haec duxi paulo fusius explicare.* Item ibid. *Quae*, nempe quatuor principia conciliandae libertatis cum divinis decretis, inter quae tertio loco reponit scientiam mediam, *si data explicataque semper fuissent, forte neque Pelagiana haeresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiae Pelagianorum in Gallia, quorum in Epistolis Prosperi, et Hilarii flt mentio, fuissent extinctae.... concertationes denique inter Catholicos fuissent compositae.* Scriptores etiam socii Molinae, eidem gloriam hujus systematis adscribunt; quod ut probetnr, lege Vasquez 1. p. disp. 67. c. 1. Granado 1. p. tract. 5. disp. 3. sect. 2. Herice, Thiphanium et alios, quorum testimonia fideliter transcripta sunt ni majori nostro Opere Tract. de Deo diss. 6. a, 6. §. 7.

Pater Fonseca inventae scientiae mediae gloriam Molinae suo discipulo quasi invidens in sua Metaphysica, quam post Concord. Molinae edidit, Tom. 3. 1. 6. c. 2. q. 6. sect. 8. declarat scientiam mediam a se fuisse excogitatam ante 30. annos, et cur ante Molinam discipulum suum eam non vulgaverit, hanc affert rationem: *Unum illud, inquit, scrupulum injiciebat, ne hac ratione novum aliquid fortasse induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti scholasticorum examine, et accurata lima conveniret.*

[Qui scientiae mediae ortum, progressum, ac fortunam legere desiderat adeat P. Hyacinthum Serry ord. Praed. *Congregationum de auxiliis Historia*, P. Thom. de Lemos ejusd. Ord. *Act. Congregation. de Auxiliis*, P. Henaum Soc. Jesu.

Scientia media historice propugnata. P. Theodorum Eleutherium, seu Livinum de Meyer ejusd. Societatis, qui duobus praegrandibus Tomis in folio ea omnia complexus est, quae ad hanc causam pertinent.]

§. VII. *Convelluntur fundamenta scientiae mediae.*

Objicies 1. cum Tournelio, et caeteris Molinistis ex Scriptura, illud celebre Matt. 11. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis; olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent.* Ex quo sic arguunt; Christus increpat Judaeos comparate ad Tyrios, et Sidonios, quod non egerint poenitentiam visis ejus miraculis, et audita ejus praedicatione, quam egissent Tyrii, et Sidonii, si eadem Christi miracula vidissent; et ejus praedicationem audivissent: atqui haec increpatio fuisset injusta, si Deus cognovisset poenitentiam futuram Tyriorum in suo decreto absoluto, et efficaci, ex hypothesi miraculorum, et praedicationis Christi, et non prius decreto per scientiam mediam: ergo. Prob. min. Illa increpatio est injusta, cui fieri potest justa responsio; atqui in sententia Thomistarum huic Christi increpationi Judaei potuissent juste respondere dicendo: Domine! si efficaciter decrevisses nostram poenitentiam, supposita praedicatione Christi, sicut decreveras poenitentiam Tyriorum sub eadem conditione, poenitentiam egissemus, sicut illi egissent, injuste ergo nos prae illis increpas. Hoc argumentum, quod tam extollunt Molinistae, et quo ubique utuntur tamquam gladio, et clypeo, ex omni parte nutare probant sequentia. Unde:

R. 1. Retorqueo argumentum. Juxta systema gratiae congruae, quod communius sustinent Patres Societatis, quodque omnes secundum suas leges sustinere tenentur. Judaei potuissent pariter respondere Christo increpanti ipsos comparate ad Tyrios. Domine, si nos posuisses in aliis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam praevideras nos poenitentiam acturos, eam egissemus, sicut eam acturi fuissent Tyrii, quos in opportunis illis circumstantiis collocasses ex hypotesi, quod apud ipsos factae fuissent virtutes, quae factae sunt apud nos; seu brevius, quod idem est, si dedisses nobis gratiam congruam, sicut decreveras dare Tyriis, non secus ac illi, poenitentiam egissemus.

R. 2. Directe ad argumentum, N. min. Ad probationem, N. iterum min. Et dico, in nostra sententia nullam fuisse Judaeis causam justae excusationis comparate ad Tyrios, quod non crediderint, et poenitentiam non egerint, ob duplicem rationem: 1. Quia, licet non habuerint gratiam efficacem dantem agere, seu decretum ad illam, habuerunt saltem gratias sufficientes dantes posse; potenti autem facere id, ad quod obligatur, et non facienti, peccatum est illi. 2. Quia, quod non habuerint gratiam efficacem, eorum culpa fuit; eo scilicet quod illa se magis indignos exhibuerint, quam exhibuissent Tyrii propter majorem caecitatem, majorem duritiem, et ingratitudinem.

Inst. Ut increpatio comparativa sit justa, debet esse aequalitas inter extrema comparationis. v. g. Si Petrus validioribus, et aptioribus armis munitus vincat, Joannes vero debilioribus, aut ineptioribus instructus vincatur, injuste Rex increparet Joannem, comparate ad Petrum, quod non vicerit. Atqui in sententia Thomistarum, non foret aequalitas inter Judaeos, et Tyrios, cum hi habuissent gratiam efficacem, illi non. Ergo.

Praemissa retorsione argumenti de gratia congrua, ut supra. Resp. 1. Dist. Maj. Ut increpatio comparativa sit justa, debet esse aequalitas inter extrema comparationis, quoad debitum, et potentiam illud implendi. Conc. Maj. quoad actualem impletionem N. Maj. Tunc enim nulli increpationi foret locus. Porro in Judeis, et Tyriis erat aequale debitum paenitendi, aequalis potentia, cum utrique habe-

rent auxilia sufficientia dantia posse. In exemplo autem allato, arma se tenent ex parte actus primi, seu potentiae.

Resp. 2. Dist. eamd. Maj. debet esse aequalitas inter extrema comparationis, si defectus aequalitatis non proveniat ex culpa illius extremi, cui desunt requisita ad aequalitatem. Trans. Maj. Si ex ejus culpa proveniat, N. Maj. Sic Joannes victus juste increparetur, si recusasset arma aequalia illis, quibus vicit Petrus. Jam autem quod Judaei non receperint auxilia talia, qualia recepissent Tyrii, eorum culpa fuit, propter scilicet majora impedimenta, quae apposuerunt receptioni gratiae, ut dictum est. Haec responsio, quae videtur incidere in sententiam Congruistarum, ab ea maxime differt. Congruitas enim, in qua Patres Societatis reponunt efficaciam gratiae, est, quod detur accommodata circumstantiis personae, loci, et temporis, in quibus praevisa est habitura effectum ex innata libertate, ex quo fit. quod unus consentiat illi, non consentiente altero obdurato, et peccatore, et quod per talem consensum eam reddat efficacem, quae vi sua non erat efficax. Quamvis enim admittant, quod gratia sit major in ratione beneficii in eo, qui convertitur, quam in alio, qui non convertitur, quia scilicet datur ex singulari Dei benevolentia, ut congruat, negant tamen, quod sit major physice, seu efficacia agendi. Unde efficaciam gratiae non in ipsius gratiae vi agendi reponunt, sed magis in ipso consensu voluntatis, quae se gratiae subjicit: nec enim gratiae tribuunt ullam veram causalitatem physicam, quae ipsum voluntatis consensum natura praecedat, et physice causet, neque consequenter volunt esse infallibilem connexionem inter gratiam, et voluntatis consensum ex vi, et efficacia ipsius gratiae, utrumque enim existimant esse libertatis paremptorium. At non sic in nostra sententia, ut fusius explicabitur infra,

Objicit 2. Tournelius cum Molinistis ab authoritate Augustini. S. Aug. lib. de praedest. Sanctorum cap. 10. dicit Deum praescire ea, quae non praedestinat: *Praescire autem potest*, inquit *quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata*: scientia ergo illa non est Dei decreto innixa, nec illud supponit, sed scientia, quae decretum Dei absolutum, et actuale non supponit, vocatur scientia media ergo:

R. Verba Augustini non integre referri: dicit enim S. Doctor. *Praedestinatione quippe Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus: praescire autem potens est etiam quae ipse non facit, sicut quaecumque peccata*: porro verbis prioribus petitur jugulum scientiae mediae; subsumo enim: atqui omnia bona nostra facit Deus: ergo omnia bona nostra in sua praedestinatione, seu decreto praescit: quo posito corruit scientia media. Quae vero non facit Deus, ut sunt peccata, ea praescit non in decreto effectivo, seu approbativo, sed permissivo: juxta istud aliud S. Augustini de dono persev. cap. 6. *Nihil fit* (*nec proinde faciendum sciri potest*) *si quod aut* (Deus) *ipse facit, aut fieri permittit*. Sed de hoc iterum in dissertat 6., in qua alia argumenta Molinistarum diluemus.

Objic. 3. Deus certo cognoscit hoc futurum conditionatum „ Si decrevero efficaciter consensum Petri, Petrus consentiet „ atqui hoc non cognoscit in decreto actuali, cum supponatur nondum esse positum: Ergo ante decretum per scientiam mediam.

Resp. Praedictum futurum non esse futurum contingens, de quo est quaestio, sed futurum necessarium, non necessitate consequentis, sed consequentiae, proinde cognosci per scientiam simplicis intelligentiae: sicut in his propositionibus. Si videam Petrum sedentem, Petrus sedet; Si Deus praesciat Petrum consensurum, Petrus consentiet, quamvis extrema sint libera, connexio tamen inter illa est necessaria, proindeque pertinens ad scientiam simplicis intelligentiae.

Inst. Ex decreto determinante, non sequitur necessario consensus voluntatis. Ergo connexio inter utrumque non est infallibilis, et necessaria.

Ad Arg. Resp. dist. Ant. Ex decreto determinante non sequitur necessario consensus voluntatis necessitate consequentis. C. Necessitate consequentiae. N. vel non sequitur necessario consensus, quasi coacte, et sine libertate ponatur C. Ant. Non sequitur necessario eo modo, quo est a Deo volitus. Nego. Cum enim voluntas Dei sit efficacissima, si velit Petrum libere consentire, sequitur necessario, quod Petrus libere consentiet; sicut si praesciat Petrum libere consensurum, sequitur necessario quod Petrus libere consentiet; Si videam Petrum libere sedentem, sequitur necessario quod Petrus libere sedeat.

[Necessitas consequentis, quae etiam a Theologis vocatur Antecedens, absoluta, et physica, ea est, qua quidpiam in se absolute, et citra ullam factam hypothesim, ita necessario est tale, ut alio modo se habere haud possit; sic ignis necessario calefacit. Haec necessitas tollit, nemine refragante, libertatem. Necessitas consequentiae, quae appellatur etiam infallibilitatis, et hypothetica illa est, quae hypothesim aliquam consequitur, sive qua quidpiam, facta quadam hypothesi non potest alio modo esse. Haec necessitas nullo pacto adimit liberum hominis arbitrium, sicut ipsimet fatentur Molinistae; dicunt enim, facta hypothesi quod Deus dare velit alicui Ethnico gratiam congruam ad Fidem, necesse est necessitate consequentiae, ut ille convertatur ad Fidem, quamvis salva, et incolumis maneat ipsius libertas.

§. VII. *Asseruntur Decreta in Deo subjective absoluta, et objective conditionata*

Nota 1. Decretum in Deo, quod dicitur etiam praedefinitio, et praedestinatio (sumendo praedestinationem lato sensu) nihil est aliud, quam libera divinae voluntatis volitio, seu determinatio efficax, et infallibilis, suavis tamen, circa eventus futuros. Duplex est, absolutum, et conditionatum. Absolutum, quod a nulla conditione pendet sive ex parte subjecti, sive ex parte objecti, et exprimitur absolute per verbum volo: v. g. *Volo creare mundum, volo salvare Petrum*: Conditionatum, quod pendet ab aliqua conditione, et sub illa exprimitur. Et hoc iterum duplex. Conditionatum ex parte subjecti, et ex parte objecti.

Primum est, quando Persona decernens non habet quidem actualem voluntatem tale quid faciendi, haberet tamen, si certa conditio poneretur, ut cum dico: *Vellem venire, si non essem Clericus* Unde tale decretum est tantum velleitas, qua nihil actu decernitur, sed remittitur decernendum in futurum, si ponatur conditio. Conditionatum ex parte objecti tantum est, quando Persona decernens habet actualem volitionem aliquid faciendi, suspenditur tamen executio, donec ponatur certa conditio: ut cum quis dicit. *Volo dare mille florenos Titio, si ducat filiam meam in Uxorem*:

Nota 2. Dari in Deo decreta absoluta circa eventus futuros nullus negat: quia Deus nihil facit in tempore, quod non voluerit ab aeterno. Sed quoad actus nostros liberos est disparitas inter nos, et Molinistas. Secundum nos Decretum absolutum est certo, et infallibiliter determinans, et causans eorum futuritionem, consequenter est medium aptum, in quo Deus futura absoluta certo cognoscat. At secundum Molinistas non est decretum determinans, sed concurrendi dumtaxat ad actum, ad quem Deus per scientiam mediam vidit hominem se innata libertate determinaturum, paratus concurrere ad oppositum, si ad hunc homo vellet se determinare. Unde certitudo eventus futuri non repetitur ex illo decreto absoluto, sed ex scientia media, sicque istud decretum non est medium, in quo Deus futura absoluta certo cognoscat, neque Molinistae illud communiter assignant tamquam medium.

Insuper certo constat non dari in Deo decreta conditionata ex parte subje-

cti, quia cum involvant imperfectionem potentialitatis, et suspensionis, Deo repugnant. Est ergo quaestio de solis decretis subjective absolutis, et objective conditionatis, determinantibus futuritionem conditionatam rerum.

Dico: Admittenda sunt in Deo decreta subjective absoluta, et objective conditionata, futuritionem conditionatam rerum determinantia.

Prob. 1. Ex Scriptura Deus in Scripturis promittit se plura facturum, si certa poneretur conditio: v. g, promisit Adae, quod ejus posteri nascerentur in justitia originali, si ipse non peccaret. Promisit Filiis Israel, quod eos introduceret, et conservaret in terra promissionis, si legem observarent. Promisit Abrahaae, quod parceret Sodomae, si in ea fuerint decem viri justi, et alia plura. Dum ergo Deus haec promittebat, vel habebat voluntatem promissum adimplendi posita conditione, vel non. Si primum habemus intentum, est enim ibi voluntas, seu decretum ex parte subjecti absolutum, et conditionatum ex parte objecti. Si secundum, ergo mentitus est Deus, promittens se facturum, quod facere revera non volebat.

Item: Plura futura conditionata, ut certa revelantur in Scriptura: v. g. quod Rex Joas percussisset Syriam usque ad consumptionem, si septies percussisset jaculo terram: Quod viveret Rex Sedecias, si exiret ad Regem Babylonis: Quod Tyrii, et Sidonii converterentur, si annuntiaretur ipsis Christus. Vel ergo voluntas Divina erat determinata circa haec futura, posita conditione, vel non; Si primum, iterum habemus, intentum: Si secundum, ergo haec futura erant etiam indeterminata, et suspensa, nec poterant dici in Scripturis certo futura, si poneretur conditio, siquidem manente indeterminata, et suspensa voluntate divina, a qua pendebant, ipsa etiam manent indeterminata, et suspensa.

Si dicas in iis omnibus futuris conditionem perdere non a Deo decernente, sed a voluntate humana, quorum decreta non refugiunt admittere adversarii; admittunt enim decretum salvandi omnes homines, si ipsi velint.

Resp. Nego Assumptum. In primis conditio requisita ad conversionem Tyriorum, nimirum mittere ipsis Praedicatores, edere miracula, a solo Deo pendebat. In aliis conditiones sic pendebant a voluntate creata, ut aeque ad minus etiam in sententia adversariorum penderent a voluntate Dei, cum sine illius concursu saltem nullae fuissent ponendae.

Prob. 3. ratione: Certo sunt multa futura conditionata, ut patet ex Scriptura, nec negant Adversarii: atqui haec non sunt nisi per decreta subjective absoluta, objective conditionata, ut namque late probavimus, non sunt futura conditionata a seipsis, alioquin non forent libera, sed necessaria contra hypothesim, et aliunde nihil potest se extrahere e massa possibilitatis, et dare sibi aliqualem actualitatem, qualis est ordo ad existendum sub conditione. Neque a conditione ponenda, cum inter illam, et futurum nulla, aut contingens tantum sit connexio, ut inter praedicationem Evangelii, et conversionem Tyriorum. Neque a causis secundis; secluso enim decreto, seu determinatione primae causae, secundae sunt indeterminatae, et indifferentes ad ponendum, vel non ponendum effectum. Neque tandem a decreto, quod esset, si poneretur conditio, quia futuritionis actualis debet assignari causa quae sit, et non quae esset. Ergo.

Item Deus certo cognoscit futura conditionata; atqui ea non cognoscit nisi in suo decreto subjective absoluto, et objective conditionato, quia caetera media jam supra refutavimus. Ergo.

Articulus VII.

De Ideis, Veritate, et Vita Dei.

Cum omne cognitum sit in cognoscente secundum esse intelligibile, et illud esse vocetur idea; rursus quia scientia est verorum, ac tandem intelligere sit perfectissimus vitae gradus, post considerationem divinae scientiae, S. Thom. de Ideis, Veritate, et Vita Dei tractat.

Idea graece, latine forma dicitur. Unde per ideas intelliguntur formae aliarum rerum praeter ipsas res existentes, et definiri solet idea „ *Forma in mente existens, ad quam respiciens Artifex operatur.* Duplex est ideae officium. I. quod sit exemplar ad cujus normam fit ideatum. II. quod sit ratio illud cognoscendi; per ideam enim in mente cognoscimus ideatum in re.

Petes 1. Utrum dentur ideae in mente divina?

R. Affirmative: 1. p. q. 15. a 1. o. quia qui non casu, nec caeco modo agit, sed ex intentione, agit secundum formam mente praeconceptam, id ex se patet; sic artifex, qui non casu, nec caeco modo, sed ex intentione domus construendae agit, habet formam domus in mente praeconceptam, ad quam operando respicit. Atqui Deus non casu, nec caeco modo agit, non enim hoc universum, et omnia in ipso contenta fortuito, aut caeco impetu produxit · Ergo.

Petes 2. Quid sunt ideae in Deo?

Resp. Sunt ideae in mente Dei ipsa essentia divina ut cognita, seu species expressa, non quidem quatenus exprimit Deum praecise secundum quod in se est, sed quatenus exprimit ipsam divinam Essentiam secundum quod est participabilis, et imitabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Sic enim Deus est exemplar hujus, vel illius creaturae, quae nihil est aliud, quam imperfecta Dei imitatio, et participatio.

Petes 3. Utrum sint plures ideae in Deo.

R. Affirmative: quia Deus operans intendit per se ordinem universi: is enim ordo est quid ultimum, et optimum in rebus a Deo effectis: quod autem est ultimum, et optimum in effectu, per se intenditur ab agente. Atqui ratio alicuius totius haberi non potest, nisi habeantur propriae rationes eorum, ex quibus totum constituitur; sicut aedificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cujuslibet partium ejus. Ergo.

Objic. Idea in Deo est essentia divina, ut species expressa, atqui etiam sub hoc respectu est una, et non multiplex. Ergo una idea est in Deo, et non multiplex.

Resp. Idea non nominat Essentiam divinam ut cognitam tantum, sed ut cognitam imitabilem. Unde secundum quod est multiplex imitabilitas intellecta in essentia divina propter plenitudinem suae perfectionis, est pluralitas idearum. Ex hoc autem quod divina aessentia intelligatur diversimode imitabilis a creaturis, non sequitur, quod ipsa sit realiter multiplex, cum ab una, et eadem causa eminenti possint profluere diversi effectus eam imitantes. Non ergo sunt concipiendae plures ideae in Deo realiter distinctae, divinam essentiam quasi formaliter afficientes, sicut sunt plures in eo relationes personales; sed dicuntur esse plures in Deo quasi objective, et ut ab ipso intellectae, ita ut pluralitas idearum sit in intellectu divino, et non in natura ipsius.

Petes 4. Quarum rerum Deus habeat ideas?

Resp. Deus habet propriam ideam omnium, quae actione propria fiunt ab ipso, aut fieri possunt, diverso tamen modo. Eorum enim quae facit, aut facturus est, habet ideas actu practicas, quia ex decreto voluntatis divinae sunt determinatae ad operandum. Eorum autem, quae tantum facere potest, habet ideas virtualiter so-

lum, et in potentia practicas, quia non sunt per propositum divinae voluntatis applicatae ad operandum.

Dixi *Eorum, quae ab ipso fiunt*; quia eorum, quae ipse non facit, ut sunt peccata, et privationes, non habet ideam, non solum ut est exemplar faciendi, cum ipse non faciat, sed nec ut est ratio cognoscendi, quia haec non cognoscit per propriam rationem, sed per rationem boni oppositi.

Dixi *Eorum, quae propria actione fiunt*: quia Materia, et forma, quae producuntur productione compositi, et proprietates, quae sequuntur ad productionem essentiae, licet habeant ideam in Deo, non tamen habent propriam, et distinctam ab idea illius, cum quo, aut in quo producuntur.

Petes 5. Utrum in Deo sit veritas?

Res. Affirm. imo Deus est prima, et summa veritas. Explicatur, et probatur. Triplex distingui potest veritas. Prima in essendo, et est proprietas entis, secundum quam habet esse ratum fixum, et tale, quod sit conforme intellectui divino res cognoscenti, prout debent esse: atqui Esse divinum non solum est conforme suo intellectui, sed est ipsummet suum intelligere: Ergo non solum est in Deo veritas in essendo, sed est ipsa veritas. Secunda in cognoscendo, est conformitas cognitionis cum re cognita: atqui cognitio, seu intelligere divinum, non solum perfectissime attingit omnia ut sunt, sed ipsum etiam est mensura omnium rerum, omnium intellectuum, et omnium intellectionum, et ipsius nulla est mensura; ergo non solum est in eo veritas cognitionis, sed ipse est prima, et summa veritas. Tertia in dicendo, quae dicitur veracitas, et est conformitas dictionis cum cognitione. Impossibile est autem Deum mentiri, ut ait Apost, Hebr. 6. eo quod sit prima, et essentialis veritas. Ergo.

Petes 6. Utrum Deo conveniat vita?

R. Deo perfecte competit vita: quia ipsi perfecte competit operari ex seipso, et a nullo alio moveri, in qua sita est ratio viventium, prout distinguuntur a non viventibus. Imo Deus est essentialiter ipsum suum vivere, quia vivere in Deo est intelligere, cum vivat gradu vitae perfectissimo, intelligere autem in Deo est essentialiter suum esse, ut alibi dictum est. Hinc Christus Joan 14. dicit: *Ego sum via, veritas, et vita.*

Petes 7. Utrum omnia sint vita in Deo.

R. Omnes creaturae secundum esse ideale, quod habent in Deo, sunt vita in ipso. Quia cum vivere Dei sit ejus intelligere, ut dictum est, et in eo sit idem et intellectus, et quod intelligitur, et ipsum intelligere, sequitur, quod quidquid est in Deo ut intellectum, sit ipsum vivere, seu vita ejus: ergo cum omnia, quae facta sunt a Deo, sint in ipso ut intellecta, seu secundum esse suum ideale, sequitur, quod omnia secundum esse ideale, quod habent in ipso, sint ipsa vita divina. Hinc dicitur Joan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.*

DISSERTATIO VII.

DE VOLUNTATE DEI.

D. Thom. Q. 19.

ARTICULUS I.

An sit, et quid sit voluntas in Deo, et quodnam ejus objectum?

Dico 1. Voluntas est formaliter, et proprie in Deo. Conclusio salva Fide negari non potest, cum aperte in Scriptura tradatur. Sic Rom. 12. *Ut probetis quae sit voluntas Dei* Psal. 113. *Omnia quaecumque voluit fecit.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis*

resistit? Et alibi passim. Haec autem testimonia SS. Patres, et Theologi unanimiter intelligunt in sensu proprio.

Conclusionem probat S. Thom. multis rationibus 1. cont. Gent. cap. 72., quarum haec est ordine tertia. Illud quod consequitur omne ens., convenit enti inquantum est ens, et maxime primo enti: atqui cuilibet enti competit appetere suam perfectionem, et conservationem sui esse; Ergo. Adde voluntatem esse perfectionem simpliciter simplicem, ideoque Deo non denegandam.

Petes 1. Utrum voluntas divina distinguatur virtualiter a sua volitione.

R. Negative, quia, ut jam diximus de intellectu, et intellectione divina: ea sola distinguuntur in Deo virtualiter, quae aequivalent pluribus creatis ex objecto formali distinctis, et ad diversas lineas pertinentibus; voluntas autem, et volitio in Deo habent idem objectum formale, nec pertinent ad diversas lineas. Item si voluntas virtualiter distingueretur a volitione, et servaret rationem potentiae ad illam, conciperetur perfectibilis, et actuabilis per illam, consequenter non conciperetur ut actus purus.

Itaque voluntas divina respectu volitionis non habet rationem potentiae, nisi secundum modum nostrum concipiendi res divinas per analogiam ad res creatas. habet tamen rationem potentiae, et principii respectu effectus ab ipso procedentis, aut producti; quia non se habet ad illum ut actuabilis, et perfectibilis per illum, sed e contra, ut actuans, et perficiens illum.

Dico 2. Deus non solum se vult, sed etiam alia a se.

Probatur. Res naturalis non solum habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum, cum non habet, vel ut quiescat in illo, cum habet, sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, secundum quod possibile est. Unde videmus quod omne agens in quantum est in actu, et perfectum, facit sibi simile: pertinet itaque ad voluntatis rationem, ut bonum, quod quis habet, aliis communicet, et hoc praecipue pertinet ad voluntatem divinam, a qua derivatur omnis perfectio: ergo Deus vult se, et alia a se, sed se ut finem, alia vero ut ad finem, in quantum decet bonitatem divinam, etiam alia ipsam participare. Hinc Scriptura, Thess. 4. *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et Psal. 113. *Quaecumque voluit fecit*, fecit autem alia a se.

Dico 3. Objectum formale tam motivum, quam terminativum divinae voluntatis est sola bonitas Divina, creaturae autem sunt ejus objectum materiale.

Prab. Illud est objectum formale, tam motivum, quam terminativum alicujus potentiae, a quo per se, et ratione sui movetur, et quod per se, et ratione sui attingit: atqui sola bonitas divina est id, a quo per se, et ratione sui movetur divina voluntas, et id quod per se, et ratione sui attingit: ergo. Major est notio objecti formalis tam motivi quam terminativi. Prob. min. Deus in quolibet volendo est suus sibi finis; *Universa* enim *propter semetipsum fecit Dominus Prov. c.* 16. v. 4. inquit Scriptura; atqui in his, quae volumus propter finem tantum, tota ratio movendi est finis, sic qui vult sumere potionem amaram propter sanitatem, sanitas est id, quod solum movet ejus voluntatem; si autem sit tota ratio movendi, est etiam terminandi, cum inter objectum motivum, et terminativum debeat esse proportio.

Adde quod voluntas specificatur ab objecto suo formali; voluntas divina autem non potest specificari ab alia bonitate quam divina, quia specificari est dependere, et perfici saltem extrinsece a suo specificativo.

Secunda pars patet ex dictis. Si enim, ut dictum est, Voluntas divina feratur in Creaturas, et ut modo dicebamus, sola ejus bonitas sit ejus objectum formale, sequitur quod creaturae sint ejus objectum materiale.

Petes 2. Utrum quidquid Deus vult necessario velit, an libere?

Resp. 1. Deus vult necessario tam quoad specificationem, quam quoad exerci-

tium suam bonitatem. Prima pars patet ex hoc, quod in divina bonitate nulla reluceat, aut relucere possit ratio mali, quam Deus possit odisse.

Secunda pars. prob. Deus est necessario actu volens, non enim est volens in potentia, cum sit actus purus, consequenter vult necessario aliquod objectum, volitio enim non est circa nihil: Atqui illud objectum necessario actu volitum a Deo est suum proprium, et principale objectum, quod est sua bonitas, ut diximus. Ergo.

Resp. 2. Deus est summe liber, eaque libertate fertur in Creaturas. Est de fide contra Aristotelem, et quosdam alios Antiquos: habetur enim expresse in Scriptura. Psal. 93. *Deus ultionum libere egit. Rom.* 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Prob. ratione. Omnis natura intellectualis est liberi arbitrii: atqui Deus est naturae intellectualis: Ergo. Libertas arbitrii est maxima perfectio. Ergo nefas est illam Deo denegare.

Articulus II. *Pass.*

Per quid formaliter constituatur actus liber Dei.

Ante omnia id semper prae oculis habendum est, libertatem divinam non esse sicut humanam, indifferentiam potentiae ad diversos actus volendi, et nolendi, sed esse indifferentiam unius simplicissimi, et purissimi actus ad diversa objecta: Ita ut hoc uno, et eodem simplicissimo actu inferat esse, vel non esse creaturarum, hoc vel illud, et quatenus infert esse dicitur volitio, quatenus infert non esse dicitur nolitio. Id, inquam, mente tene, hinc enim fluit hujus difficillimi nodi solutio, si tamen solutio dici possit. Igitur.

Dico. Actus Dei liber nihil est aliud, quam ejus actus necessarius quatenus dicit habitudinem, seu terminationem non necessariam ad creaturas.

Prob. 1. ex principiis D. Th. S. Doctor 1. contra gent. cap. 82. sic dicit. *Voluntas Dei uno, et eodem actu vult se, et alia, sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis; habitudo ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessaria, et naturalis, neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria.* Similiter alibi. Quibus verbis aperitur discrimen jam assignatum inter libertatem divinam, et humanam, in quo fundatur veritas assertionis nostrae: sic enim argumentor: juxta S. Th., et rei veritatem libertas divina non consistit in indifferentia potentiae ad plures actus, sicut humana, sed indifferentia unius simplicissimi actus ad diversa objecta, qui actus in se simplex, est virtualiter multiplex, necessarius, et liber sub diversa ratione: quatenus terminatur ad esse divinum, est necessarius, quatenus terminatur ad creaturas, et est virtualiter distinctus a seipso, ut terminatur ad esse divinum, est liber, sub qua ratione immotus in se manens, potest terminari ad hoc, vel illud, ad esse, vel non esse creaturarum, et prout terminatur ad esse, dicitur *volitio*, prout terminatur ad non esse, dicitur *nolitio*, idque totum propter summam actus divini actualitatem, simplicitatem, illimitationem, et eminentiam; ergo ratio necessarii, et liberi in Deo reponi debet in eodem actu secundum diversas ejus terminationes.

Prob. 2. alia ratione. Ad constitutivum actus liberi in Deo, duo requiruntur. Primum, quod sit quid Deo intrinsecum, et divinum, quia actus liber Dei est vitalis, et immanens. Secundum, quod possit aliquo sensu deficere; de ratione enim actus liberi est, quod possit aliquo sensu non esse, atqui constituendo actum liberum Dei in actu ejus necessario, non quatenus connotat divinam bonitatem, sub qua ratione est necessarius, sed quatenus connotat, et terminatur non necessario ad creaturas, haec duo habentur. 1. habetur, quod

sit quid intrinsecum, et divinum, est enim actus Dei necessarius cum ipso Deo identificatus, et ipse Deus: habetur etiam, quod sit quid aliquo sensu defectibile; quia licet iste actus sit entitative necessarius, reduplicative tamen, et formaliter quatenus terminatur ad creaturas, non est necessarius, siquidem istae potuerint non esse, et his deficientibus, deficeret ista connotatio, seu terminatio: ergo.

Verum statim recurrit nodi implicantia, quam non videtur solvere noster dicendi modus: vel enim illa terminatio non necessaria ad creaturas, in qua reponimus libertatem Dei, est quid Deo intrinsecum, et intrinsece defectibile, vel non; Si primum, ergo Deus est intrinsece defectibilis, nec summe simplex: si secundum, ergo non est intrinsece liber, et sic manet nodus insolutus.

Huic difficultati, quam fateor esse gravissimam, et ferme unicam, non una est Thomistarum responsio.

Antiquior, et communior in schola D. Thomae, atque ejus principiis conformior est, hanc terminationem, intelligendo activam, esse intrinsecam, cum sit ipse actus divinus comparatus, et terminatus ad creaturas, et esse defectibilem non quidem intrinsece, et ratione sui, seu alicujus alterius intrinseci, sed extrinsece ratione voliti defectibilis, ita quod idem actus in se immotus, ut jam dicebam, nulla realitate intrinseca in se mutata, aut defectibili potuerit producere, aut non producere creaturas, et eas aliter, et aliter ordinare, et disponere. Et ideo constitutivum divinae libertatis secundum id, quod importat in recto, est quid intrinsecum, in se indefectibile, scilicet ipse actus divinus entitative necessarius, et immutabilis, secundum autem id, quod importat in obliquo, est quid extrinsecum defectibile, scilicet creaturae connotatae defectibiles.

Neque ut Deus dicatur intrinsece liber, requiritur, quod aliquid ipsi intrinsecum possit deficere secundum quod est intrinsecum, sed sufficit, ut unus, et idem actus in se immotus, et indefectibilis potuerit aliter immutare creaturas, quod probatur. 1. Quia, ut iterum repetam, libertas divina non est indifferentia potentiae ad diversos actus, sed indifferentia unius actus purissimi, et simplicissimi ad diversa objecta: ergo hoc ipso censetur liber, quo in se immutatus, ratione suae eminentiae, et supremi dominii in creaturas, potest illas immutare.

2. Quando ad denominationem intrinsecam requiritur non sola forma intrinseca, sed etiam connotatum extrinsecum, illa forma denominat per solam positionem connotati extrinseci absque ulla mutatione ex parte sui: sic Deus in tempore denominatur creator, et dominus per formam aeternam intrinsecam, scilicet suam omnipotentiam, tota mutatione facta in tempore se tenente ex parte creaturarum. Idque est commune omni comparativo quod, ut dicatur deficere et aliter se habeat ad aliud, sufficit, quod istud aliud mutetur: ergo ut actus Dei sit liber, et potuerit aliter se habere creaturas, non debuit in se mutari, aliquid amittendo, vel recipiendo, sed sufficit, ut in se immutatus potuerit aliter mutare creaturas.

+ Petes Utrum Deus possit nunc incipere velle, quod non voluit, et non velle quod voluit, sicut sine intrinseca sui mutatione potuit non velle quod voluit, et velle quod non voluit?

Resp. Negative. Quia quamvis actus liber Dei non constituatur per aliquid intrinsece defectibile, habitudo tamen ad res volitas semel habita mutari non potest, nisi presupposita mutatione, vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiae ipsius volentis. Cum enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle: 1. sic quod de novo accipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione ejus, sicut adveniente frigore, incipit bonum esse sedere ad ignem, quod prius non erat. 2. sic quod de novo cognoscat, illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset, quod non potest esse absque

mutatione intelligentis ut talis. Sicque fieri non potest, quod Deus de novo incipiat velle absque sui, vel suae cognitionis mutatione.

Articulus III.

Quotuplex sit voluntas in Deo, et an semper impleatur.

Quamvis voluntas ex parte Dei sit unica, simplex etc. cum sit ipsa ejus essentia, ratione tamen objectorum materialium, in quae fertur, solet a Theologis multiplex assignari.

Dico 1. (*q.* 3. *de verit. a* 3.) Voluntas divina dividitur 1. in voluntatem *beneplaciti*, et in voluntatem *signi*. Voluntas beneplaciti est ipse actus divinae voluntatis, unde est proprie, et formaliter in Deo. Voluntas signi est aliquid exterius, quod solet esse inter nos signum, quod volumus aliquid, licet non ita Deus velit; unde non dicitur voluntas signi, quasi sit signum, quod Deus velit, sed quia, ut dixi, solet significare nos velle, sicque non est formaliter proprie in Deo, sed metaphorice tantum, sumpto signo pro ipsa voluntate.

Assignantur quinque signa voluntatis divinae: nimirum, praeceptum, consilium, prohibitio, permissio, et operatio, hoc versu comprehensa.

Praecipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet:

Quia his quinque modis solemus significare nos aliquid velle interius. Quando enim operamur aliquid, signum est apertum, nos velle illud. Item quando praecipimus, aut consulimus aliquid alteri, signum est, nos velle illud ab illo fieri: dum autem prohibemus, signum est nos velle illud ab illo non fieri; tandem quando permittimus, ut aliquis nobis subditus aliquid faciat, signum est nos velle illud fieri. Haec ergo quinque nomine voluntatis divinae interdum appellantur tamquam signa voluntatis. Sic Matth. 6. praeceptum, consilium, prohibitio vocantur voluntas Dei cum dicitur: *Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra.* Sic ab Aug. c. 95. Ench. operatio et permissio vocantur voluntas Dei, dum dicit: *Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.*

Voluntas signi in Deo tribus modis se habet ad voluntatem beneplaciti q. 13. *de verit.* art. 3. ad. 6. Quaedam est enim voluntas signi, quae numquam incidit in idem cum voluntate beneplaciti, sicut permissio, qua permittit mala fieri, numquam enim vult fieri mala. Quaedam semper incidit sicut operatio; quaedam vero quandoque incidit, quandoque non, sicut praeceptum, prohibitio, et consilium: sic praeceptum, quod fecit Abrahae occidendi Isaac, non coincidit cum voluntate beneplaciti, siquidem postea jusserit contrarium. De voluntate signi intelligitur illud orationis Dominicae: *Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.*

Ad solutionem objectionum attente notandum est, quod signa voluntatis dicuntur voluntates divinae, non quia sunt signa, quod Deus velit, sed quia ea, quae in nobis solent esse signa volendi, in Deo divinae voluntates dicuntur; sicut punitio non est signum, quod in Deo sit ira; sed punitio ex eo ipso, quod in nobis est signum irae, in Deo dicitur ira. Insuper quamvis Deus non velit omne, quod praecipit, aut permittit, vult tamen aliquid circa hoc: vult enim omnes esse debitores ejus quod praecipit, et in potestate nostra esse id quod permittit: et hanc voluntatem divinam significat praeceptum et permissio. q. 23. *de verit*, art. 3. ad 2.

Secunda, et celebrior divisio divinae voluntatis est in *antecedentem*, et *consequentem*. Ita omnes Theologi post Damascenum, et S. Th.; non tamen omnes uno modo explicant. Thomistae cum suo Doctore sic explicant, ut voluntas dicatur *antecedens*, quatenus fertur in objectum secundum se consideratum, et praecisum a circumstantiis: *consequens*, quatenus fertur in objectum vestitum omnibus suis circumstantiis,

Ex his colliges 1. Voluntatem consequentem esse voluntatem *simpliciter*, voluntatem antecedentem esse voluntatem *secundum quid*. Quia voluntas comparatur ad res secundum quod sunt in seipsis a parte rei: in seipsis autem a parte rei sunt in particulari cum omnibus circumstantiis: ergo simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle; unde potest dici; judex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vult eum vivere, scilicet in quantum est homo: similiter mercator, imminente periculo, vult simpliciter suas merces projicere, sed secundum quid vult servare, scilicet remoto periculo. Et ideo haec voluntas secundum quid comparative ad voluntatem simpliciter juxta S. Th. magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas.

Colliges 2. Voluntatem consequentem esse voluntatem absolutam, antecedentem esse conditionatam, si nempe majus bonum non obstat; conditionatam, inquam, non ex parte subjecti, ut diximus de decretis conditionatis: unde non est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus suis circumstantiis.

Colliges 3. voluntatem antecedentem esse voluntatem non solum signi, sed etiam beneplaciti. Est expressa sententia S. Thomae, quidquid reclament quidam Thomistae. Etenim S. Doctor q. 23. de verit a. 3. dicit. *Invenitur in Deo proprie ratio voluntatis, et sic voluntas de Deo proprie dicitur: et haec est voluntas beneplaciti, quae per antecedentem, et consequentem distinguitur.* Item in 1. d. 47. a. 2. *Possumus ergo loqui de voluntate vel beneplaciti, vel signi, et de voluntate beneplaciti vel consequente, vel antecedente.* Id etiam probant exempla, quae profert de judice, et de mercatore: vere namque, et proprie judex vult hominem secundum se vivere, et mercator suas merces secundum se servare.

Ratio favet. Voluntas beneplaciti attenditur secundum quod res interius in Deo disponuntur, et non tantum secundum exteriorem significationem: atqui objectum voluntatis antecedentis disponitur interius in Deo. nam Deus, v. g. interius ordinat omnes homines ad salutem, et ipsis providet auxilia ad illam sufficientia, quamvis, attentis circumstantiis, puta splendore universi, defectibilitate voluntatis humanae, manifestatione attributorum etc. voluerit permittere, ut aliqui ab hoc ordine deficerent, quos ideo vult voluntate consequente non salvare. De hac re iterum art. seq.

Dico 2. Voluntas Dei consequens semper impletur, voluntas antecedens non semper impletur, saltem quoad principale volitum. *d.* 48. *a.* 1. *et* 2.

Prob. prima pars. 1. Ex Script. Isaiae 14. *Dominus exercituum decrevit; et quis poterit infirmare?* Et 46. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Esther 13. *Non est, qui possit tuae resistere voluntati.* Psalm. 113. *Omnia, quaecumque voluit, fecit.* Eccl. 8. *Omne quod voluerit, faciet.* Rom. 9. *Voluntati ejus, quis, resistit?* haec autem omnia intelligi debent de ea voluntate Dei, quae sit simpliciter, et absolute voluntas qualis est consequens.

2. Deus est omnipotens: ergo a nullo potest impediri quin impleat, quod absolute et simpliciter voluerit.

Secunda pars etiam indicatur in Scriptura, nam de voluntate antecedente, quae, ut dixi, est tantum voluntas secundum quid, et conditionata, intelliguntur sequentia. Ezech. 24. *Mundare te volui, et non es mundata.* Matt. 23. *Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Proverb. 1. *Vocavi, et renuistis.* Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.* 1. ad Timoth. 2. *Omnes homines vult salvos fieri*, et tamen non omnes salvantur. Item plura alia similia.

Patet etiam ex dictis. Voluntas enim antecedens versatur circa rem secundum se, ut praecisam a circumstantiis, res autem non fit, nisi cum omnibus suis cir-

cumstantiis . Insuper voluntas antecedens est conditionata , et in pluribus non purificatur conditio .

Dixi , 2. *saltem quoad principale volitum*, quia potest esse efficax, et adimpleri respectu alicujus adjuncti, seu medii: sic voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines salvos fieri , de qua modo dicemus , est inefficax quoad principale volitum, quod est salus omnium in re habita, ex illa tamen efficaciter fit salus futura conditionate, ordinantur omnes homines ad salutem, et ipsis saltem praeparantur media sufficientia ad istam assequendam ; sed ex illa parte , et sub hac ratione est consequens, et non tantum antecedens.

Dico 3. Voluntas beneplaciti non semper impletur , ut patet in voluntate antecedente , quam diximus esse voluntatem beneplaciti. Unde cum S. Th. quandoque dicit , voluntatem beneplaciti semper impleri , intelligendus est non de voluntate beneplaciti generice sumpta , sed specifice , et restricta ad voluntatem consequentem. Voluntas vero signi quandoque impletur, quandoque non impletur, prout conjungitur, vel non conjungitur voluntati consequenti beneplaciti, ut dixi supra ex S. Th.

Articulus IV.

De voluntate Dei circa salutem omnium.

Occasione eorum , quae in articulo praecedenti diximus de voluntate Dei antecedente, et consequente, tres hic occurrunt gravissimae difficultates , quae sunt inter se connexae. Prima , utrum Deus velit omnes homines salvos fieri. Secunda , utrum vi istius voluntatis Christus sit mortuus pro omnibus. Tertia, utrum vi ejusdem voluntatis Deus offerat, aut conferat omnibus media sufficientia ad salutem ; quas tribus articulis resolvere conabimur : primum in hoc praesenti articulo.

Dico 1. Deus etiam post Adae lapsum vult voluntate antecedente, non otiosa, sed activa omnes omnino homines salvos fieri . Est contra Calvinum, et Jansenium.

Prob. 1. ex illo celebri testimonio Apostoli. 1. Timoth. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes , orationes , postulationes , gratiarum actiones pro omnibus hominibus : pro Regibus , et omnibus , qui in sublimitate sunt .... Hoc enim bonum est , et acceptum coram Salvatore nostro Deo , qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus , unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Atqui Apostolus loquitur de hominibus post Adae lapsum , iisque omnibus distributive sumptis : ergo.

Prob. min. 1. Juxta Apostolum Deus vult eos omnes salvos fieri , pro quibus vult fieri obsecrationes, et orationes, ut patet ex textu , atqui vult fieri obsecrationes et orationes pro omnibus, et singulis hominibus, et hi erant in statu naturae lapsae, imo erant Principes, et Imperatores non solum peccato originali , sed gravissimis sceleribus implicati , ut Nero , quo imperante martyrium subiit Paulus ; unde Ecclesia die Parasceves orat pro omnibus , nullo excepto. Ergo 2. Apostolus dicit Christum esse mediatorem , et se dedisse redemptionem pro iis , quos Deus vult salvos fieri: atqui mediatio, et redemptio Christi supponit Adae peccatum , et dogma fidei est, Christum esse Redemptorem omnium, et singulorum hominum , ut probabimus articulo seguenti : ergo. Tandem Apostolus non dixit: *voluit*, *sed vult omnes*, quod denotat voluntatem praesentem de omnibus hominibus actu existentibus.

Verum nedum hanc minorem, et nostram conclusionem, asserit Apostolus, sed et probat his verbis : *Unus enim Deus , unus et Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus , qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* : quasi diceret 1. si plures essent Dii , posset cogitari , quod unus quosdam , alter alios salvandi curam gereret ; sed unus dumtaxat est omnium Deus ; ergo omnes salvan-

di curam gerere debet, ne dicatur suos in praecipua necessitate deserere. 2. Non sunt plures mediatores Dei et hominum, quasi unus sit mediator pro quibusdam, alius pro aliis, sed unus tantum est omnium mediator Christus Jesus; ergo omnium vult salutem, alioquin non esset omnium mediator; ergo et is, qui dedit illum pro omnium salute mediatorem, nempe Deus, vult omnium salutem. 3. Christus semetipsum dedit redemptionem non pro quibusdam, sed pro omnibus, ergo ut ante et ipse Redemptor, et is, qui dedit redemptorem, voluit omnium liberationem. Ergo.

Adde illud in 2. Epist. Petri. c. 3. nolens Dominus *aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.*

Prob. 2. ex Aug., cui maxime confidit Jans. S. D. lib. de Spiritu, et litt. cap. 33. dicit. *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur*, id adhuc magis constabit ex dicendis in duobus seq. art. Item S. Prosper fidelissimus Aug. discipulus respondens ad secundam objectionem Vincent., idem probat sicut nos ex testimonio laudato Apostoli

Prob. 3. Sententia Jansenii eximit spem christianam, cujus fundamentum est voluntas Dei pro omnium salute: qualem enim spem suae salutis habere potest, qui non certo credit Deum velle ipsum salvare? item est contra communem sensum Scholarum, et fidelium.

Dico 2. Voluntas antecedens, et generalis Dei de salute omnium, non est metaphorica, sed voluntas beneplaciti sincera, proprie, et formaliter in Deo existens.

Prob. Deus ex voluntate antecedente omnibus praeparat, et offert saltem media sufficientia ad salutem, ut probabimus infra: Atqui media eliguntur ex propria, et formali intentione finis. Ergo Deus habet propriam, et formalem voluntatem salvandi omnes.

Dico 3. Voluntas Dei antecedens est conditionata, non hoc sensu, quod Deus velit omnes salvos facere, si ipsi velint volitione, quam expectet ab eorum libera voluntate, ut vult Tournelius cum Molinianis: hoc est, voluntas antecedens salvandi omnes, non est ita efficax ex parte Dei, ut per solum hominem stet, gratiae consentiendo, reddere illam ex omni parte efficacem ad salutem de facto consequendam: sed dicitur conditionata hoc sensu, quod velit omnes salvos fieri, si non obstent altiores fines, v. g. bonum generale universi, ordo providentiae, mutabilitas arbitrii, splendor misericordiae, decor justitiae etc. *Si enim omnis homo liberaretur, utique lateret, quid peccato per justitiam debeatur*, inquit S. Aug. Epist. 105. ad Sixtum.

Hanc conclusionem his verbis exprimit S. Thomas: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem ad salutem*: quasi diceret: voluntas Dei antecedens de salute omnium est conditionata, quia vult illam, si non obstent variae circumstantiae, ad quas attendere debet provisor universalis ad rectum, et convenientem ordinem ad salutem. 1. *p. q.* 19. *a.* 12. *ad* 2.

Prob. 1. ex Aug. lib. 4. cont. Jul. c. 8., et Enchirid. c. 97. ubi docet, multos salvos non fieri, non quia ipsi nolint, sed quia Deus non vult, quod absque ulla controversia manifestatur in parvulis. Id uberius explicat de dono pers. c. 12.

Prob. 2. Ratione. Deus ipse est, qui operatur velle, seu consensum hominis, juxta illud Apostoli ad Philip. 2. *Operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate*: et illud Augustini de dono persev. c. 13. *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle ..... Pro bona voluntate*, ergo implicat eum velle nostram salutem sub conditione volitionis, quam expectet a nobis, seu per nos stare, reddere ejus voluntatem efficacem.

Obj. cum Jansenio contra primam conclusionem Verba Apostoli: *Deus vult omnes homines salvos fieri* juxta August. intelligi debent in sensu accommodo, vel de omnibus, qui salvantur, vel de generibus singulorum, non de singulis generum, vel saltem in sensu non formali, sed causali, quatenus facit justos velle omnium salutem. Ergo. R. Interpretationes August. non pugnant cum nostra, quae est Damasceni, et S. Thomae, nec eam excludunt, quia procedunt in diverso sensu. Illae procedunt de voluntate consequente, nostra de voluntate antecedente. Quicumque autem interpretatur verba Apostoli de voluntate consequente, debet cum Augustino ea intelligere in sensu accommodo, qui autem interpretatur de voluntate antecedente, debet ea intelligere in sensu distributivo. Hac autem distinctione habita prae oculis solvuntur fere omnes objectiones, quae contra primam, et secundam conclusionem afferri possunt.

Contra tertiam conclusionem Honoratus Tournely hic §. *Quarta probatio*, texit longam seriem Patrum, qui dicunt Deum velle salvare omnes homines, si ipsi velint. Sed quid inde? Id et nos aperto ore profitemur, id omnes Catholici agnoscunt: nec ullus umquam somniavit Deum velle salvos facere nolentes, et invitos. Vult ergo indubie Deus omnes salvos fieri, si velint, at non volitione, quam ab ipsis expectet et emendicet, ut dicunt Molinistae, quasi voluntas divina pendeat ab humana, ut sit efficax, et per solos homines stet, ut impleatur: sed vult omnes salvos fieri, si velint, volitione, quam in eis operatur vi potentissima suae gratiae: *Non quia velle non debemus*, inquit Aug. Epist. 107., *sed quia in nobis velle operatur.* Et lib. 2. ad Bonifac. c. 19. *Deus novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Articulus V.

Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus.

Haec quaestio consequens est ad praecedentem, et movetur pariter contra Lutherum, Calvinum, et Jansenium. Hi namque negando Deum velle omnes salvos fieri, negant consequenter Christum, qui venit in mundum, ut faceret voluntatem Patris, esse mortuum pro omnibus. Nos e contra, qui dicimus, Deum velle omnes salvos fieri, consequenter sustinemus, Christum esse mortuum pro omnibus.

Notandum itaque 1. Quaestionem non esse, utrum mors Christi sit pretium sufficiens omnibus hominibus redimendis, et salvandis. Id non negant Haeretici. Quin imo hoc sensu posset dici Christus mortuus non solum pro omnibus hominibus, sed etiam pro Angelis, pro daemonibus, et pro hominibus possibilibus, quia mors ejus fuit sufficientis valoris ad hos omnes redimendos, et salvandos: sed quaestio est, utrum Christus pro omnibus omnino hominibus Deo mortem suam obtulerit, voluerit que voluntate sincera, antecedente tamen, omnibus prodesse pro salute eorum aeterna, saltem quoad sufficientiam mediorum.

Dixi. *Pro salute aeterna omnium*; non enim negat Jansenius Christum mortuum esse pro aliquibus reprobis, hoc sensu, quod mortem Patri obtulerit tantum pro salute spirituali temporaria quorundam reproborum, eorum nempe, qui ad tempus justificantur, intuitu meritorum, et mortis Christi. In quo differt a Calvinistis, et Lutheranis.

Nota 2. Error Jansenii refertur iis terminis, qui conficiunt V, ejus propositionem damnatam: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: Hujus propositionis censura ab Innoc. X. facta 1653. sic exprimitur: *Falsam, temerariam, scandalosam; et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Praedestinatorum mor-*

tuus sit: Impiam, blasphemam contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et ut talem damnamus: Nota 3. quod quamvis detur non esse hic definitum, Christum esse mortuum pro salute aeterna omnium Reproborum, hoc tamen esse dogma Catholicum urgentissimis argumentis modo probabimus.

Petes utrum revera Semi-Pelagiani non erraverint circa mortem Christi pro omnibus?

Resp. Eos revera errasse, non quidem in hoc, quod assererent simpliciter Christum esse mortuum pro omnibus omnino hominibus in aeternum salvandis, sed in hoc quod vellent cum aequali, et indifferenti affectu esse mortuum pro omnibus, ita ut non magis speciali amore, et favore prosequeretur Praedestinatos, quam reprobos, sed quod posita semel generali redemptione, ex uniuscujusque libero arbitrio pendeat credere in Christum, vel non credere.

Longe aliter sentiunt Catholici, qui licet fateantur Christum esse mortuum pro omnibus sine exceptione, volunt tamen quod specialiori modo, et affectu mortuus fuerit pro praedestinatis, quam pro reprobis. Illis efficacia auxilia, istis sufficientia tantum promerendo. Unde licet etiam verum sit juxta Catholicam sententiam, omnes posse salvari si velint, illud tamen velle non habent nisi per gratiam, ex meritis mortis Christi manantem. Hinc communiter dicitur Christum esse mortuum pro omnibus sufficienter; pro solis Praedestinatis efficaciter.

Dico: Christus ita mortuus est pro omnibus omnino hominibus, ut vera, et sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro omnium redemptione, et salute aeterna, antecedenter quidem, et sufficienter pro reprobis, consequenter, et efficaciter pro praedestinatis.

Prob. Auctoritate Scripturae. Apostolus passim asserit, Christum esse mortuum pro omnibus omnino redimendis: sic 1. ad Tim. 2, *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: et c. 4. *qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium* et 1. ad Cor. c. 8. *peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*? idest ut exponit S. Th. propter quem salvandum Christus mortuus est. Item 2. ad Cor. 5. probat omnes esse mortuos peccato Adami, quia Christus est mortuus pro omnibus: *Si unus* inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus*: inepta autem foret probatio Apostoli, si revera Christus non sit mortuus pro omnibus et singulis. Unde Aug. lib. cont. Iul. c. 4. sic ait: *Unus, inquit Apostolus, pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse, ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti ..... Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes esse mortui, si pro omnibus mortuus est.*

Respondent 1. Jansenistae his auctoritatibus significari Christum esse mortuum pro omnibus accommode, idest pro generibus singulorum, non distributive pro singulis generum, vel mortuum esse pro omnibus hoc sensu, quod naturam, et causam omnibus communem susceperit.

Sed contra 1. Verba Scripturae sunt intelligenda in sensu proprio, et obvio, ubi nihil cogit recurrere ad improprium, hic autem nihil cogit hos universales terminos, *omnes, omnibus*, ad quosdam tantum restringere. 2. Haec solutio aperte contradicit textibus cit. 1. Tim. 4., 1. Cor. 8., 2. Cor. 5. sicut et textibus Aug. citatis et aliis infra citandis, quibus aperte significatur, Christum ita esse mortuum pro omnibus, ut etiam pro reprobis. Insuper haec responsio efficaciter destruitur ex his, quae modo afferemus ex Concilio Trid., ex Doctrina Ecclesiae, et ex SS. Patribus,

Respondent 2. His auctoritabus significari, tantum Christum esse mortuum pro omnibus sufficienter, hoc sensu, quod ejus mors sit sufficiens salvandis omnibus hominibus, non tamen hoc sensu, quod illam ordinaverit, et Patri obtulerit pro salute omnium.

Sed contra 1. mori pro aliquo manifeste importat intentionem morientis esse, ut sua mors ei prosit: quia *pro* importat causam finalem, propter quam aliquid fit, dum enim dicitur, medicum venisse pro infirmo, significatur, quod, in infirmi commodum, et utilitatem, illiusque salutis gratia venerit. Unde si Pater haberet duos filios captivos, et unum tantum liberare vellet, alio in poenam scelerum neglecto, attamen pro isto uno liberando offerat summam, quae utriusque liberationi sufficeret, sed quam uni tantum vellet prodesse, et applicari, diceretur quidem offerre pretium sufficiens utrique, non tamen offerre pro utroque.

2. Evidentissimum est juxta Scripturas citatas Christum esse mortuum pro hominibus aliter, quam pro daemonibus: Atqui id falsum esset, si vera sit Jansenistarum responsio, siquidem, ut jam diximus, mors Christi sit etiam sufficiens salvandis daemonibus. ergo.

Prob. 2. haec conclusio. Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. dicit. *Hunc* (*Christum*) *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Et immediate subjungit cap. 3. *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Quibus verbis aperte traditur dogma Catholicum, scilicet Christum esse mortuum pro omnibus salvandis tam electis, quam non electis, non tamen omnes salvari, quia non omnibus applicatur per Sacramenta Fidei meritum mortis ejus.

Quo etiam testimonio praecluduntur omnes evasiones Jansenistarum: sic enim urgeo. Tridentinum definivit Christum esse mortuum pro omnibus eo sensu, quo Calvinus, contra quem agit, illud negabat: alias inane prorsus, et otiosum foret ejus decretum: atqui Calvinus non negabat, Christum esse mortuum pro omnibus in sensu accommodo, neque hoc sensu, quod naturam, et causam omnibus communem suscepisset, neque hoc sensu, quod mors ejus esset ex se pretium omnibus salvandis sufficiens: hos enim omnes sensus admittebat, prout etiam nunc admittunt Haeretici, sed tantum negabat, quod esset mortuus animo, et voluntate redimendi et salvandi omnes: ergo id definivit Concilium. Unde etiam maluit Jansenius hoc Concilii decretum alto silentio premere, quam has ineptas solutiones adhibere prout hodie faciunt ejus sectatores.

Prob. 3. Auctoritate Patrum: missis innumeris fere Patribus unum propono Augustinum, quem sibi totum vindicare contendit Jansenius. Praeter jam dicta sic habet S. Doctor, in Psal. 95. *Judicabit orbem terrarum in aequitate, non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit* Serm. 67. Christum in die judicii sic alloquentem reprobos inducit: *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem: suscepi mortem tuam, ut in aeternum viveres ..... Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate Redemptionis tuae munera renuisti?* Tract. 4. in Joan. *Crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum*: lib. 2. de Symbolo fidei cap. 8. Christum exprobrantem reprobis sic inducit: *Agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam elper vos, et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

Prob. 4. ex communi, et perpetua fide Ecclesiae contenta in Symbolis Nicaeno, et Athanasii. Hic articulus Symboli Nicaeni: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis ..... crucifixus etiam pro nobis* etc., vel ut habetur in Symbolo Athanasii. *Qui passus est pro salute nostra*: hic, inquam, articulus proponitur certa, et indubitata Fide credendus ab omnibus, et singulis non solum fidelibus, sed et infidelibus, juxta illud Christi praeceptum: *Do-*

cete omnes gentes: et quidem sub gravi obligatione suspiciendas, ut constat ex Symbolo Athanasii. *Haec est Fides Catholica* (contenta scilicet in articulis praecedentibus, quorum unus est is quem hic urgemus) *quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Atqui nemo jubetur credere falsum: ergo falsum non est, Christum mortuum esse pro salute infidelium, et reproborum, utpote quibus iste fidei articulus credendus proponitur, ut dixi. Hinc Ecclesia in suis precibus sic loquitur: *Jesu Redemptor omnium*: et Bernardus serm. 2. in Psal. Qui habitat, *Deo possunt dicere omnia, Creator meus es tu: possunt dicere omnes homines, Redemptor meus es tu.*

Ulterius urgetur haec ratio: juxta Jansenii doctrinam ne ab ullo quidem fideli potest credi praefatus articulus Fidei: ergo. Prob. Ant. Objectum Fidei divinae debet esse certum, et indubitatum: Atqui si juxta Jansenium Christus est mortuus pro salute dumtaxat praedestinatorum, nulli fideli erit certum, et indubitatum, Christum esse mortuum pro sua salute: ergo. Patet Min. Quia, seclusa speciali revelatione, nulli certum est, et indubitatum, se esse praedestinatum ut definit Trid. sess. 6. can. 16.

Ex his omnibus manifeste patet, quam juste sententia Jansenii confixa sit a summis Pontificibus, universa plaudente Ecclesia.

Objicies. Haec verba Matth. 26. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Cap. 20. *Venit Filius hominis dare animam suam, redemptionem pro multis.* Ad Heb. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Ergo non pro omnibus, nec pro omnium peccatis.

R. 1. Per *multos* in Scriptura passim intelligi *omnes*, quando omnes sunt in magno numero, ita ut circa idem modo *omnes*, modo *multos* usurpet; Sic v. gr. Apost. ad Rom. 5. dicit: *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Ubi Apostolus, quos *omnes* dixerat in primo membro propositionis, eosdem *multos* dicit in secundo.

R. 2. Cum S. Th. in locum cit. Matth. Christum esse mortuum pro multis, et pro omnibus; pro multis quoad efficaciam, et applicationem: pro omnibus quoad sufficientiam oblati pretii: *et hoc ex culpa hominum.* Eodem modo haec Matth. verba explicat Catechismus Rom. parte 2. cap. 4. sect. 23.

R. 3. licet enim τὸ *omnes* quandoque sumatur accommode pro aliquibus tantum, inepte infertur semper sic sumi, et nunquam distributive, ut autem sciatur, quando accommode, quando distributive debeat sumi, id deducendum est ex circumstantiis locorum, subjecti, argumenti, et aliis. Porro ostendimus in probationibus conclusionis ex circumstantiis adjunctis τὸ *omnes* in hac propositione, *Christus mortuus est pro omnibus*, necessario sumi debere distributive.

Objicies 2. Eadem est ratio de morte Christi, ac de ejus oratione, atqui Christus non oravit pro omnibus, et singulis hominibus: ergo. Prob. Minor.: 1. Ex illo Joan. 17. *Non pro mundo rogo; sed pro his, quos dedisti mihi.* 2. Quia omnis oratio Christi semper fuit exaudita, juxta illud Joan. 11. *Pater sciebam quia semper me audis.* Et ad Heb 5. *Exauditus est pro sua reverentia*: omnes autem non salvantur. Ergo.

R. D. Minor. (3. *p. q.* 21. *a.* 4. *in* 3. *d.* 17. *q.* 1. *a.* 3. *quaestiunc.* 4. *ad* 1. *et ad Heb. c.* 5. *l.* 1.) Christus non oravit pro omnibus, et singulis hominibus oratione procedente a voluntate consequente, et simpliciter dicta, C. Min. oratione procedente a voluntate antecedente, conditionata, et secundum quid dicta, N. Min. Cum ergo oratio sit mentis actus, manifestativus voluntatis, eo modo aliquid oramus quo illud volumus: dupliciter autem possumus aliquid velle; 1. antecedenter, con-

ditionate, et secundum quid: 2. consequenter, absolute, et simpliciter, quando nempe post deliberationem rationis volumus aliquid ut bonum attentis omnibus circumstantiis, ut patet ex praecedenti articulo. Christus ergo non secus ac Deus voluit salutem omnium antecedenter non consequenter, et sic oravit pro omnium salute oratione procedente a voluntate antecedente, non consequente; sicut antecedenter voluit non mori, et ea voluntate oravit, ut transiret calix; voluit autem consequenter mori, et ea voluntate oravit ut voluntas Patris fieret. Hinc ad 1. probationem Min. dico Christum non rogasse pro mundo ea speciali oratione, quam faciebat Joan. 17., quae erat oratio procedens ex voluntate consequente; rogavit tamen alibi oratione, quae procedebat a voluntate antecedente. Ad. 2. Dico similiter orationem Christi, quae procedebat a voluntate consequente, semper fuisse exauditam, non tamen orationem, quae procedebat a voluntate antecedente: ut patet in oratione, qua petebat transferri a se calicem passionis.

Articulus VI.

Utrum Deus omnibus provideat auxilia sufficientia ad salutem?

Dari gratias sufficientes, quae homini lapso completam, et expeditam conferant potentiam ad bene agendum, dogma est catholicum: sed quo sensu explicanda sit haec gratiae sufficientia, nondum est ab Ecclesia aperte definitum.

Molina docet gratiam sufficientem esse, quae homini ita potentiam completam, et expeditam bona agendi tribuit, ut penes ipsius voluntatem solam stet consentiendo, vel dissentiendo, eam efficacem, vel inefficacem reddere, nullo alio requisito ex parte Dei ad ejus efficaciam, praeter concursum generalem simultaneum.

Juxta Suarem gratia sufficiens, seu incongrua homini potentiam completam, et expeditam bene operandi confert, nunquam tamen actualem operationem: non differt a congrua, seu efficaci in ratione auxilii, et virtutis, sed tantum in ratione doni, et beneficii.

Juxta Jansenium in statu naturae lapsae nulla datur gratia mere sufficiens, sed omnis gratia est efficax; contendit enim voluntatem humanam in hoc statu naturae lapsae necessario abripi per alterutram delectationem indeliberatam, vel caelestem, in qua reponit gratiam, vel terrenam, quatenus altera alteram gradibus superat.

Tandem juxta Thomistas auxilium, seu gratia sufficiens est, quae quidem confert potentiam proximam, vel remotam, prout est proxime, vel remote sufficiens ad bene operandum, sed nunquam actualem operationem, nisi superveniat alia gratia, seu concursus, non solum concomitans, ut volunt Molinistae, sed natura praeveniens, qui vi sua voluntatem ad consensum inclinet, et determinet. De gratia sufficienti hoc sensu accepta quaerimus 1. Utrum Deus praeparet omnibus hominibus in communi media generalia sufficientia ad salutem. 2. Utrum de facto illa offerat, seu etiam conferat omnibus in particulari, ita ut nulli denegentur.

Dico 1. Deus vi voluntatis, quam habet salvandi omnes per Christum, et propter Christum, praeparat in communi omnibus auxilia generalia sufficientia ad salutem. *In c.* 12. *ad Heb. l.* 3. *In* 1. *d.* 46. *q.* 1. a. 1. *et l.* 3. *cont. gent. c.* 159. Hanc conclusionem tenent omnes Catholici contra Jansenium, qui, ut vidimus, non agnoscit in Deo pro hoc statu voluntatem salvandi omnes, nisi sterilem, et nihil gratiae causantem.

Prob. 1. Quamvis homines peccato Adae meruerint privari gratia, et gloria, hoc ipso tamen, quod Deus per Christum, et propter Christum reassumpsit voluntatem, et curam salvandi omnes, ut probavimus, vult consequenter, et praeparat in communi illis omnibus media sufficientia ad salutem; nemo enim vult sincere finem, nisi velit media sufficientia ad illum consequendum, cum finis non sit con-

sequibilis sine mediis: et huic principio constanter insistit S. Thomas locis citatis. Sic Mercator, quo etiam exemplo utitur, non censeretur sincere velle salvare suas merces, nisi adhiberet sufficientem diligentiam ad illas salvandas.

2. Hoc ipso, quo Christus mortuus est pro salute omnium, ut etiam probavimus, meruit omnibus media sufficientia ad illam salutem consequendam: ergo omnibus debentur ex meritis Christi: Ergo Deus illa vult, praeparat, et providet, in quantum in se est, omnibus; neminem enim intendit fraudare jure suo.

Confirmatur. Hoc ipso quo Deus per voluntatem antecedentem ordinat, et evehit homines ad finem supernaturalem, obligat illos ad observationem praeceptorum supernaturalium: atqui praecepta supernaturalia observari non possunt sine auxiliis sufficientibus. Ergo Deus omnibus saltem in communi praeparat, nisi dicas crudeliter, et haeretice Deum hominibus praecipere impossibilia.

Sed difficultas est, utrum non solum praeparentur in communi, sed et offerantur, imo et conferantur omnibus, et singulis auxilia sufficientia ad salutem.

Nota 1. Licet omnes Theologi admittant contra Jansenium, et Jansenistas vi voluntatis antecedentis per Christum praeparari, et provideri in communi media sufficientia ad salutem omnium: quidam tamen existimant, Deum ea de facto quibusdam denegare, non quidem justis, quia id est damnatum in prima propositione Jansenii, sed nonnullis aliis: 1. Infidelibus: 2. Obduratis, et excaecatis, 3. Parvulis sine baptismo morientibus, in poenam praecedentis peccati vel originalis, vel actualis. Ita censere videtur P. Gonet.

Auxilia sufficientia intrinsece recepta esse semper necessaria ad salvandam possibilitatem sive salutis, sive mandatorum Dei, nec nos existimamus; modo tamen nulli denegentur in poenam ut vult Gonet, sed unicuique ita offerantur, et praesto sint, ut si eis careat, non ideo sit, quia Deus ipsi denegat, sed quia recipere detrectat, tunc enim potentia extrinseca aequivalet intrinsecae, et currit illud solemne D. Thomae *quod possumus per amicos*, nempe nos juvare volentes, *possumus per nos ipsos*.

Nota 2. Auxilium sufficiens non consistere in indivisibili, sed admittere latitudinem, aliudque esse proxime, aliud remote sufficiens. Sic v. g. auxilium proxime sufficiens ad petendam gratiam vincendae tentationis, est remote sufficiens ad vincendam ipsam tentationem: sic generaliter gratia operans actus indeliberatos, est proxime sufficiens ad quosdam actus deliberatos.

Nota 3. Certo constare apud omnes auxilium sufficiens non aequaliter distribui omnibus; longe enim plura collata sunt fidelibus, quam Infidelibus, juxta illud Ps. 147. *Non fecit taliter omni nationi*, idest non sic alios adjuvit sicut Judaeos. Ex quo sequitur non omnes habere auxilium proxime sufficiens, sive ad conversionem, sive ad observantiam mandatorum. Idque patet in Infidelibus, quibus denegata est praedicatio Evangelii.

Dico: Deus nedum in communi praeparat, sed etiam in particulari confert omnibus, et singulis hominibus moraliter viventibus pro loco, et tempore, auxilia proxime, vel remote sufficientia ad salutem, juxta cujusque conditionem, et exigentiam: ita ut si aliqui vel mandata non observent, et non observando peccent, vel ad fidem, aut poenitentiam non convertantur, ac tandem salutem non consequantur, hoc non se teneat ex parte Dei, quasi illa auxilia ulli deneget in poenam praecedentis peccati, sed ex parte hominum, qui vel illa oblata respuunt, vel illis receptis non utuntur, aut abutuntur: Dixi *pro loco et tempore*, quia ad divinam providentiam, et salutis possibilitatem non requiritur, quod ea semper, et continuo conferantur, nisi dum urget praecepti adimpletio, et peccatum vitandum.

Probatur Conclusio 1. Ex Scriptura: Apost. 1. Rom. dicit Infideles inexcusabiles esse, quod cum Deum, ut Auctorem naturae cognovissent, non tamen sicut Deum glorificaverunt, idest ad ipsum non se converterunt, nec pro illo auxilio

ipsis collato gratias egerunt. Matt. 5. *Solem oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos*: Quod Ambros. Serm. 8. in Ps. 118. exponit de Sole justitiae, et de pluvia gratiae. Proverb. 1. *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*: Quae verba intelliguntur de omnibus, maxime de induratis.

II. Ex Patribus S. Aug. Tract. 1. in Joan. explicans illa verba „ *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt* - dicit - *Ergo quomodo homo positus in Sole caecus, praesens est illi Sol, sed ipse Soli absens est: sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius caecus est corde. Praesens est illi sapientia, sed cum caeco praesens est, oculis ejus absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Lib. I. de Genes. contr. Manichaeos. Cap. 3. ait. *Omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum* - S. Prosper, sive quisquis alius auctor operis de Vocatione Gentium, Augustinianae doctrinae tenax, toto lib. 2. his Apostoli verbis - *Deus vult omnes homines salvos fieri, et Salvator est omnium, sed maxime fidelium*, probat Deum nulli prorsus homini auxilium sufficiens denegare, idque ut verum dogma esse habendum, licet plerumque nos lateat, qua ratione Deus nos adjuvet. S. Thom. alter fidelis Augustini interpres Quaest. 14. de ver. a. 11. ad 2. *Hoc ad divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex ejus parte non impediatur.* Cont. Gent. lib. 3. c. 156. ex his Apost. verbis, *vult omnes salvos fieri* infert, quod Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam, potest tamen homo seipsum impedire, ne eam recipiat.

III. Ratione fundata in Scripturis; Salus cuique moraliter viventi est possibilis, etiam supposito non solum peccato originali, sed suppositis aliis peccatis actualibus, non finalibus: atqui praeparatio mediorum ad salutem in communi non redderet illam sufficienter possibilem iis, quibus in particulari Deus de facto denegaret illa propter peccatum originale, vel actuale. Ergo. Major videtur certa. Prob. min. Quovis ex capite denegetur alicui medium sufficiens, et necessarium ad aliquem finem consequendum sive propter, sive praeter culpam, revera talis finis non est ipsi possibilis; finis enim non est consequibilis nisi per media.

Rursus Deus, nemini denegat auxilia proxime, vel remote sufficientia ad observantiam mandatorum, quando hic, et nunc urgent, adeoque ad vitanda omnia peccata: atqui vitando omnia peccata, et observando omnia mandata, habetur salus, juxta illud, *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* ergo Prob. Maj. 1. Deus impossibilia non jubet: atqui impossibilia juberet ei, cui subtraheret auxilium sufficiens necessarium ad observantiam praeceptorum, ut per se patet: ergo. Major est principium communiter receptum, et quoad justos definita est in condemnatione primae propositionis. Prob. 2. prima Major. S. Thom. 2. Sent. d. 28. q. 1. a. 3. *Deus non est magis crudelis quam homo: sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per praeceptum ad id, quod implere non posset: ergo hoc de Deo nullo modo est aestimandum.* Ex quo principio infero; Ergo vel homo habet auxilium sufficiens, quo praeceptum sit ipsi possibile, vel ad illud non obligatur; hoc secundum dici non potest; ergo primum.

Nec dicas posse quemlibet servare mandata, et salvari, non potentia intrinseca sed extrinseca, quatenus potest recipere a Deo, gratiam sufficientem ad utrumque: Haec enim responsio vera foret in hypothesi, quod Deus esset paratus, et vellet dare hanc gratiam: At in hypotesi Goneti, quod Deus decreverit denegare in poenam praecedentis peccati, a ratione, et sensu communi prorsus est alienum dicere hunc hominem posse observare mandata, et salvari. Alioquin pari jure dices, incarceratum posse liberari, quia dives potest ipsi dare praetium liberationis, quod tamen denegat. Nemo ergo sano sensu dicitur vere potens ad aliquid faciendum, nisi vel in se habeat virtutem illud faciendi, vel eam ad nutum habere possit.

Respondent Jansenistae, quod licet quaedam praecepta forent hominibus impossibilia, haec tamen impotentia non excusat transgressores a peccato, quia oritur ex culpa saltem originali, adeoque trangressio est semper voluntaria in capite.

Sed contra 1. ad culpam personae, non sufficit voluntarium in natura, sed requiritur voluntarium in persona. 2. sequeretur, quod motus primo-primi in nobis, blasphemiae, et alia, quae amentes faciunt contra legem Dei, ipsis imputarentur ad culpam, quia haec fluunt ex peccato originali, et sunt voluntaria in capite. Similiter, quod infidelitas negativa esset peccatum, quae est propositio 65. damnata in Bajo.

Respondet Gonet peccatores inexcusabiliter obligari ad servanda mandata, quamvis careant potentia intrinseca ad illorum observationem, quia talis defectus, et carentia ex eorum culpa oritur: Ergo. Resp. peccatum sequens ad actum voluntarium non imputatur operanti, nisi inquantum fuit praevisum, aut humano modo potuit praevideri in causa, alioquin nec in se, nec in causa foret voluntarium. Peccator enim peccando non potuit praevidere privationem omnis auxilii, qua redderetur impotens ad observationem mandatorum, quia quamdiu est in via, non datur hujusmodi privatio, unde argumentum Goneti currit in falso supposito.

Objic 1. Illa auxilia interiora proxime, vel remote sufficientia sunt piae illustrationes intellectus, piaeque motiones voluntatis ad praecepta implenda, aut saltem ad petendam gratiam implendi: atqui incredibile prorsus est, mortalium scelestissimos, excaecatos, obduratos, gentiles, haereticos, atheos, quoties praeceptum incumbit, quoties peccant, piis illis illustrationibus, ac motionibus saltem ad orandum Deum excitari. Ergo.

Ante Resp. Nota 1. Circa naturam auxilii sufficientis non unam esse omnium sententiam: verior, et communior est haec: Auxilia, saltem quatenus requiruntur ad conversionem, ad fidem, ad resurgendum a peccato, et ad implenda praecepta supernaturalia, ut credere, sperare in Deum, eumque diligere, sita esse in piis illustrationibus, et motionibus, seu potius in divina motione has illustrationes, et pios motus excitante, et causante. Dico *saltem* quia ad observanda praecepta, sic praecise ut vitetur novum peccatum, videtur multis non requiri istam internam inspirationem, sed satis esse, si vel vires in adversario minuantur, vel removeatur tentationis occasio, vel terror aliquis injiciatur, vel aliquid magis alliciens offeratur: sed etsi ad omne peccatum vitandum requiratur interna illa excitatio, nihilominus salva manebit conclusio nostra, nec inconvenientia opposita illam infringunt. Pro quo.

Nota 2. pias illas interiores illustrationes, et excitationes varie distingui: quaedam enim sunt naturales entitative, et supernaturales tantum quod modum, quatenus secluso omni debito naturae dantur gratis per Christum, et propter Christum ex intentione salutis. E contra quaedam sunt supernaturales entitative, et naturales objective, qualis est puta gratia illuminans, et excitans ad attritionem propter turpitudinem peccati: aliae sunt tandem supernaturales absolute, et ex omni parte, tam entitative, quam objective, et quoad modum. His notatis.

Resp. 1. Inconvenientia objecta non sequi ex conclusione nostra, in qua dicimus disjunctive ea auxilia vel in omnibus recipi, vel omnibus offerri, ita, ut qui ea non recipiunt non ideo sit, quia Deus illis denegat in paenam, sed quia receptioni obstaculum ponunt. Nec refert si dicas, ad tollendum, seu ad non ponendum obstaculum requiri gratiam; etsi enim id verum sit, verum est itidem ad ponendum obstaculum non requiri gratiam, sed id effici propria voluntate, et malitia. Insuper dico requiri gratiam ad non ponendum, seu ad tollendum omne obstaculum gratiae, quia hoc est non ponere, seu tollere omne peccatum; non requiri tamen gratiam specialem ad non ponendum, seu tollendum aliquod obstaculum, quia potest homo sine gratia speciali vitare quaedam peccata contra praecepta facilia, et superare leves tentationes, ut dicemus de gratia.

Objicies 2. de parvulis. Deus pluribus infantibus denegat auxilia sufficientia ad salutem, iis nempe qui in maternis uteris, vel apud infideles ante usum rationis moriuntur, medium enim his ad salutem sufficiens unum est, nempe baptismus re collatus, quo tamen privantur: ergo.

R. Deus providet unicuique secundum ejus capacitatem, et exigentiam. Porro adulti possunt salvari per seipsos, et capaces sunt interni auxilii ad actus salutis eliciendos. At vero infantes non sunt capaces salvari per seipsos, nec interni auxilii ad actus salutis eliciendos, sed tantum auxilii externi nempe baptismi; cujus actualis collatio, cum pendeat a causis externis tam naturalibus quam liberis, potest per eas impediri.

Deus ergo saluti parvulorum, attenta eorum conditione, sufficienter providit per institutionem baptismi, quatenus est institutus pro omnibus, et omnibus potest conferri, quamvis actualis collatio quandoque impediatur a variis causis tam naturalibus quam liberis, quas Deus ut provisor universalis non tenetur impedire, sed e contra debet permittere propter altiores fines. Haec est communis solutio, juxta quam parvuli non omnino deseruntur, nec privantur gratia baptismi in poenam originalis peccati, ut vult opposita sententia, sed quia Deus secundum leges suae generalis providentiae, non sistit causas secundas, quibus collatio actualis baptismi impeditur.

Huic communi solutioni addunt plures recentiores, quibus subscribunt ex nostris Goudin, et Bancel, ita Deum per istitutionem baptismi providisse saluti parvulorum, ut penes ipsorum parentes sit, si eis non conferatur, quatenus parentes, si magis sobrie viverent, a tali vel tali cibo, loco, aut occasione abstinerent, maxime si debite orarent, aliorumque preces adhiberent, caeterisque auxiliis sufficientibus, ad hunc finem collatis bene uterentur, efficerent apud Deum, ut parvulus, qui secundum cursum naturalem moriturus erat, superviveret, quousque baptismum percipiat. Idque putant necesse, ut dicatur Deus sufficienter providisse saluti parvulorum: sicut enim, inquiunt, pauper non dicitur habere sufficientiam ad vitae sustentationem, per hoc, quod Deus in causis secundis illi providerit de cibo, si cibus nulla humana diligentia possit illi comparari, ita nec parvulus dicitur habere media sufficientia ad salutem per hoc, quod Deus instituerit baptismum, vi cujus posset a peccato liberari, si tamen baptismus nulla humana diligentia possit applicari.

Repones. Juxta hanc doctrinam Parvuli, qui non baptizantur, damnabuntur propter culpam parentum, quod videtur absurdum. Resp. N. Sequel. Damnabuntur enim pueri non baptizati propter culpam originalem, quae quidem ex culpa parentum non fuit deleta. Quod si dicas: poterat Deus dare parentibus auxilia efficacia, et non solum sufficientia. Resp. cum August. poterat quidem, sed noluit, quare autem noluit, penes ipsum est, qui dona sua pure gratuita largitur, quibus vult.

DISSERTATIO VIII.

De Praedefinitionibus seu Decretis divinis circa actus nostros liberos

Res naturales tam necessarias, quam contingentes, sicut in tempore a Deo producuntur, ita ab aeterno ab ipso fuisse volitas, et praedefinitas, communis est sententia, praesertim cum nulla in eis periclitetur libertas, quae unica ferme ratio est, cur a multis id negetur de actibus nostris liberis. De his ergo solum hic vertitur quaestio.

Articulus I.

Unde repetenda sit infallibilis efficacia divinorum Decretorum circa actus nostros liberos.

Suppono 1. ex S. Th. 1. *p. q.* 21. *a.* 2. *et q.* 25. *a.* 5. *ad.* 1. Deum ab aeterno praedefinivisse omnes actus nostros liberos non solum virtualiter, et mediate, decernendo exhibere concursum ad illos, ut volunt Molina, et Lessius, sed immediate in se ipsis. Aliter tamen et aliter bonos et malos; bonos positive quoad entitatem, et bonitatem, malos positive quoad entitatem, permissive quoad malitiam, ut explicabitur infra.

Nam Deus nihil facit in tempore, quod non praesciverit, et praeordinaverit ab aeterno se facturum: ideo enim Deus aliquid facit in tempore, quia vult, et non incipit velle in tempore: atqui Deus omnia, etiam actus nostros liberos facit. Is. 26. *Omnia opera nostra operatur in nobis.* Ad Philipp. 2. *Operatur in nobis velle, et perficere*, et *Operatur omnia*, juxta S. Paul. ad Ephes. c. 1., *secundum consilium*, idest decretum *voluntatis suae.* Ad Rom. 11. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia:* Ergo. Haec omnia non possunt intelligi de praedestinatione virtuali, et mediata in decreto concurrendi; nam non dicitur concursus praedefinitus, sed ipsa opera dicuntur praedefinita. Nihil praeterea potest dici praedefinitum, et praedestinatum in causa indifferenti ad utrumlibet, quia praedefinire, et praedestinare est velle aliquid certo, et determinate,

Suppono 2. Decreta absoluta divinae voluntatis esse infallibilia: impium enim esset dicere, quod Deus absolute voluerit, et decreverit aliquid fieri, et illud non fieret.

Sed difficultas est, et haec summa, a quo repetenda sit infallibilitas, et efficacia divinarum praedefinitionum, seu decretorum, an a consensu voluntatis praeviso per scientiam mediam, ut volunt Molinistae: an a potentissima Dei voluntate, et dominio, quod habet in voluntates nostras, ut volunt communiter alii Theologi, Item quomodo divina decreta se habeant circa actus nostros malos, et tandem quomodo, si sint ex se efficacia, concilientur cum libertate arbitrii.

Hae quaestiones intime sunt connexae, imo ferme eaedem cum celeberrima illa quaestione de gratia per se efficaci, quo enim modo Deus ab aeterno decernit, sic in tempore agit: unde si divinorum Decretorum infallibilitas sit ab omnipotentissima, et efficaci ejus voluntate, atque dominio, quod habet in nostras voluntates, et non a consensu voluntatis praeviso per scientiam mediam, ita et gratia, per quam exequitur in tempore, quod ab aeterno decrevit: unde, quae hic dicemus, pariter militant pro gratia per se efficaci,

Quamquam, ut jam non semel notavi, plures Societ. Professores rejiciant Molinae et Lessii sententiam de unico generali decreto, et unica aequali voluntate concurrendi, ad quod voluerit voluntas creata se determinare, atque ex mandato suorum Praepositorum Generalium admittant cum Suare secundum decretum absolutum, quo Deus postquam praevidit conditionate per scientiam mediam, voluntatem, si ponatur in certis circumstantiis cum oblato concursu generali, consensuram in opus bonum, ex intentione hujus operis decernit eam ponere in iis circumstantiis, et cum ea ad hunc actum concurrere; illud tamen decretum, ut patet, et jam notavimus, non est efficax vi voluntatis divinae, sed ex ipsa praescientia, seu ex praeviso voluntatis consensu. Et licet concursus, qui hoc secundo decreto decernitur, sit quid majus in ratione doni, et beneficii, quia Deus decernit illum offerre in iis circumstantiis, in quibus praevidit voluntatem consensuram, cum posset offerre in aliis, in quibus praevidit non consensuram, non est tamen quid

majus in ratione virtutis et auxilii ; est enim idem concursus secundum se indifferens , cui praevisa est voluntas ex se consensura , non determinans voluntatem, sed ab ipsa determinabilis. Uno verbo, prius decretum expectat consensum, secundum supponit praevisum , neutrum autem dat, seu causat . Unde quamvis Congruistae aliqualiter differant a puris Molinistis , in eodem tamen proposito semper haerent, statque juxta ipsos, Deum non esse vere, et proprie causam boni operis . Igiturcontra hos omnes

Dico: Infallibilis efficacia divinorum Decretorum circa actus nostros, liberos, maxime bonos, est ab omnipotentissima Dei voluntate, et supremo ejus dominio, quod habet in voluntates hominum , et non a consensu praeviso; seu ut alii dicunt, divina decreta circa actus nostros liberos sunt ex se, et ab intrinseco efficacia, non secundum se indifferentia. Ita omnes ferme Theologi exceptis defensoribus scientiae mediae . Licet enim non omnes eodem modo hujus infallibilitatis executionem in tempore explicent, aliis pro causalitate physica , aliis pro morali , aliis pro congruitate , aliis pro delectatione , aliis pro sympathia decertantibus , omnes tamen referunt ad virtutem, et efficaciam divinae voluntatis, et non ad aliquid ex parte nostra conditionate praevisum , antequam Deus id nobis dare decreverit .

Prob. ex Scriptura . 1. Esther 13. Mardochaeus orans Deum, ut convertat cor Regis Assueri Judaeis infensi dicit : *Domine Rex omnipotens , in ditione enim tua cuncta sunt posita , et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel .... Dominus omnium es, nec est, qui resistat Majestati tuae.* Et cap. 14. Regina Esther sic orat : *Converte* (Domine) *consilium eorum super eos, et eum, qui in nos coepit saevire, disperde .... Domine Rex Deorum, et universae potestatis .... transfer cor illius in odium hostis nostri* Et cap. 15. subjungitur , *convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem*: Quibus verbis infallibilitas, et efficacia divini decreti , seu voluntatis Dei refertur evidenter ad ejus omnipotentiam , et non ad consensum Assueri praevisum . Hinc S. Thom. q. 22. *de verit.* a 9. ait. [„ Mutare actum voluntatis non potest nisi quod „ operatur intra voluntatem, hoc est ipsa voluntas, et id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est : unde solus Deus potest inclinationem „ voluntatis, quam ei dedit, transferre, de uno in aliud secundum quod vult. „]

2. Proverb. 21. Cor Regis in manu Dei comparatur divisionibus aquarum in manu hortulani : *Sicut divisiones aquarum , ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit , inclinabit illud.* Ecclesiastici 33. Homo in manu Domini comparatur luto in manu figuli : *Quasi lutum figuli in manu ipsius , plasmare illud, et disponere. Omnes viae ejus secundum dispositionem ejus : sic homo in manu illius , qui se fecit.* Isaiae 10. Comparatur securi , virgae , baculo in manu hominis iis utentis , prout vult : quibus comparationibus manifestum fit Deum vi suae potestatis, et dominii de voluntatibus hominum disponere, non vero ab eis expectare seu supponere , quid voluerint .

3. Juxta Scripturam Deus facit ut faciamus. Ezech. 36. *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis .* Facit , ut velimus ad Philip. 2. *Operatur in nobis , et velle, et perficere pro bona voluntate .* Facit de nolentibus volentes , auferendo duritiem, et resistentiam voluntatis, et dando obedientiam, seu consensum. Ezech. 11. et 36. *Auferam a vobis cor lapideum , et dabo vobis cor carneum* Unde Aug. de Praedest. Sanct. cap. 8. *Haec gratia , quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur , a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur , ut cordis durities primitus auferatur.* Atqui id Deus infallibiliter praestare non potest per decretum concurrendi indifferenter ad velle, vel nolle, ad consensum, vel dissensum , seu per decretum, quod expectet, aut supponat consensum, et duritiem ablatam, cum ipse et consensum det, et duritiem auferat. Adde, quod per decretum concurrendi Deus non decernat , ut faciamus , sed nobiscum facere cum facimus, neque ut velimus , sed nobiscum velle , cum voluerimus .

4. Juxta Apostolum, discretio in opere Salutis, repetenda est ex parte Dei, et non ex parte hominis: atqui in systemate decretorum indifferentium, homo in opere Salutis se discernit ab alio: ergo. Hoc argumentum sat fuse deductum alibi require.

Prob. ex Aug. 1. S. D. l. de Corrept. et Gratia cap. 14. Sic dicit: *Non est dubitandum voluntati Dei qui in Coelo, et terra, omnia quaecumque voluit, fecit .... humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit .... Habens sine dubio humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Vide S. Augustinum infallibitatem divinae voluntatis non repetere ex praescientia futuri consensus, sed ex omnipotentissima potestate, ac supremo dominio, quod habet in voluntates nostras.

2. Augustinus ibidem explicans, quomodo Deus inclinet voluntates, et de iis faciat, quod vult, dicit: *Intus agit, corda tenet, corda movet, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatur, trahit: si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas: quis alius facit, ut salubris sit correptio, et fiat in correpti corde correctio?*

Duo hic dicit Augustinus. Primum, Deum inclinare voluntates hominum intus operando in eis: ergo non vi decreti indifferentis, nec per concursum simultaneum, neque per motiones morales: non vi decreti indifferentis, quod expectat, aut supponit actionem voluntatis: non per concursum simultaneum, qui non operatur intus in voluntatem, sed coagit cum illa ad effectum, quando ipsa operatur; neque per motiones morales, quia motio moralis non agit intus in voluntate, sed movet tantum objective, et extrinsece per propositionem objecti factam ab intellectu, nec magis movet, quam ipsa bonitas objecti alliciat, quae, cum sit limitata, non habet cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem, ut loquitur Augustinus.

Alterum, quod dicit S. Doctor, est, Deum inclinare voluntates nostras, quatenus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Atqui ex dominio, quod habet homo in voluntatem suam, se determinat efficaciter, et quod capitale est, salva sua libertate: ergo a fortiori Deus ex majori dominio, quod habet in voluntates hominum, determinat eas efficaciter salva eorum libertate, alias quomodo haberet magis in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas? Et hinc ruit penitus in via Augustini praecipuum, et ferme unicum fundamentum Sententiae oppositae, petitum ex laesione libertatis.

3. Augustinus lib. de. grat., et lib. arbit. cap. 16. explicans illa verba Apostoli: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere*, dicit *Certum est, nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum ... Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati ... Cum dicit, faciam, ut faciatis; quid aliud dicit, nisi auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis, et dabo cor carneum, unde faciatis? et hoc quid est: nisi auferam cor durum, unde non faciebatis, et dabo cor obediens, unde faciatis?* Deus ergo; juxta August. non solum facit, cum volumus, et facimus, quod praestat per concursum simultaneum, sed facit, ut velimus, et faciamus; non per simplices motiones morales, quae voluntatem ipsam non immutant, sed alliciunt tantum per propositionem objecti; sed praebendo vires efficacissimas voluntati, quibus cor durum, hoc est ejus resistentia, vincitur; et cor obediens, id est ipse consensus, datur, et causatur; ergo voluntas Dei non est infallibiliter efficax ex illo consensu praeviso, sed virtute propria, siquidem vi efficacissima causat illum, et non expectat, aut supponit ab alio causatum.

Prob. ex S. Th. S. D. q. 6. de malo a. unico ad 3. *Deus*, inquit *movet vo-*

luntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest. Quid clarius ? subjungit : *sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Et quodlib. 12. a. 3. *Praedestinatio habet certitudinem ex parte voluntatis divinae, cui non potest aliquid resistere.* Quid iterum expressius ? Vide item 1. 2. q. 112. a. 3. 5., q. 10. a. 4. ad 3., 2. 2. q. 24. 11. 5., et lib. 3. contr. Gent. et alibi.

Respondent Molinistae S. Th. his testimoniis non velle Deum praedefinire, et causare immediate contingentiam, et libertatem actuum nostrorum, sed mediate tantum, in quantum effectibus liberis, et contingentibus praeparavit, et aptavit, id est produxit causas liberas, et contingentes, ex quibus procedunt effectus liberi, et contingentes.

Hanc causalitatem dumtaxat mediatam in Deo rejicit S. Doctor ut erroneam, et contrariam auctoritatibus Scripturarum 3. contra gentes capit. 89. Ubi impugnans sententiam eorum qui dicebant Deum dare nobis virtutem volendi, non autem ipsum velle, sic ait. *Quibus quidem auctoritatibus sacrae Scripturae resistitur evidenter. Dicitur enim Isai.* cap. 26. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine : *unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem. Praeterea hoc ipsum quod Salomon dicit* : Quocumque voluerit, inclinabit illud, *ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere, nisi agat virtute ipsius, ut supra ostensum est : ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quantum agit in virtute Dei. Illud autem, in virtute cujus agens agit, est causa non solum virtutis, sed etiam actus ; quod in artifice apparet, in cujus virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit ; sed solum ab ipso applicatur ad actum : Deus igitur est causa in nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi* Et c. 91. addit. *Ex his colligere possumus, quod electiones immediate a Deo disponuntur.*

Prob. Ratione virtualiter multiplici. Absoluta, et constans veritas est, omne bonum, quod est in nobis, et maxime consensum nostrum in bonum opus, esse proprie a Deo volente, et causante. Id probant omnes ferme auctoritates tum Scripturarum, tum Conciliorum, et Patrum quas hucusque protulimus. Id etiam probant orationes Ecclesiae, quibus a Deo petimus non solum bonum opus, sed etiam consensum, et determinationem voluntatis nostrae ad illud, seu ut orat Ecclesia, ut *rebelles ad se compellat voluntates*, vel ut loquitur Augustinus lib. 4. ad Bonif. c. 9. ut fiant ex nolentibus volentes, et ex repugnatibus consentientes : nemo enim petit ab alio, nisi id, quod ab ipso est donandum, seu efficiendum. Id iterum probant promissiones Dei ; *Promittit* enim, inquit Aug. de Praedest. SS. cap. 10. *quod ipse facturus est, non quod homines* ; promittit autem aliquando consensum nostrum in bonum, ut dum promittit Abrahae fidem gentium. Tandem eamdem veritatem probat ipsa ratio naturalis, qua agnoscimus Deum omnium bonorum auctorem, primum ens, a quo omnia alia entia participantur, primum motorem, a quo omnia moventur, primam, et universalissimam causam, quam nihil potest subterfugere. atqui haec absoluta, et primordialis veritas lumine Fidei, et rationis nota sic adstruit sententiam nostram, ut contrariam omnino evertat ; si enim Deus velit, et causet determinationem, et consensum nostrae voluntatis, ergo voluntas ejus circa illum non est indifferens, sed determinata, neque est infallibiliter efficax denominative ab illo consensu praeviso, sed ex se, et ab intrinseco, quia illum consensum non expectat, aut supponit ab alio causatum, sed vi propria illum causat.

Confirmatur ista min. exponendo modum dicendi adversariorum. Dicunt ita-

que Deum esse indifferenter paratum ad concurrendum nobiscum, sive ad consensum, sive ad dissensum, explorare vero per scientiam *mediam*, quomodo nos usuri sumus hoc indifferenti concursu, et ad quam partem determinaturi, ac videre, nos in certis circumstantiis usuros ad bonum, in aliis ad malum, deinde si velit ut bonus actus fiat ex ea intentione decernit nos constituere in iis circumstantiis, in quibus praevidit nos consensuros, sicque hoc secundo decreto decernit actum infallibiliter, non ex efficacia suae operationis, ut patet, sed ex praescientia suae cooperationis: palam est ergo, juxta hunc dicendi modum quod Deus non causet consensum nostrum, sed ipsum a nobis expectet; quod ipse nos non determinet, sed determinetur a nobis; quod nos inchoamus, ipse sequatur; et quod ejus concursus libertati humanae subjaceat; quod non sit primum ens, primus motor, prima et universalissima causa; quod aliquid in rerum natura existens, scilicet liber consensus noster, seu libera nostra determinatio causalitatem ejus subterfugiat: quod homo ex propriis se discernat in opere Salutis.

Nihil non tentant adversarii, ut tot ac tantarum absurditatum invidiam declinent, suadeantque, si possint, etiam in sua sententia consensum nostrum liberum esse a Deo.

Respondent 1. Consensum nostrum causari a Deo per motiones morales.

Sed contra 1. Debet salvari in Deo ratio causae propriae efficientis circa consensum nostrum liberum, motio vero moralis non pertinet ad causam efficientem, sed ad finalem, et objectivam.

2. Motio moralis proprie loquendo non determinat voluntatem, sed eam allicit dumtaxat, ut ipsa se determinet, ita ut posita quacumque motione morali, voluntas remaneat semper indifferens; et indeterminata quia, ut jam dixi, non agit intra voluntatem, eam immutando, et faciendo de nolente volentem, sed ipsi dumtaxat proponit objectum alliciens ad amandum; nullum vero objectum praeter Deum clare visum infallibiliter rapit, et determinat voluntatem nostram; quia cum nullum objectum praeter Deum clare visum, proponatur ut ex omni parte bonum, remanet semper indifferentia judicii ex parte intellectus, et consequenter indeterminatio ex parte voluntatis, quae ideo aliunde determinari indiget.

3. Deus est causa consensus nostri in bonum potiori titulo, quam Angelus, et homo, sed Angelus, et homo concurrunt ad consensum nostrum in bonum per motiones morales; ergo haec non sufficiunt in Deo.

4. Dato quod Deus vere, et proprie causet liberam determinationem voluntatis nostrae per motiones morales, id absque dubio facit, quia vult, nihil enim facit nisi volens: ergo voluntas ejus circa consensum nostrum liberum non est indifferens, sed determinata, neque infallibiliter efficax ex illo consensu praeviso, sed ex potentia, et virtute propria; quia ut supponitur, illum causat, et non expectat, aut supponit ab alio causandum. Et hoc nunc nobis sufficit: non enim hic quaerimus, per quid Deus in tempore voluntatem suam omnipotentem exequatur, an per motiones physicas, vel morales: id pertinet ad Philosophiam, vel ad Tractatum de Gratia; sed an voluntas divina circa actus nostros liberos sit determinata, et infallibiliter efficax ex omnipotentia sua, quod hic habemus.

Respondent 2. Consensum nostrum liberum esse etiam efficienter a Deo per concursum simultaneum.

Sed contra. 1. Concursus simultaneus offertur indifferenter ad consensum, vel dissensum; ergo non est determinativus voluntatis ad consensum potius, quam ad dissensum.

2. Concursus simultaneus non influit in voluntatem, ut ipsam determinet, sed in effectum tantum; sunt enim voluntas divina, et humana, juxta adversarios, duae causae partiales, sicut duo trahentes navim, quarum una non influit in aliam, alioquin jam non foret causa partialis, sed totalis; Facit ergo Deus per concursum si-

multaneum, cum facimus; sed non facit, ut faciamus, neque est causa consensus nostri, ut liber est, et ut a voluntate nostra procedit, sub qua tamen ratione est quid reale, et quid praecipuum in negotio salutis, ut diximus.

3. Si Deus per concursum simultaneum sit causa consensus nostri in bonum, erit pariter causa consensus nostri in malum, quia eodem modo ad utrumque concurrit.

4. Si libera determinatio voluntatis nostrae sit a Deo, quia nobis cooperatur, pari jure cooperatio Dei potest dici esse a nobis, quia nos etiam ipsi cooperamur, nec potest sine nobis actum nostrum liberum efficere.

5. Tandem si Deus per concursum simultaneum causet liberam determinationem voluntatis nostrae, jam non est tantum simultaneus, sed etiam praevius; quia omnis causa est prior suo effectu saltem natura, et causalitate.

Respondent 3. Congruistae, consensum nostrum et omne bonum, quod est in nobis, esse a Deo; quatenus Deus ex speciali benevolentia, atque ex intentione boni operis in nobis efficiendi, nos constituit in eis circumstantiis, in quibus praevidit per scientiam mediam, nos concursui indifferenti oblato ex innata libertate consensuros, cum posset nos constituere in iis circumstantiis, in quibus praesciret nos non consensuros.

Sed contra 1. Evidenter patet neque juxta hunc dicendi modum Deum causare determinationem nostram: dicit enim, non secus ac praecedentes, Deum primo offerre concursum indifferentem, et expectare, atque explorare consensum nostrum ergo illum non causat. Neque refert, quod, hoc consensu praeviso a nobis conditionate futuro, si nempe in talibus circumstantiis concurrat, absolute decernat ex intentione hujus consensus obtinendi, concurrere in his circumstantiis, inde enim solum sequitur, quod velit consensum a nobis ponendum, non vero quod ipse ponat, seu causet. Idque confirmatur: unde 2. Qui ponit circumstantias, ex eo praecise nihil plus facit, quam circumstantiae faciant: sed circumstantiae non causant determinationem nostram, seu non faciunt, ut velimus, ut per se patet, et fatentur adversarii. 3. Sequeretur, quod Deus esset pariter causa dissensus nostri, dum constituit nos in eis circumstantiis, in quibus praevidit nos non consensuros. 4. Juxta hunc dicendi modum non magis, quam juxta praecedentes, infallibilitas divinorum Decretorum non oritur ex omnipotentia Dei, sed ex ejus praescientia, contra auctoritates Scripturarum superius relatas; neque Deus facit de voluntatibus hominum, quod vult, sed quod praescivit ipsos velle; neque de iis disponit, sicut hortulanus disponit de aquis, figulus de luto, artifex de securi, cum non possit salva libertate efficere, quod voluntas consentiat in iis circumstantiis, in quibus praevidit non consensuram, neque quod non consentiat in iis circumstantiis, in quibus praevidit consensuram. Quae omnia sunt contra auctoritates antea relatas, et textus expressos Augustini.

Prob. conclusio secunda ratione. Decretum indifferens concurrendi ad utrumlibet debet determinari per aliquid ad hoc potius, quam ad oppositum, puta ad consensum potius, quam ad dissensum, ad actum amoris potius, quam ad actum odii; non enim potest concurrere ad actum determinatum remanens in sua indifferentia ad utrumlibet. Quaero autem ab adversariis, per quid in sua sententia illud decretum indifferens, seu concursus indifferenter oblatus determinetur ad hunc actum potius, quam ad oppositum? Hic haerent ipsis aquae. Non enim dici potest, quod determinetur a Deo, quia Deus se exhibet paratum indifferenter concurrere ad utrumlibet: non per aliquid, quod sit in voluntate prius, quam se determinet, quia tota voluntas ante suam determinationem est indifferens, et si antequam se determinet Deus illi offerret concursum determinatum et restrictum praecise ad hunc actum, libertatem laederet juxta adversarios. Non denique per ipsam determinationem actualem voluntatis. 1. Quia hoc est aperte concedere, quod voluntas creata

sit primum determinans, prima causa, a qua Deus dependeat, et determinetur in concurrendo, quod maximum absurdum, quamvis vere, ut nobis videtur, sequatur ex adversariorum sententia, illud tamen aperte fateri refugiunt. 2. Voluntas creata determinatur per suum actum, ut ipsimet docent, et actus voluntatis identificatur cum concursu Dei, ut etiam concedunt; nec enim potest concipi actus, ut egrediens a voluntate et non a Deo, et hoc fit per concursum; hinc infero 1. Ergo determinatio voluntatis non est magis determinativa concursus, quam concursus sit determinativus voluntatis. Infero 2. Ergo Deus non potest praevidere creaturam se determinaturam sine suo concursu determinato, sicque videndo determinationem conditionate futuram creaturae, videt se determinate concursurum, antequam velit determinate concurrere, quod implicat: et cum inducunt Deum sic decernentem: concurram determinate, si creatura se determinaverit, sensus est, *concurram, si concurram*; quia, ut dictum est, voluntas non potest se determinare sine concursu, quocum identificatur. Insuper, si determinatio voluntatis creatae sit causa determinans concursum divinum: ergo prius concipitur determinatio voluntatis, quam concursus: quomodo autem prius potest, concipi, si identificetur cum illo?

Tandem decreta indifferentia videntur Vaticano fulmine contrita. Innocentius namque XI. anno 1679. die 23. Novembris damnavit hanc propositionem: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.* Et istam: *Deus nobis subjicit omnipotentiam, ut pro libitu ea utamur.* Non enim videmus sufficiens discrimen inter has propositiones, et istam, quae est adversariorum, et in terminis Jacobi Platelii in sua Synopsi c. 4. §. 2. n. 165. Decretum concurrendi in actu primo *exhibet Dei potentiam ad utrumlibet indifferenter causae liberae, ei relinquendo plenam potestatem, seipsam, et potentiam Dei jam sibi addictam, in actu secundo ad utramvis partem contrarietatis, aut contradictionis pro libitu determinandi.* Quid est enim hoc aliud, quam Deum subjicere nobis suam potentiam quantum ad usum, scilicet ut ea pro libitu utamur, sicut dicitur servus se subjicere Domino, cum se exhibet paratum ad quodcumque voluerit?

Ab ulterioribus probationibus supersedemus, quia, quae diximus contra scientiam mediam militant pariter contra decreta indifferentia, cum stare non possint decreta indifferentia absque scientia media.

Articulus II.

Solvuntur Objectiones.

Hic proponam indifferenter argumenta quae militant tam contra gratiam a se efficacem, quam contra decretum per se efficax; quia ut jam monui, una est utriusque causa.

Ex quintuplici capite depromi solent argumenta. 1. Ab auctoritate. 2. Ex laesione libertatis. 3. Ex insufficientia auxilii 4. Ex affinitate cum Calvinismo. 5. Ex laesione Sanctitatis divinae,

§. I. *Solvuntur objectiones ab auctoritate.*

Objicies 1. ex Scriptura. 1. Eccl. 15. 14. et 17. dicitur: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui... Apposuit tibi aquam, et ignem, ad quod volueris porrige manum*, etc. Atqui si decreta Dei circa actus nostros liberos sint praederminantia, et infallibiliter ex se efficacia, homo non esset relictus in manu consilii Dei, nec ipsi esset locus eligendi quod vellet; sed praecise faciendi, quod Deus vellet. Ergo.

2. Isaiae 5. *Judicate inter me et vineam meam . Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei : an quod expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas* ? Ex hac parabola habemus , quod Deus facit , quod in se est , consequenter , quod det auxilium , ut homo fructus salutis operetur , quos tamen non operatur ; Ergo auxilium efficax aliquando caret effectu .

3. Proverb. 1. *Vocavi, et renuistis . extendi manum meam, et non fuit , qui respiceret* . Act. 2. *Vos semper Spiritui Santo resistitis* . Et alibi similiter : atqui si voluntas Dei esset infallibiliter efficax ex sua omnipotentia , nemo illi resisteret : ergo .

4. 2. Ad Corint. 6. *Hortamur vos , ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* : loquitur autem Apostolus de gratia efficaci , siquidem Aug. lib. de grat., et lib. arb. c. 5. agens de vocatione efficacissima Pauli , hoc testimonium usurpat : ergo Apostolus agnoscit gratiam efficacem posse carere effectu : qui enim admonet , ne in vacuum accipiatur , supponit , posse sic accipi . Idem significatur ad Heb. 12. *Contemplantes , ne quis desit gratiae Dei.*

R. (1. *p*, *q*. 22. *a* 2. *ad* 4. *et q*, 3. *de pot. a* 7, *ad* 11.) Ad 1. his verbis significari hominem esse liberi arbitrii , et ei non esse praefixam virtutem operativam determinatam ad unum , sicut agentibus naturalibus , sed habere dominium super suos actus ; quia tamen hoc liberum est creatum, et causa secunda , per hoc non excluditur actio primi liberi, et primae causae , a qua dependet homo in sua operatione . Unde , sicut dicitur ex una parte hominem esse relictum in manu consilii sui , sic ex altera dicitur Proverb. 21. *Sicut divisiones aquarum , ita cor Regis in manu Dei* . Et Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli , sic vos in manu mea* . Est ergo homo in manu consilii sui, et in manu Dei , non quasi violenter aut necessario trahentis , sed dantis virtutem , operationem, et omnia, quae sunt necessaria ut libere fiat , consequenter ut , quod voluerit , eligat , sed non eligit , nisi id , quod Deus vult , ut eligat .

Ad 2. nego Deum fecisse totum , quod in se erat , ut converteret Judaeos unde non dicit , quid ultra *potui*, sed quid ultra *debui* facere , et non feci ? Quo significatur Deum equidem dedisse Judaeis necessaria, scilicet gratias sufficientes , quibus poterant converti , et quas , supposita voluntate antecedente omnes salvandi , dare debebat , non vero gratias efficaces , quas quidem poterat , sed non tenebatur dare , quia id non exigebat ordo suae providentiae .

Ad tertium , cum pariter Scriptura pluries testetur neminem resistere , aut etiam posse resistere divinae voluntati , ut utrumque concilietur , distinguimus duplicem voluntatem in Deo , unam antecedentem, cui resistitur , alteram consequentem , cui non resistitur . Similiter duplicem gratiam , unam sufficientem, quae a voluntate antecedente procedit , cui resistitur , alteram per se efficacem, quae a voluntate consequente procedit , cui non resistitur, et cui secundum Scripturam non potest resisti , potentia scilicet consequente , et in sensu composito , licet possit resisti potentia antecedente , et in sensu diviso , de quo infra .

Ut autem omnis scrupulus tollatur , atque huic difficultati , et pluribus aliis lux adferatur , audiendus est S. Thom. dicens in 4. d. 11. q. 1. a. 3. quaestiunc. 3. ad 2. quod, *In aliqua actione potest esse resistentia dupliciter . uno modo ex parte agentis , quando scilicet ex contrario agente virtus ipsius debilitatur : alio modo ex parte ipsius effectus , quando ex contraria dispositione impeditur effectus . In omni actione , ubi agens non patitur , prima resistentia non habet locum , sed secunda solum ; unde in operationibus divinis non attenditur difficultas secundum resistentiam ad agentem , sed secundum impedimentum effectus* . Haec profundissime S. Doctor , quibus et praesens difficultas , et multae aliae gravissimae , petitae ex laesione libertatis per Dei decretum aut gratiam a se efficacem , explanantur, et dirimuntur, ideoque alta mente reponen-

da, et saepius revocanda. Igitur nemo potest ullo sensu resistere sive Dei voluntati absolutae, sive motioni gratiae per se efficacis, resistentia, quae est ad agentem, sicut v. g. hosti irruenti in urbem civis resistit, sistit impetum, retardat, frangit, ac tandem vincit: quis enim, ut Deus? quis habet brachium, ut Deus, inquit Job, et potest cum eo luctari? Sed cum voluntas divina, idem dic de gratia, nullam necessitatem voluntati creatae imponat, sed velit, ut libere agat, potest voluntas creata aliud velle, et hoc sensu impedire effectum divinae voluntatis, quod est resistere divinae voluntati, resistentia, quae est secundum impedimentum effectus.

Ad 4. dato Apostolum loqui de gratia efficaci (quod posset negari) nihil inde derogatur ejus efficaciae; quia quod quis non desit gratiae, aut etiam in vacuum non recipiat, est ex gratia. *Hoc ipsum*, inquit Angelicus Lect. 3. in loc. cit. ad Hebr. *quod aliquis non ponat obstaculum gratiae, ex gratia procedit*. Hinc communiter dicitur, quod bonus usus gratiae sit ex gratia. Neque id impedit, quominus Apostolus recte potuerit nos hortari, ne gratiam in vacuum recipiamus, hoc enim sic est a gratia, ut etiam sit a libero arbitrio; datur enim gratia ut voluntas se agat, et non ut nihil agat.

§. II. *Solvuntur Objectiones ex laesione libertatis.*

Obj. 1, cum Molinistis, et Tournelio de scient. med., et q. 9. de grat. a 1. Doctrina, quae admittit decreta praedeterminantia et gratiam per se efficacem, conciliari non potest cum dogmate Catholico circa humanam libertatem: ergo. Prob. ant. Fides statuit *liberum arbitrium motum et excitatum a Deo posse dissentire, si velit*. Ita Trid. sess. 5. can. 4. *et Dei inspirationem posse abjicere*: ibid. c. 5 Et loquitur concilium de gratia efficaci, quoquo modo sit efficax, tum quia loquitur de gratia, cui de facto homo cooperatur, et assentitur, tum quia loquitur de gratia, per quam Lutherus, et Calvinus dicebant tolli libertatem; dicebant autem tolli libertatem per gratiam efficacem: atqui decreto praedeterminanti, et gratiae per se efficaci habenti infallibilem nexum cum consensu voluntatis, voluntas dissentire non potest, alias decretum non esset praedeterminans, nec gratia a se efficax, quam voluntas dissensu suo posset reddere inefficacem, et irritam; ergo.

Antequam respondeam praemitto; et suppono tamquam certum; Deum esse causam efficientem nostrae libertatis, non solum potentialis, sed etiam actualis, id est liberi actus, et liberae determinationis voluntatis: 1. Quia Deus est prima, et universalissima causa totius entis, et modorum entis, seu, ut dicit S. Th. causa profundens totum ens, et omnes ejus differentias, ita ut nihil sit in rerum natura existens, quod subterfugiat ejus causalitatem, consequenter nec nostra libertas actualis 2. Quia libertas actualis est perfectio, potentia enim est propter actum, et per illum perficitur; imo est perfectio simpliciter simplex, utpote quae in Deo reperitur, et si agatur de libertate actuali in ordine salutis, est quid supernaturale. Quis autem negabit hujusmodi perfectionem esse efficienter causatam, et participatam a Deo libero per essentiam, fonte totius perfectionis, et auctore totius supernaturalitatis? Non est vero Deus causa efficiens liberae determinationis nostrae voluntatis per decretum indifferens; illud enim non datur, ut determinet voluntatem, alias secundum adversarios libertatem laederet, sed ut concurrat cum ipsa, dum se ex se determinaverit; est namque indifferens, ut concurrat ad consensum vel dissensum media determinatione voluntatis. Insuper ab indifferenti, ut tali, non potest magis procedere aliquid determinatum, quam frigidum a calido, vel album a nigro, ita ut posito solo decreto indifferente, voluntas, quae etiam est indifferens ante suam determinatio-

nem, in aeternum maneret otiosa, et suspensa ab actu. Restat ergo, quod Deus sit causa efficiens nostrae libertatis actualis per decretum determinans, et motionem a se efficacem ab illo descendentem, qua voluntas ab indifferentia sua passiva, quasi a somno excutitur, et reducitur de potentia ad actum. Nihil prorsus igitur ex decreto praedeterminante, et gratia per se efficaci timendum pro libertate humana causa enim causando effectum ipsum non destruit, sed ponit.

Si dicas de ratione potentiae liberae esse, quod sit causa sui motus, quod seipsam moveat, et determinet. Respondet tibi S. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. ad 3., q. 3. de malo a. 3., et 1. 2. q. 9. a. 4. *quod equidem liberum arbitrium sit causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est: sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas, et voluntarias; et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Movet ergo Deus potentiam liberam, non praecise, ut moveatur, et nihil agat, neque determinat praecise, ut determinetur, sed movet et determinat tamquam primum movens, ut ipsa tamquam secundum movens primo subordinatum, et in suo ordine, se etiam moveat, determinet, et agat; et quidem libere, nimirum sub indifferentia judicii, et servando potentiam ad oppositum; quia operatur in unoquoque secundum ejus proprietatem, movetque nedum ad substantiam, sed etiam ad modum actus.

Si reponas potentiam liberam esse dominam sui actus, hoc ipso autem, quo ab alio efficaciter, et infallibiliter determinatur, non est amplius domina sui actus, respondet iterum S. Thomas, *Quod voluntas dicatur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam, et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, et voluntatis.* Haec est igitur causa hallucinationis adversariorum, quod fingunt libertatem humanam quasi alterum Deum, quae in sui exercitio, et actu excusserit dependentiam a suo creatore. Quod quam sit alienum a recta ratione novit quisquis attenderit ad jura divinitatis, et conditionem entis creati.

Agnoscenda est ergo libertas in homine, sed creata, et hoc ipso quo creata, sic dependens, et subjecta voluntati sui creatoris, ut ab hac dependentia nec ipse Deus eam eximere potuerit. Hoc ipso, enim, quo est creator, et supremus Dominus omnium, omnia creata necessario ab illo dependent in esse, et operari. Homo igitur est agens liberum, sed in suo ordine, nempe secundum primo subordinatum, se movet, se determinat, sed ut causa secunda sub motione, et determinatione primae causae: habet dominium sui actus sed non supremum, nec independens ab altiori dominio, quod Deus creator habet in illam, quasi supremus Princeps in feudum. Idque jam patet ex dictis, et iterum patebit ex dicendis.

His praemissis posset breviter responderi ad argumentum distinguendo minorem sic. Decreto praedeterminanti, et gratiae per se efficaci, homo non potest dissentire potentia divinae voluntati non subjecta, qualem adstruunt Adversarii. C. Potentia divinae voluntati subjecta, qualem adstruunt SS. Patres. N. Verum est igitur, posse creatam voluntatem resistere divinae motioni, per se efficaci, quia ut ait S. Thom. 1. 2. 9. 10. a. 4. ad 1. *Voluntas divina non solum se extendit ad hoc ut aliquid fiat, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius, et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae* Sed etiam verum est, hanc dissentiendi potentiam ita esse divinae poten-

tiae subjectam, ut Deus posset facile voluntatem ita movere, ut reipsa non dissentiat. Et ideo non sequitur ex illa potentia dissentiendi, decretum non esse praedeterminans, nec gratiam a se efficacem.

Responsio tamen communis in Schola Thomistica datur per distinctionem sensus compositi, et divisi, quae sic intelligenda est.

Sensus compositus componit cum actu, aut cum praerequisitis natura tantum ad actum, non actum, aut actum oppositum, ut, si dicas, *sedens potest stare*, significat in *sensu composito*, quod possit sedere simul et stare, seu componere sessionem cum statione. *Sensus divisus* dividit actum, non a potentia ad non actum, seu actum oppositum, sed a non actu tantum, seu ab actu opposito: ut si dicas, *sedens potest stare*, significat in *sensu diviso*, quod sedens sub sessione retineat potentiam standi, non tamen componendi simul stationem cum sessione, Uno verbo, *sensus compositus* importat potentiam simultatis, *sensus divisus* simultatem potentiae.

Aliter Calvinus intellexit hanc distinctionem. Secundum illum *sensus compositus* componit actum cum potentia ad non actum, et hic est noster *sensus divisus*. *Sensus* autem ejus *divisus* dividit ab actu potentiam ad non actum, itaut juxta illum praemotus ad agendum non possit non agere in *sensu composito*, id est stante praemotione, non habet potentiam non agendi; possit in *sensu diviso*, id est sublata praemotione habet potentiam non agendi, sicut, inquiunt, vinctus catenis non habet potentiam currendi in *sensu composito*, id est manentibus vinculis, habet potentiam currendi in *sensu diviso*, id est sublatis vinculis. Hunc sensum haereticum, quem damnamus, et execramur, non erubuerunt aliquando nobis imponere quidam adversariorum, licet alii ex eadem schola, inter quos Annatus senior factus, et ipse Tournelius in quibusdam locis ab hac calumnia nos vindicent.

Hanc ergo distinctionem *sensus compositi* et *divisi* catholice intellectam non esse a Thomistis inventam, ut quidam somniarunt, ad eludendum hoc argumentum ex Conc. Trid., et alia a laesione libertatis petita, inde constat, quod Magister Sentent. eam adhibuerit in 1. d. 38. circa finem, et ex eo insigniores Theologi eam usurparunt, praesertim S. Th. ibid. q. 1. a. 5. ad 3., specialius q. 6. de verit. art. 4. ad 8. ubi ait: *Dicitur communiter, quod haec: Deus potest non praedestinatum praedestinare, vel praedestinatum non praedestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera; et ideo omnes locutiones illae, quae sensum compositum implicant, sunt falsae simpliciter.*

Res. ad arg. N. ant. ad prob. D. min. Atqui decreto praedeterminanti, et gratiae per efficaci, etc. voluntas non potest dissentire *potentia consequente, potentia futuritionis*, in *sensu composito* (haec enim sunt synonyma), hoc est voluntas non potest simul jungere non actum cum motione ad actum, C. min. Quia cum motio sit simul tempore cum actu, illum enim praecedit tantum natura, et causalitate, sequeretur, quod posset simul jungere non actum cum actu, quod implicat. Voluntas non potest dissentire *potentia antecedente, potentia possibilitatis*, in *sensu diviso*, hoc est sub illa motione non servat potentiam dissentiendi, N. Quia ut jam saepe diximus ex divo Thoma 1. p. p. q. 19. a. 8. o. et ad 2. 1. 2, q. 10. a. 4. ad 1. et alibi. et pluries dicemus: et est inconcussa, et fundamentalis ratio, sic Deus vult nos agere, ut etiam velit nos libere agere, et sic movet ad agendum, ut etiam moveat ad libere agendum; seu ut communiter dicitur, movet non solum ad substantiam actus, sed etiam ad ejus modum, qui est libertas: et cum ejus voluntas sit omnipotentissima, et efficacissima, sicut et ejus motio, sequitur necessario nos libere agere, et consequenter nos servare, sub illa motione, potentiam illi resistendi, et eam abjiciendi, Intellige semper, ut supra explicuimus ex D. Thoma. *Non secundum resistentiam ad agentem, sed secundum impedimentum effectus.*

Urgebis : his non obstantibus saltem negari non potest, quin clarius, et facilius intelligatur concordia libertatis creatae cum Molinistarum decreto indifferenti, et gratia versatili (quae non determinat voluntatem , sed a voluntate determinatur), quam cum decreto praedeterminante Thomistarum , et gratia per se efficaci, inferente infallibiliter actum .

R. 1. N. Suppositum assumpti. Non enim est creata, aut creabilis libertas, quae ita sit a suo creatore independens , ut ipsa eum determinet, et ab ipso non determinetur : quia hoc involvit contradictionem. Esset enim creata , et non esset , quia non subjiceretur Deo in operari , quod tamen est essentiale creaturae . Esset secunda causa, secundum liberum ut supponitur , et non esset , quia se moveret , se determinaret, a nullo alio mota, et determinata. Item Deus eadem ratione foret, et non foret, prima causa. Foret causa universalissima , ut supponitur , et non foret, quia esset aliquid in rerum natura existens, quod subterfugeret ejus causalitatem , nempe nostra determinatio ut libera , et ut a voluntate procedens , quod bene distingue . Quae reponunt adversarii , vide refutata supra.

R. 2. D. Ant. Clarius et facilius intelligitur concordia libertatis humanae cum gratia Molinistarum , eversis juribus divinitatis , Transeat Ant. salvis juribus divinitatis , N. Ant. patet ex dictis. Haec autem duo scilicet libertatis creatae et divinitatis jura in eorum conciliatione debent necessario salvari , nec aliter salvari posse arbitramur , quam juxta data principia SS. Aug., et Thomae.

Quod si forte adhuc remaneat quaedam obscuritas , quia ut dixi , mysterium est , et ut ait Aug. lib. de gr. Christi c. 47. *Ista quaestio , ubi de libero arbitrio voluntatis, et de gratia disputatur ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia , liberum arbitrium putetur auferri. Numquid ideo negandum est, quod apertum est*, inquit idem Aug. de dono persev. c. 14. *quia comprehendi non potest , quod occultum est*? Apertum, et certum est nobis, hominem esse liberum , et Deum illum reliquisse in manu consilii sui, ut eligeret quod vellet bonum, vel malum. Pariter apertum, et certum nobis est, hominem absolute pendere a Deo in suo esse, et operari , esse in manu Dei sicut lutum in manu figuli , Deum de voluntatibus quod vult facere , habere cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem, operari in nobis velle, et perficere, et omnia opera nostra. At forte minus notum est , quomodo stet ista libertas hominis cum hac summa a Deo dependentia. *Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est* ? Sic apertum et certum est Deum esse immutabilem, pariter apertum, et certum est Deum esse liberum , at ignotum quomodo haec duo , immutabilitas , et libertas simul cohaereant. *Numquid ideo negandum quod apertum est ? etc.* Imo in naturalibus apertum, et certum est Oceanum pati fluxum, et refluxum, magnetem attrahere ferrum , et alia naturae mysteria ; at occultum quomodo haec fiant. *Numquid ideo negandum etc.* Absurdum hoc philosophandi genus ab incertis ad certa, ab obscuris ad clara, et non potius a certis ad incerta , a claris ad obscura velle pervenire. Haec ergo S. Aug. regula constanter est tenenda , et eo tenacius, quod fide divina nobis constet, Deum longe plus posse facere , quam possit humana ratio concipere , et quod ex hujus regulae inobservantia plurimae natae sint haereses .

Obj. 2. Suppositio antecedens nostram determinationem eamque infallibiliter causans, infert necessitatem, et tollit libertatem : atqui tum decretum praedeterminans, quam gratia per se efficax antecedit determinationem nostram, et eam infallibiliter infert : ergo.

R. Ex principiis positis , D. maj. Suppositio antecedens determinationem nostram, et eam infallibiliter causans quoad substantiam tantum, infert necessitatem,

et tollit libertatem, C. maj. Infallibiliter causans et substantiam actus, et ejus modum scilicet libertatem, N. maj. Est enim inintelligibile, quod causa qua talis destruat suum effectum, unde distincta min. ad sensum maj. N. conseq. Solutio patet ex dictis in praecedenti solutione. Hanc responsionem confirmat, quod haec propositio cujusdam Petri de Rivo Doctoris Lovaniensis. *Quod ex inimpedibile per necessariam consequentiam sequitur, hoc inimpedibile est, et necessarium*, fuerit damnata Romae a Sisto IV. an. 1476. Ita referunt Doctores Lovanienses in justificatione suae censurae cap. 4. n. 81., et Sylvius tum in opusculo de primo motore, tum in hac parte qu. 19. a 8.

Inst. Necessitas antecedens juxta S. Anselmum lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. tollit libertatem: atqui decretum praedeterminans et gratia a se efficax inferunt necessitatem antecedentem: ergo. Prob. min. Juxta Anselmum loco cit. est duplex necessitas, praecedens et consequens: *est*, inquit, *praecedens necessitas, quae causa est, ut res sit, et necessitas sequens, quam res facit: praecedens, et efficiens necessitas est, cum dicitur coelum volvi, quia necesse est, ut volvatur; sequens vero, quae nihil efficit, sed sic est cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo nihil facere posse, ut, dum loqueris, non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit coelum volvi, te vero nulla necessitas facit loqui.* Atqui decretum praedeterminans seu gratia per se efficax est causa actus, et affert secum aliquam necessitatem, impossibile enim est, esse decretum, et reipsa non sequi effectum: ergo decretum per se efficax infert necessitatem antecedentem.

R. Hoc argumentum, in quo vim faciunt Adversarii, a S. Th. sibi proponi hic. q. 19. a. 8. sub his terminis: *Illud, quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute; sed res creatae comparantur ad voluntatem divinam, sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem, cum haec conditionalis sit vera, si Deus aliquid vult, illud est: ergo omne. quod Deus vult, est necessarium absolute.* En ipsum argumentum, quod magnificant Adversarii, cui sic respondet S. Thomas. *Ad 3. dicendum, quod posteriora habent necessitatem ex prioribus secundum modum priorum. Unde et ea, quae fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem vult Deus ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum, et sic non omnia sunt necessaria absolute.* Quia scilicet, ut explicuerat in corpore articuli, Deus non vult omnia necessario fieri, sed quaedam contingenter, et libere. Ex hac perpetua, et constanti doctrina S. Doctoris N. min. argumenti; ad Prob. D. min. Decretum per se efficax est causa actus quoad substantiam et modum, scilicet ipsam libertatem, C. min. Est causa actus quoad substantiam tantum, N. min., et Conseq. Quamvis enim certissimum sit, et infallibile quod erit, si Deus decrevit, non tamen necessario erit, quia Deus decrevit, quin e contra libere erit, quia Deus decrevit, ut libere sit; et ex hoc, quod certissime erit libere, sequitur, quod necessario erit, quia non potest esse, et non esse; sed ut vides, ista necessitas est ex suppositione quod erit, et sic non est antecedens, sed consequens. Igitur certitudo, et infallibilitas petitur ex decreto, at non necessitas, haec enim solum petitur ex suppositione quod erit, quae est necessitas consequens, ut vocat Anselmus, seu ut alii dicunt, necessitas consequentiae, conditionalis, aut hypothetica. Hanc esse mentem Anselmi constat 1. Quia non dixit, quod suppositio antecedens tollat libertatem, sed necessitas antecedens; definit autem necessitatem, quae est causa, cur res fiat, id est, quae se tenet ex parte causae, et ipsam necessitat ad ponendum effectum; necessitatem consequentem definit, quam res facit, id est, quae petitur ex ipsa suppositione objecti. Porro nulla necessitas cogit Deum ad decernendum meum actum, neque ejus decretum, aut gratia ponit aliquid in mea

voluntate, quo cogar ita illum ponere, ut non possim non ponere, quin potius facit, ut ita ponam, quod possim non ponere; unde evidens est, nullam hic esse necessitatem antecedentem, sed tantum consequentem. 2. Et maxime, quia sic seipsum explicat S. Anselmus lib. de concordia praesc., et lib. arb. qn. 1. c. 3. ubi dicit: *Quoniam quod Deus vult, non potest non esse, si vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel ad non volendum et vult effectum sequi voluntatem, tum necesse est voluntatem esse liberam, et esse, quod vult.* Ubi vides S. Anselmum probare ex efficacia divinae voluntatis, sicut nos, et effectum a Deo intentum per voluntatem nostram esse certissime futurum, et tamen voluntatem nostram manere liberam, quia utrumque vult.

Per necessitatem itaque antecedentem eam solam intelligit S. Anselmus, quae est a causa vel cogente, vel determinante necessario ad unum sine potentia ad oppositum, ut in naturalibus. Praeter dicta patet tum ab exemplis, quibus lib. cit. *Cur Deus homo*, explicat necessitatem antecedentem, quae sunt ortus solis, et motus coeli, quae constat esse agentia naturalia determinata ad unum sine potentia ad oppositum, Tum ex lib. Concord. c. 10. ubi dicit: *Quamvis necesse sit fieri, quae praesciuntur, et praedestinantur, quaedam praescita, et praedestinata non eveniunt ea necessitate, quae praecedit rem et facit, sed ea, quae sequitur: non enim ea Deus, quamvis predestinet, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo* (attende ad haec verba): *sed in sua illam potestate dimittendo: quamvis tamen voluntas sua utatur potestate, nihil facit, quod Deus non faciat.* Quibus verbis aperte significat, se per necessitatem antecedentem, quae rem praecedat, et facit, non intelligere quamcumque praecedentiam, et causalitatem, sed eam dumtaxat, quae vel cogat, vel determinet necessario ad unum sine potentia ad oppositum.

§. III. *Solvuntur Objectiones ex insufficientia auxilii.*

Obj. cum Molinistis, et Tournelio q. de Scientia media a. 5. q. 7., de Grat. a. 4. et q. 9. a. 1. *ibidem.* Ex necessitate decreti, seu gratiae per se efficacis ad singulos pietatis actus istud consequens videtur, gratiam scilicet sufficientem tali gratia destitutam vere insufficientem esse ad actum, quem nunquam exprimit: quo posito, multa resultant inconvenientia. 1. Quomodo gratia illa sit vere sufficiens? 2. Quomodo homini non habenti talem gratiam per se efficacem possibilia sunt Dei mandata? 3. Quomodo reus ille sit violati praecepti, qui caruit praemotione ad illa observanda necessaria? 4. Quomodo juste reprehendi possit ille et damnari? Assumptum non probat Tournelius, sed supponit. Prob. autem: illud est insufficiens, ultra quod ad operandum requiritur aliud, quod non est in potestate nostra, sed ab alio pendet: atqui ultra auxilium quod dicitur sufficiens, requiritur in Sententia Thomistarum aliud auxilium per se efficax, quod non est in potestate nostra, sed pendet a Deo: ergo.

Confirmatur: Ponamus, quod Deus praecipiat alicui aliquem actum, puta amoris, et ipsi conferat omnia requisita ad illum actum praeter istam efficaciam decreti, seu motionis, praecipitur illi aliquid impossibile. Ergo. Prob. ant. Iste actus amoris absque illa efficacia est aliquid impossibile in sensu composito, hoc est, impossibile est hunc actum poni de facto, et in re: ergo praecipitur aliquid impossibile, sicut praeciperetur ambulare ei, qui non habet concursum generalem ad ambulandum.

Antequam directe respondeam, praemitto hoc argumentum pariter impetere systema gratiae congruae, quod nunc communius sustinent Patres Societatis. Gratia namque congrua sic necessaria est ad impletionem praecepti, ut cum ea semper impleatur, et sine ea nunquam impleatur, nec est in potestate hominis illam

habere, cum juxta suos defensores Deus ex speciali benevolentia eam iis, quibus vult, conferat: ergo quaecumque alia gratia ponatur sufficiens, ea destituta, est insufficiens, quo posito; Quaero cum Tournelio: 1. Quomodo gratia illa sit vere sufficiens? 2. Quomodo homini non habenti talem gratiam congruam possibilia sunt Dei mandata? 3. Quamodo reus ille sit violati praecepti, qui carnit gratia congrua ad illa observanda necessaria? 4. Quomodo juste reprehendi ille possit, et damnari?

Neque juvat, quod gratia congrua non addat sufficienti majorem virtutem, ita quod gratia sufficiens incongrua habeat totum, quod requiritur ex parte virtutis ad ponendum actum. Esto: saltem addit majus beneficium, sine quo nunquam ponetur actus, et quocum semper ponetur, unde redit eadem difficultas, non solum in hac, sed in omnium eorum Sententia, qui inter auxilium sufficiens, et efficax agnoscunt aliquod discrimen ex parte actus primi: quae sane sententia, quomodo tuto possit negari, non satis video. His praemissis.

R. directe ad argumentum negando assumptum Tournelii, et omnia ei annexa; ad Prob. imprimis D. maj. Istud auxilium ultra quod requiritur aliud, non est sufficiens absolute, et in omni ordine, Transeat; non est sufficiens in suo ordine, N. Confert enim potentiam completam, et expeditam ad agendum, ita ut nihil desit ex parte potentiae, seu actus primi; unde est sufficiens in suo ordine, seu in ratione potentiae. Utrum vero id proprie, et recte dicatur sufficiens supposito, quod aliquid aliud requiratur ad actum ponendum, non est hujus loci discutere, sed pertinet ad Tractatum de Gratia. Caeterum breviter dico recte dici sufficiens, sicut ignis dicitur communiter sufficiens ad comburendum, licet ulterius debeat applicari ut comburat, sicut panis vulgo dicitur sufficiens ad nutriendum, licet non nutriat nisi manducetur, et trajiciatur in stomachum, sicut Passio Christi dicitur sufficiens ad salutem, licet, ut salvet actu, debeat ultra applicari, et similiter de pluribus aliis.

Verum quia non est hic quaestio de solo nomine, sed potissimum utrum, posita ista sufficientia ex parte potentiae, reipsa ita possibile sit mandatum non habenti auxilium efficax, ut jure possit reprehendi, et damnari, si non servet R. omnino affirmative, non solum ea ratione, quam modo dixi, quia per auxilium habet potentiam completam, et expeditam ad observandum, potenti autem facere, et non facienti peccatum est illi; neque ad hoc, ut alicui imputetur transgressio, semper requiritur gratia actionis, alias nulla unquam foret transgressio. Verum hic, inquam, non sisto, sed ulterius dico habenti auxilium sufficiens, et non efficax esse vere possibile mandatum, et jure reprehendi, si non servet, quia quod careat efficaci, culpa ipsius est. Unde potest distingui min. probationis: auxilium per se efficax non est in nostra potestate ut effectus, qui nobis subsit, C. min. Ut causa, quae nobis adsit, N. min. Deus enim, quantum est ex se, paratus est illud omnibus dare, neque ulli denegat, nisi propter culpam, et hoc uno verbo solvitur argumentum, et ejus confirmatio.

Duobus ergo modis potest dici aliquid esse in nostra potestate; vel quia nobis subest, et sic divinum decretum non est in nostra potestate; vel quia nobis adest ut causa adjuvans, qua utamur si volumus, et hoc modo divinum decretum est in nostra potestate, quia Deus ut causa universalissima, et provisor generalis nulli deest secundum ejus exigentiam. Non enim existimandum est Deum, dum decernit aliquem actum, subtrahere ea, quae sunt necessaria ad oppositum; perversa est haec imaginatio, et aliena a ratione causae universalis, et Provisoris generalis; e contra hoc ipso, quo decernit actum a nobis libere efficiendum, simul decernit praebere omnia, quae sunt necessaria ut libere fiat, et cum potentia ad oppositum, ita ut sit paratus etiam ad oppositum concurrere, si ita exigeret praesens voluntatis dispositio, ut jam diximus; Sic, inquam, se gerit Deus

ut Provisor generalis ; sed ut provisor Particularis aptat , et disponit causas secundas , ut hunc potius influxum exigant quam alium , quod ex speciali benevolentia praestat erga eos, quos movet ad bonum per gratiam, sicque disponens omnia suaviter, attingit fortiter usque ad finem, et certissime obtinet , quod a nobis efficiendum decernit , absque laesione libertatis .

Altera responsio, quae est frequentior in S. Thoma , et quae est adaequata solutio argumenti in omni casu , est , quod habenti auxilium sufficiens denegatur efficax propter culpam concomitantem , et praesens impedimentum , quod apponit ; quatenus scilicet cum Deus sit paratus , quantum in se est , dare omnibus gratiam et sufficientem , et efficacem , et gratia sufficiens ex natura sua , et voluntate Dei antecedente ordinatur ad efficacem, homo mala voluntate libere prorumpens in actum inordinatum resistit gratiae sufficienti , sistit ejus cursum , et ponit obicem gratiae efficaci , ponendo actum incompossibilem cum illa , et cum actu , ad quam moveret si adesset. Ita S. Thom. 3. contr. Gent. c. 159. *Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii , impedire divinae gratiae receptionem , vel non impedire , non immerito in culpam imputatur ei , qui impedimentum praestat gratiae receptioni : Deus enim quantum in se est paratus est omnibus dare gratiam . . . . . sed illi soli gratia privantur , qui in seipsis gratiae impedimentum praestant.*

Nihil simplicius , ut vides, nihil clarius ista responsione. Non itaque dicimus ideo gratiam efficacem conferri homini , quia bene utitur sufficiente , quia illi non resistit , seu consentit , quia bene se praeparat ad efficacem ; haec enim scimus esse effectum gratiae efficacis , et non ejus causam : sed dicimus , ideo hominem privari gratia efficaci , quia resistit sufficienti , quia efficacem non vult habere , quia peccando apponit ipsi impedimentum ; et qui haec duo longe diversa non distinguit , omnia confundit. Quamvis enim ut homo non resistat , seu consentiat gratiae sufficienti indigeat gratia efficaci , ea tamen non indiget , sed sufficit mala voluntas ut resistat , et resistendo privetur gratia efficaci necessaria ad servandum praeceptum. Et in hac distinctiuncula consistit totius nodi solutio.

Igitur admittimus, et constanter docemus cum utroque Doctore gratiae, quod non resistere gratiae sufficienti , seu quod idem est, ipsi consentire, sit quid positivum, et quod ad illud opus sit gratia per se efficaci; at quod ad resistendum, ad dissentiendum gratiae sufficienti , ad ponendum impedimentum gratiae efficaci, seu quod idem est , ad peccandum , opus sit gratia per se efficaci, nemo sanae mentis somniavit unquam : ad id quippe sufficit voluntas creata , quae quia est ex nihilo, et labe originali vitiata , est primum principium deficiens. Et quamvis haec resistentia non fiat absque generali Dei motione in ordine naturali, quatenus Deus ut provisor universalis in ordine naturali movet unumquemque secundum suam exigentiam , quia tamen haec motio movet voluntatem ut libere agat, ideo homo libere resistendo , libere peccando , libere ponit obicem gratiae efficaci, et consequenter jure ei imputatur , quod eam non habeat , et quod ea absente non servet mandatum.

Ex his ergo concludo , et firmissime tenendum moneo , quod quamvis verum sit , hominem ideo consentire gratiae sufficienti , quia habet per se efficacem, falsum sit tamen ideo resistere sufficienti , quia caret efficaci ; sed e contra ideo caret efficaci , quia resistit sufficienti , proindeque merito imputatur illi , quod ea careat , et quod ea absente non impleat mandatum, Causa vero cur resistat sufficienti , non alia quaerenda est, quam mala voluntas, ut jam dixi. Ex eo vero quod si adesset gratia per se efficax non resisteretur sufficienti, bene sequitur quod gratia efficax sit causa non resistentiae , seu consensus , at inde non sequitur quod absentia gratiae sit causa resistentiae , haec quippe aliunde habet suam causam , scilicet malam voluntatem , quae est primum deficiens juxta illud S. Augustini de corret. et grat. c. 11. *Liberum arbitrium ad malum sufficit , ad bonum autem nihil est , nisi adiuvetur ab omnipotenti bono .*

Pro solutione nonnullarum instantiarum, quae fieri solent contra praefatam doctrinam, in qua vertitur cardo difficultatis. Adverte quod quamvis haec duo sint simul tempore, et peccare hominem, et Deum ipsi gratiam denegare, hic tamen est ordo constitutus, ut nunquam Deus deneget gratiam, nisi quia homo non vult eam recipere, non quidem directe; nemo enim tam sibi inimicus est, ut velit directe gratia privari, sed indirecte, inquantum ponit actum incompossibilem cum gratia, et actu, ad quam moveret si adesset. Et hoc ideo, quia Deus non vult nisi bonum, quod autem homo careat gratia non est bonum simpliciter, sed quod ea careat, quia eam habere non vult, aut negligenter se ad eam praeparat, est bonum quia justum. Ita S. Thomas in 1. dist. 40. q. 4. a. 2. et eadem paucioribus verbis repetit q. 24. de verit. a. 14. ad 2. *Recte inquit, homo corripitur, qui praecepta non implet, quia ex ejus negligentia est, quod gratiam non habeat, per quam potest servare mandata.*

Urgebis: Juxta regulam dialecticae, Si affirmatio est causa affirmationis, etiam et negatio erit causa negationis. Ergo si gratia efficax sit causa consensus seu adimpletionis praecepti, subtractio gratiae est causa dissensus, seu non adimpletionis praecepti.

Ipsissimis objicientium terminis hoc idem Argumentum sibi S. Thom. proposuit loco jam citato in 1. d. 40. q. 4. a. 2. n. 3. ita ut crederes Adversarios ab ipso emendicasse. Sic autem respondet S. Doctor *ad.* 3. *dicendum, quod effectus non consequitur nisi concurrentibus omnibus causis: sed ex defectu unius consequitur negatio effectus. Dico ergo quod causa gratiae sicut agens est ipse Deus: et sicut recipiens est ipsa anima per modum subjecti, et materiae... Nec oportet quod omnis defectus incidat ex parte agentis, sed potest incidere ex parte recipientis; et ita est in proposito.* Sensus itaque solutionis D. Thomae est quod hae regulae dialectices valeant dumtaxat, quando ex utraque parte omnia principia eodem modo concurrunt, secus si alterum principium desit. In receptione autem gratiae omnia principia concurrunt, non in ejus negatione. Ut enim homo recipiat gratiam, necesse est duo concurrere, et Deum velle influere, et hominem velle recipere, quia infusio gratiae est bonum, et bonum producitur concurrentibus omnibus causis; ut autem homo gratia careat, sufficit unum deesse, nempe hominem nolle, quia cum privatio gratiae sit malum, ex unius causae defectu oritur. Ex quo consequitur Deum equidem causam esse, cur homo habeat gratiam, et bene agat, non tamen causam esse cur gratia privatur, et male agat; sicque hic non currere dictam regulam dialecticae.

§. IV *Solvuntur Objectiones ex affinitate cum Calvinismo. In quo sit situs error Lutheri, et Calvini circa praesentem materiam.*

Uterque Haeresiarcha contendit peccato Adae extinctum fuisse in homine liberum arbitrium. Sic Lutherus art. 36. inter damnatos a Leone X. *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo..... imo simpliciter dicere debui, est figmentum in rebus, seu titulus sine re.... non est dubium Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen, liberum arbitrium.* Et quamvis hunc errorem visus sit aliquando temperasse, semper tamen sustinuit, liberum arbitrium nihil agere, sed mere passive se habere, ut inanime quoddam.

Calvinus lib. 2. inst. cap. 1., cui praefigit hunc titulum: *hominem arbitrii libertate nunc esse spoliatum, et miserae servituti addictum,* dicit. *libero arbitrio pollebat homo in prima conditione creationis, quod lapsu suo amisit.* Hinc non agnoscit in homine aliam libertatem, quam a coactione, seu spontaneitatem. Inst. l. 2. c. 2. §. 7. docet hominis voluntatem nihil cooperari divinae

motioni assentiendo, non quod passive se habeat instar lapidis jacti, ut vult Lutherus, sed quia non est relictum ejus electioni assentiri, vel dissentire, sed necessario ipsam sequatur, sicut, inquit, jumentum sequitur non libere, sed spontanee sessoris ductum, quod ideo non dicitur sessori cooperari. ibid, cap. 3. Unde negat nullum esse meritum in homine, eo quod ipsi nihil cooperatur, nec facultatem habeat agendi, vel non agendi. Tandem infert totam legem esse homini impossibilem.

His omnibus Calvinus sibi praemunivit viam ad praecipuum dogma, in quo maxime delectatur, nempe Deum praedestinasse, et reprobasse homines, independenter ab eorum praevisis meritis, et demeritis, tam in executione, quam in intentione, et utramque tam praedestinationem, quam reprobationem, ita sortiri suum effectum, ut Praedestinatus ex tota aeternitate constituatur justus, nec umquam possit non esse justus, seu gratus Deo. Qui vero e contra est reprobatus, ita semper odio habeatur, ut neque per Sacramenta, utpote quae nullam vim habent, neque per quaecumque opera, gratiam, aut fidem umquam recipiat. Et tandem utramque tam praedestinationem, quam reprobationem, esse ita efficacem ut hominem sive ad bonum, sive ad malum necessitet.

Ut autem haec facilius percipiantur, pauca hic inseram opportune de causa totali, et partiali. Causa totalis, et adaequata potest dici dupliciter 1. Si sola, et sine alterius consortio producat; sic Deus est causa totalis eorum, quae producit per creationem. 2. Potest dici causa totalis, et adaequata non per exclusionem alterius causae, sed in suo ordine, quatenus in ea nihil perfectionis, et virtutis deest ad rationem causae talis effectus, licet ad ejusdem effectus productionem non excludat consortium alterius causae diversi ordinis. Sic idem homo producitur a parentibus, ab astris, et a Deo; a parentibus ut a causa totali particulari hujus hominis, ab astris ut a causa totali universali omnium corporum sublunariũ, a Deo ut causa totali universali totius entis. Sic eadem scissio efficitur ab artifice, et ab instrumento, ut a duabus causis totalibus subordinatis.

Utroque autem modo Deus est causa totalis in negotio salutis; quia duo distinguunt Thomistae in voluntate, nempe ejus applicationem ad actum, et ipsum actum, quem ex propria, et innata virtute elicit; movetur enim, et applicatur ut agat, non ut nihil agat, ut dicit August. Deus igitur est causa totalis applicationis ad actum, totalitate excludente consortium alterius, causae, quia ipse solus ut prima causa, et primum movens voluntatem ab indifferentia sua potentiali, et suspensiva per virtutem transeuntem extrahit, et movet ad actum. Hujus autem actus, ad quem Deus movet voluntatem, est etiam ipse causa totalis; non quidem totalitate excludente alterius causae consortium, sed totalitate perfectionis, et virtutis, ita ut Deus, et homo respectu ejusdem actus sint duae causae totales in suo ordine. Nihil enim deest Deo ad rationem causae primae, et principalis, nec homini ut sit causa secunda primae, et principali subordinata; neque concursum simultaneum exigit ex insufficientia, seu quod illi desit aliquid ad rationem causae secundae sed ex dependentia causae inferioris ad causam superiorem. Sic artifex est causa totalis primo modo applicationis securis ad scindendum, ipsius autem scissionis et ipse artifex, et securis sunt causae totales secundo modo.

Ex his plusquam evidens est, majorem non intercedere affinitatem inter doctrinam Thomisticam, et Calvinianam, quam inter contradictoria. Etenim Calvinus negat in homine lapso liberum arbitrium, hoc est libertatem indifferentiae, qua possit se flectere in utramque partem, et vult solum in eo remanere libertatem a coactione tantum, seu meram spontaneitatem: Thomistae dicunt in homine lapso remanere liberum arbitrium, seu libertatem indifferentiae, qua se flectere possit in utramque partem, et esse liberum non solum a coactione, sed etiam a ne-

cessitate ; agnoscunt tamen cum Ecclesia liberum arbitrium per peccatum originale fuisse attenuatum. Calvinus negat hominem cooperari motioni divinae : Thomistae affirmant : Calvinus negat voluntatem posse dissentire gratiae , Thomistae affirmant. Et haec tria Calvini asserta Concilium damnavit. At de hoc iterum in Tract. *de Actibus humanis*, in quo etiam explicantur supradictae species libertatis .

Itaque in eo situs est error istorum Haeresiarcharum a Trid. damnatus , quod dicerent gratiam efficacem ita esse causam totalem, et adaequatam actus salutiferi , ut voluntas humana nullatenus ad illum libere concurreret , sed vel se haberet passive secundum Lutherum , vel necessario, et pure spontanee secundum Calvinum, sicut equus sub sessore absque indifferentia, et potentia ad oppositum, ut patet ex dictis. Thomistae vero docent, gratiam a se efficacem sic esse causam totalem actus salutiferi , ut tamen voluntas humana ad eum concurrat non necessario, aut pure spontanee , sed libere , et cum potentia ad oppositum , non quidem ut causa partialis , sed ut causa totalis in suo ordine , hoc est ut causa secunda particularis Deo , ut causae primae et universali , subordinata ; sicut eadem scissio ligni est totaliter ab artifice , et totaliter a securi tamquam a duabus causis totalibus subordinatis . *Non sic idem effectus* . inquit S. Tho. 3. cont. Gent. cap. 70. in fine, *causae naturali , et divinae virtutis attribuitur quasi partim a Deo , et partim a naturali agente fiat ; sed totus ab utroque secundum alium modum . sicut idem effectus totus attribuitur instrumento , et principali agenti etiam totus* .

Hunc utrumque modum causae totalis in Deo eleganter exponit Aug. *Deus est* inquit lib. de grat., et lib. arb. c. 17. *qui praeparat voluntatem, et cooperando perficit , quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus , operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens .... Ut ergo velimus , sine nobis operatur ; cum autem volumus , et sic volumus ut faciamus , nobiscum cooperatur.* Idem habet c. 16., Et c. 5. in haec verba Apostoli : *Non ego sed gratia Dei mecum* . primum indicat actum . qui est a gratia, et libero arbitrio, dum dicit : *Nec gratia Dei sola, nec ipse solus , sed gratia Dei cum illo* : deinde applicationem ad actum , quae est a gratia Dei sola , his verbis : *Ut autem de coelo vocaretur, et tam magna et efficacissima vocatione converteretur gratia Dei erat sola.* Unde quamvis verum sit, quod Deus solus sit causa , cur homo applicetur ad se convertendum, seu se convertat per liberum arbitrium, male tamen inde inferres, quod sit etiam solus causa hujus conversionis ; hanc enim voluntas creata operatur cum Deo , ut causa secunda totalis ex propria , et innata virtute cum plena libertate indifferentiae , et potentia expedita ad oppositum : quia motio divina non est solum ad substantiam actus , sed et ad ejus modum, seu libertatem , ut jam saepe diximus. Id autem , aut quid simile numquam dixerunt, seu dicere potuerunt Lutherus , et Calvinus , juxta quos liberum arbitrium est penitus extinctum in homine lapso , et respectu gratiae se habet vel passive , ut dicit Lutherus vel pure spontanee , ut dicit Calvinus .

Objiciunt itaque contra nostram Doctrinam . Calvinus non admittit in homine sub decreto , seu motione gratiae aliam necessitatem quam Thomistae. Ergo. Prob. Ant. Thomistae admittunt sub decreto , et motione gratiae necessitatem consequentiae, non consequentis , necessitatem conditionatam , hypoteticam, secundum quid, non absolutam : Atqui similiter Calvinus admittit tantum sub decreto, et motione necessitatem consequentiae, et non consequentem . Ergo .

Resp. N. Ant. ad prob. Dist. Min. Calvinus admittit tantum sub decreto , et motione necessitatem consequentiae eodem sensu , quo illam admittunt Thomistae, et alii Doctores Catholici. Nego. Longe diverso sensu . Conc. Min. Intellexit quippe Calvinus necessitatem consequentis , qua res aliqua suapte natura ita exigit es-

se, ut ossa Christi esse fragilia ; necessitatem consequentiae, quae ex natura sua non est talis, sed ex suppositione decreti, vel motionis, ita tamen, quod non compatiatur libertatem indifferentiae, sed dumtaxat libertatem a coactione, seu meram spontaneitatem. Unde Calvinus numquam adhibuit hanc distinctionem, ut conciliaret cum efficacia Divini Decreti, seu gratiae libertatem humanam, quam contendit nullam esse in homine lapso, sed ipsam necessario trahi vel a concupiscentia, vel a gratia, sed eam adhibuit dumtaxat ut conciliaret contingentiam rerum cum efficacia providentiae : quatenus actus hominis lapsi ex essentia sua non est necessarius, sed tantum ex suppositione concupiscentiae, vel motionis divinae ; atque hoc sensu, et sub hoc sensu, et sub hoc respectu est necessarius, non necessitate consequentis, sed consequentiae, seu ex suppositione, veruntamen sub hac vel concupiscentia, vel motione fit ab homine necessario necessitate consequentis, quia non est in ejus potestate ut non fiat : Concilium enim Trid. censuit Calvinum docere liberum arbitrium, ut subest motioni divinae, non posse dissentire, quod nos cum Concilio damnamus, asserentes liberum arbitrium sub motione efficaci retinere potentiam dissentiendi, sicuti retinere docent Molinistae sub gratia congrua.

Articulus III.

Quomodo Dei decretum, et motio se habent ad malum.

Malum est triplex, scilicet naturae, culpae et poenae. Malum naturae est privatio boni naturalis ; malum culpae est privatio rectitudinis moralis ; malum poenae est privatio alicujus boni propter culpam.

Dico 1. Nullum (1. *p. q.* 19. *a* 9. o.) malum, qua tale, sive naturae, sive culpae, sive poenae, est a Deo volitum aut causatum directe et per se. Quia cum ratio boni sit ratio appetibilis, malum autem opponatur bono, impossibile est, quod aliquod malum, in quantum hujusmodi, appetatur.

Dico 2. Malum tam naturae, quam poenae, vult, et causat Deus indirecte et per accidens, ratione scilicet boni, ad quod consequitur, unde potest dici illius auctor. Malum vero culpae nullatenus vult, aut causat etiam per accidens, sed tantum permittit. Unde nullo sensu potest dici illius auctor.

Ratio est, quia in tantum aliquis potest velle, et causare malum per accidens et indirecte, in quantum magis appetit bonum, ad quod consequitur malum, quam bonum, cujus malum est privatio, quia, ut dictum est, malum, qua malum appeti non potest ; sicut Leo dicitur appetere malum, et occisionem cervi, quia magis diligit propriae vitae conservationem, quam cervi, ex quo appetitu operatur ad occisionem cervi. Numquam igitur appeteretur malum etiam per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, cujus malum est privatio. Nullum autem bonum Deus magis vult, quam suam bonitatem ; vult tamen aliquod bonum magis quam aliud quoddam bonum ; unde malum culpae, quod est privatio ordinis ad bonum, Deus nullo modo vult ; sed malum naturalis defectus vel malum poenae vult, volendo aliquod bonum cui conjungitur tale malum, sicut volendo justitiam vult poenam, et volendo ordinem naturae servari, vult quaedam naturaliter corrumpi.

Secundam partem majori otio expendam in 1. 2., ubi de causis peccatorum adversus impium Lutheri, et Calvini dogma. Interim summatim addo ad rationem S. Th. malum culpae est defectus, et a principio defectivo procedit ; Deus autem nec est, nec esse potest principium defectivum, utpote actus perfectissimus : Item id non potest a Deo effici, quod non potest in ipsum, ut in ultimum finem reduci ; omnia enim propter semetipsum fecit Dominus, et primum

principium et ultimus finis sibi correspondent ; peccatum autem , cum sit aversio a Deo , nullatenus est in ipsum , ut ultimum finem , reducibile . Ex quibus sequitur, peccatum non contineri intra objectum divinae omnipotentiae. Hanc Fidei veritatem passim inculcat Scriptura Ps. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es* . Et alibi saepe . Sententiam oppositam ut blasphemam execrantur SS. Patres . Hinc illud solemne S. Fulgentii l. 1. ad Monimum c. 19. *Illius rei Deus non est auctor , cujus est ultor* , eamque anathemate ferit Conc. Trid. sess. 6. can. 6.

Verum quia in peccato , quod est concretum accidentale , duo sunt actus, et defectus , entitas et deformitas , seu malitia , neque Deus sit causa malitiae , ut mox dictum est ; quaestio nunc est , quomodo se habeat ad actum . Actus dicitur interdum *materiale* peccati : potest autem istud *materiale* sumi duplicitur , vel *materialiter* pro ipsa entitate physica praecise , vel *formaliter* pro ipsa entitate ut substrata deformitati; quando ergo Theologi dicunt *materiale* peccati causari a Deo , intelligunt *materiale materialiter* , non *formaliter* . Quod demonstrabitur in solutione objectionis sequentis .

Obj. 1. ille merito censetur auctor, et causa peccati , qui concursu praevio per se efficaci et infallibili movet, et determinat ad actum peccati , atqui Deus , juxta Thomistas , concursu praevio per se efficaci et infallibili movet, et determinat ad actum peccati . ergo .

R. 1. Hanc difficultatem non esse nobis propriam , sed esse etiam solvendam ab adversariis, qui tenent Deum concurrere concursu simultaneo ad actum peccati . Vel enim concursus ille simultaneus ad entitatem peccati praescindit a malitia, vel non : si praescindat , pari jure id dicimus de concursu praevio , imo potiori jure; cum concursus praevius mediate tantum attingat actum peccati , mediante scilicet voluntate ; concursus autem simultaneus , ut pote identificatus cum actione creaturae illum immediate attingat. Si non praescindat, ergo Deus erit cooperator malitiae , seu peccati formaliter , quod non videtur multo minus impium , et blasphemum , quam ipsum dicere auctorem malitiae .

R. 2. D. maj. Ille merito censetur etc. si non praescindat a malitia , C. si praescindat a malitia , N. ad cujus sensum distincta min. N. conseq. Deus itaque quantumvis physice praemoveat ad actum peccati , non tamen attingit malitiam : sed ab ea praescindit , quia praemovet ad actum peccati motione generali in ordine physico , ut primum principium efficiens , ideoque attingit solum in eo , quod est effectus, et entitatis physicae , malitia autem non est aliquod ens , nec pertinet ad ordinem physicum , sed est defectus , privatio , imo merum nihil , consequenter non oritur a principio efficiente physice , sed a deficiente moraliter , quod est creata voluntas, quatenus est ex nihilo . Id variis exemplis illustratur : sic anima movens, et praemovens tibiam curvam , est causa totius motus , non tamen est causa defectus claudicationis, qui in solum defectum, seu curvitatem tibiae refunditur .

Et haec est constans et perpetua doctrina S. Thom. q. 3. de malo a 2 in 2. d. 37. q. 2. a 2., et 1. 2. q. 79. a 2. In hoc loco S. Th. quaerit utrum actus peccati sit a Deo , et dicit : *Respondeo dicendum , quod actus peccati et est ens, et est actus , et ex utroque habet , quod sit a Deo : omne enim quocumque modo sit , oportet , quod derivetur a primo ente : omnis autem actio causatur ab aliquo existente in actu , quia nihil agit nisi secundum quod est actu : omne autem ens actu reducitur in primum actum , scilicet Deum sicut in causam , qui est per suam essentiam actus . Unde relinquitur , quod Deus sit causa omnis actionis , in quantum est actio , sed peccatum nominat ens, et actionem cum quodam defectu; defectus autem ille est ex causa creata scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis , scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in causam , sed in li-*

berum arbitrium, sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motus in claudicatione: et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non est tamen causa peccati, quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu; et alibi. Hinc Aug. lib. 12. de Civit. cap. 7. *Nemo*, inquit, *quaerat efficientem causam male voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio.*

Ex his igitur habemus, quod modo dicebam, Deum ut primum, et universale principium totius entis et boni movere voluntatem creatam ad actum, qui est ens, et bonum, sed quia voluntas ex se ipsa est in dispositione indebita, et deviat ab ordine primi moventis, detorquet ejus motionem, unde sequitur actio inordinata; sicque Deus ut principium efficiens in ordine physico est prior in bonis, et voluntas creata ut principium deficiens in ordine morali est prior in malis, ita ut non male quidam ex nostris observaverint, quod licet decretum, quo Deus ab aeterno statuit ad actus peccaminosos, tam Angelorum, quam hominum concurrere, et motio, qua in tempore eos ad id movet, aliquo vero sensu vocentur *Praedefinitio*, et *Praedeterminatio*, quia praedefinit entitatem actus, et ad eam praemovet, attamen alio sensu possint vocari *Postdefinitio*, et *Postdeterminatio*, quia Deus ab aeterno non praedefinit entitatem actus, cui conjungitur malitia, nec ad eam in tempore praemovet, nisi quia voluntas creata prius deviat ab ordine primi agentis, et est in dispositione indebita ad recipiendam divinam motionem, ex qua sequitur actio inordinata, quae alioquin fuisset bona, et ordinata.

Si quaeras, quae sit ista indebita dispositio, qua fit, ut voluntas non recipiat divinam motionem ad actum perfectum, sed imperfectum. (in 2. d. 37. q. 2. a. 1. ad. 2.) R. Generaliter loquendo esse defectibilitatem voluntatis creatae, quatenus est ex nihilo. Hoc autem habet ex se, et non a Deo. Nam quamvis Deus faciat voluntatem ex nihilo, hoc tamen, quod est esse ex nihilo, non habet ab alio, sed a se, unde secundum hoc non habet aliam causam, Et ideo defectus, qui sequitur ex ea, secundum quod ex nihilo est, non oportet, quod in ulteriorem causam reducatur. Haec autem defectibilitas augetur in natura lapsa ex ipsa corruptione naturae, et varie se exerit prout in varia rerum serie constituitur, concurrentibus ad id tum suggestionibus daemonum, tum externis objectis, tum internis passionibus, cogitationibus, et affectibus.

Sed posset Deus hanc indebitam dispositionem corrigere, et debitam conferre, sicut facit in iis, quos specialiter movet ad bonum determinate per gratiam. Posset sane: sed non tenetur, nec convenit secundum leges communes suae Providentiae generalis, secundum quas debet permittere quaedam mala, ne plura et potiora bona impediantur.

Inst. 1. Sunt quidam actus essentialiter, et secundum speciem mali, ut odium Dei, blasphemia; atqui quod est causa alicujus, est causa ejus, quòd convenit illi secundum rationem suae speciei, sicut si aliquis sit causa *Socratis*, sequitur, quod sit causa hominis: ergo.

R. 1. Hanc instantiam pariter militare contra concursum simultaneum ad actum peccati,

R. 2. S. Thomam hoc argumentum sibi objicere q. 3. de malo a. 2. cui sic respondet. *Ad secundum dicendum, quod deformitas peccati non consequitur speciem actus, secundum quod est in genere naturae, sic autem a Deo causatur; sed consequitur speciem actus secundum quod est moralis, prout causatur ex libero arbitrio.* Idem docet 1, 2. q, 79. a. 2. ad 3. unde quamvis haec praedicatio, blasphemia est peccatum, sit essentialis, haec tamen, hic actus (demonstrato actu blasphemiae) est peccatum, non est essentialis, sed accidentalis,

quia actui humano, secundum quod est actus, accidit, quod sit peccatum; sicut licet coecitas sit essentialiter privatio, accidit tamen oculo, quod sit coecus.

Obj. 2. Durum videtur, et a divina bonitate, atque justitia alienum, quod hominem in aequilibrio positum ad bonam vel malam actionem, ab aeterno definiat, et in tempore praemoveat ad malam potius, quam ad bonam, sicque peccantem puniat in aeternum: ergo.

R. 1. Retorquendo argumentum in Congruistas. Durum videtur, et a bonitate divina alienum, quod hominem sive lapsum, sive integrum constituat in iis circumstantiis, in quibus praevidet ipsum certo peccaturum, et non in iis, ut ipsi liberum est, in quibus certo praevidet bene acturum, sicque peccantem puniat in aeternum.

Neque dicant hominem in circumstantiis incongruis constitutum, se libere determinare ad malam actionem; hoc enim et nos dicimus de homine sub Dei praemotione, quia non est tantum ad substantiam, sed etiam ad modum actus, sed id jam non quaeritur: quaestio est dumtaxat, cur Deus decernat ab aeterno me constituere, et in tempore me constituat in iis circumstantiis, in quibus certo praevidit me peccaturum, quovis modo peccem, et non in iis, in quibus certo praevidit me non peccaturum, cum alterutrum aequo jure posset? Hic haerent aquae, nec video, quo Congruistae in sua sententia confugere possint, nisi ad inscrutabilia Dei judicia.

R. 2. N. Suppositum Antecedentis, numquam enim dixerunt, nec somniarunt Thomistae Deum, hominem in aequilibrio positum ad bonam, vel malam actionem, movere ad malam potius, quam ad bonam; quin e contra constanter dixerunt, et dicunt oriri ex creatura, quod potius determinetur ad actionem, cui juncta est malitia, quam ad oppositam, nec Deum umquam determinare ad *materiale* peccati, nisi creatura se prius quodammodo determinaverit ad *formale*; quia Deus ut provisor universalis, movet unumquemque secundum ejus exigentiam, et dispositionem, consequenter non movet ad actionem malam, nisi voluntatem ex se male dispositam, et sic moveri exigentem; ita ut indebita voluntatis dispositio objective determinet Deum ad movendum ad actum malum. Confer, quae dixi supra.

Pro coronide hic notari velim, quod jam ante me quidam observarunt, doctrinam gratiae per se efficacis ad actus supernaturales ab hac sententia de praedeterminatione ad materiale peccati non dependere, ita ut si haec foret minus vera, staret nihilominus dogma gratiae per se efficacis, utpote aliis, et firmioribus principiis nixum. Sunt namque Theologi, qui gratiam infallibiliter efficacem, hoc est a divina voluntate, et non a consensu voluntatis humanae, aut directione scientiae mediae propugnant per delectationem, aut motionem moralem, ut Augustiniani, et alii. Sunt qui illam defendunt per praedeterminationem physicam, quam tamen non extendunt ad actus naturales, nec ad materiale peccati. Hae ergo duae quaestiones, an gratia per se efficax in ordine salutis debeat explicari per praedeterminationem physicam, an haec praedeterminatio debeat extendi ad actus naturales, et ad materiale peccati, sunt mere philosophicae, et incidentes ad dogma capitale gratiae per se efficacis. Nos equidem utramque defendimus tamquam probabiliorem secundum principia rationis, et gratiam per se efficacem, hoc est gratiam infallibiliter efficacem ex omnipotentissima Dei voluntate, independenter a consensu creaturae, et scientia media, propugnamus tamquam dogma Theologicum cum principiis Fidei connexum et ita nobiscum omnes ferme Scholae, exceptis Defensoribus scientiae mediae.

Articulus IV.

De Affectibus, et Virtutibus Divinae voluntatis.

Petes 1. Utrum amor sit proprie in Deo?

R. affirmative (1. p. q. 20. a. 1. o.) Tum quia amor est primus motus voluntatis; esse autem in Deo voluntatem probatum est: tum quia, cum amor nihil sit aliud, quam inclinatio in bonum, seu boni complacentia, nullam involvit imperfectionem: tum tandem quia amare est velle bonum, quod est maxime proprium Deo, a quo bona cuncta procedunt.

Petes 2. Utrum gaudium, et delectatio sit proprie in Deo?

Resp. Affirm. Quia in hoc solum distinguitur ab amore, quod amor sit de bono absolute abstrahendo ab hoc, quod sit habitum, vel non; delectatio vero, et gaudium sit de bono habito; Unde definitur, quies in bono possesso, quod nullam importat imperfectionem, et est maxime proprium Deo, qui se possidendo, boni plenitudinem possidet. Quamvis autem frequenter gaudium, et delectatio pro eodem accipiantur, proprie tamen delectatio est de bono nobis intrinsece conjuncto; gaudium autem potest esse etiam de bono exteriori. Deus itaque delectatur in possessione propriae bonitatis, gaudet autem de sua bonitate nobis communicata.

Zelus etiam est proprie in Deo, quia de se nihil aliud est, quam amor intensus, fortiter repellens omne, quod est sibi contrarium, quod maxime Deo convenit. Quod autem in nobis zelus saepe sordescat aliqua imperfectione, accidit quod saepe oriatur ex invidia, malis suspicionibus, aut aliquo simili defectu.

Petes 3. Utrum odium sit in Deo?

R. Probabile est odium abominationis, quo quidpiam detestamur tamquam malum, esse proprie in Deo. Peccatum enim vere ei displicet, et illud tamquam simpliciter malum detestatur (2. 2. q. 25. a. 6. ad 2. et ad 3.) Odium vero inimicitiae, quo volumus alicui malum ut ipsi malum, non est proprie in Deo, sed metaphorice tantum; quia Deus peccatori non vult malum, ut ipsi malum, sed ut justum. Nam Deus puniens non laetatur in perditione impiorum, ut dicitur Sap. 1., sed in sua justitia, quia justus Dominus, et justitias dilexit. Sicut justus judex capite plectens homicidam, id non facit ex odio in ipsum, sed ex ordinato amore, quo magis diligit bonum publicum, quam privatum hujus homicidae.

Petes 4. Utrum spes, et desiderium sint proprie in Deo?

Resp. Negative. Quia spes respicit bonum futurum, arduum, et difficile acquisitu, quale non potest esse respectu Dei. Desiderium vero est de bono absente, quod desiderans non habet neque formaliter, neque eminenter, neque actu, vel virtute, seu de bono, quod habere non est in ejus potestate. Neque timor, neque tristitia, neque poenitentia, neque ira sunt proprie in Deo. Non timor, quia respicit malum, quod imminet, neque tristitia, quae affligitur de malo praesente, neutrum enim Deo competit: non poenitentia, quia est retractatio prioris propositi, non satis prudenter facti, quod importat defectum; non tandem ira, quia est appetitus vindictae ex tristitia offensae illatae. Quando igitur in Scripturis dicitur Deum poenitere, vel irasci, intelligitur de poenitentia, et ira metaphorice sumpta pro effectu.

Petes 5. Utrum Deus amet omnia,

R. Deus (1. p. q. 20. a. 2. 3. 4.) amat omnia existentia et futura, non aequaliter ex parte boni voliti, sed magis meliora. Ratio. 1. partis est, quia amare, est velle alicui bonum; atqui rebus omnibus existentibus, et futuris Deus

vult bonum, nempe esse, quod vel habent, vel habiturae sunt: imo id in eis per ejus amorem efficitur. Hoc est enim discrimen inter amorem Dei, et nostrum, quod cum voluntas Dei sit causa omnium rerum, ut dictum est, amor ejus non solum est affectivus, sed etiam effectivus, infundens, et creans bonitatem in rebus. At vero voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab objecto: unde amor noster, quo bonum volumus alicui, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas ejus, vel vera, vel apparens provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari, quod habet, et addi quod non habet, et ad hoc operamur. Ratio 2. partis est, quod cum amare sit velle bonum alicui, duplici ratione possit aliquid magis, vel minus amari: uno modo ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis vel minus intensus, et sic Deus non magis quaedam aliis amat, quia omnia amat uno, et simplici actu voluntatis, et semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato, et sic dicimus aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum, quamvis non magis intensa voluntate, et hoc modo necesse est dicere, quod Deus quaedam aliis magis amat. Cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, ut dictum est, non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni majus bonum, quam alteri. Unde cum dicitur Sap. 6. quod *aequaliter Deo sit cura de omnibus*, non est sensus, quod aequalia bona omnibus dispenset, sed quod aequali sapientia, et bonitate omnia administret.

Et haec dicit tertia pars, si enim Deum magis aliquid diligere, nihil aliud it, quam magis bonum velle, et conferre, palam est, quod meliora magis diligat

Si petas quo amore Deus diligat Creaturas? R. quod amet creaturas rationales amore amicitiae, irrationales amore concupiscentiae. Ratio est quia amicitia non potest haberi, nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem, et communicationem in operibus vitae, et quibus contingit bene evenire, vel male secundum fortunam, et felicitatem, sicut et ad eas proprie benevolentia est. Creaturae autem irrationales non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis, et beatae vitae, qua Deus vivit. Sic igitur Deus, proprie loquendo, non amat creaturas irrationales amore amicitiae, sed amore concupiscentiae, inquantum ordinat eas ad rationales creaturas, et etiam ad seipsum, non quasi eis indigens, sed propter suam bonitatem, et nostram utilitatem; concupiscimus enim aliquid, et nobis, et aliis.

Petes 6. Quaenam virtutes sint formaliter in Deo?

Ante responsionem nota illas tantum virtutes tribuendas esse Deo, quae nullam in sua ratione formali involvunt imperfectionem, removendas vero, quae aliquam involvunt imperfectionem. Ex quo principio jam habes virtutes, quae respiciunt alterum, ut superiorem, aut aequalem, quales sunt religio, pietas, observantia: item virtutes, quae versantur circa passiones moderandas, non esse proprie, et formaliter in Deo: Solum est difficultas de justitia, et de misericordia: Quantum enim ad prudentiam, haec non est virtus voluntatis, sed intellectus practici; eam esse tamen formaliter in Deo extra dubium est, cum in Deo sit summa rectitudo intellectus in ordine ad voluntatem, in quo consistit ratio prudentiae.

Justitia secundum se nihil aliud est, quam voluntas tribuendi cuique quod suum est, cum ergo Deus sit ipse summa lex, principium, et ratio totius ordinis, et bonitatis, non potest non esse in eo voluntas omnia debite, et ordinate disponendi. Difficultas est igitur, quae species justitiae ipsi conveniat. Quantum ad justitiam generalem, convenit inter Theologos eam esse formaliter in Deo, et superiori modo, quam in quovis Principe, cum ipse sit Rex Regum, et Dominus Dominantium, curam habens de omnibus, bono communi providens, et quidquid ipsi debetur reddens. Restat ergo difficultas de Justitia distributiva, et commutativa. Pro quo, ad quaestionem.

Resp. 1. Justitia commutativa, non est proprie, et formaliter in Deo.

Probatur: Jus, seu obligatio justitiae commutativae nascitur in uno ex communicatione, quam alter illi facit dando de suo, et non de re alterius. Atqui homo nihil potest dare Deo, quod non sit ipsius Dei, et sub ejus dominio. etiam ipsa libera actio et communicatio. Unde Apost. ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Et Aug. serm. 16. de verbis Apos. c. 2. *Quid dedimus Deo, quando totum, quod sumus et quod habemus boni, ab illo habemus?* Ergo, Quae vero possunt opponi ex Scriptura intelliguntur de justitia distributiva, ut modo dicam, vel etiam aliquando de justitia legali; imo de fidelitate, et veracitate, quae sunt partes potentiales justitiae.

Dices; Qui obligatur ex pacto, seu promissione onerosa, obligatur ex justitia commutativa: Atqui Deus obligatur nobis ex pacto oneroso; promittit enim mercedem pro bonis operibus. Ergo.

Resp. Dist. Maj. Si id quod præstat, seu dat promissarius, non sit promittentis, C. si sit promittentis. Nego Maj. Ex eo enim quod das mihi. quod jam meum est, nullum erga te debitum contraho; et si promittam reddere aliquid pro tali dato, erit tantum obligatio fidelitatis, et non justitiæ commutativae. Quidquid autem Deo damus sive honoris, sive obsequii, mille titulis ipsi debetur, et absolute ipsius est, *in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Fatemur tamen cum D. Thoma in praemiis, et poenis judicio divino distribuendis, servari modum justitiae commutativae; quia rependetur tantum pro tanto; at non inde sequitur servari justitiam commutativam, quae ultra hanc aequalitatem requirit debitum ortum ex actione. seu dato alterius, quod non sit ipsiusmet distribuentis, quod hic non reperitur.

Resp. 2, Justitia distributiva est formaliter in Deo.

Probatur. Justitia distributiva est, qua superior dat inferioribus unicuique secundum suam dignitatem, et meritum. Atqui id dicit simpliciter perfectionem, et maxime decet Deum, qui cum sit supremus rerum omnium Dominus, et mundi gubernator, omnia dispensat, et ordinat secundum cujusque modum, et exigentiam, tam in rebus naturalibus, quam in voluntariis. Et ad hanc plerumque referuntur Scripturae, quae adstruunt justitiam in Deo, ut illud 2. Tim. c. 4. *Superest mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Dices. Justitia distributiva importat debitum: Atqui Deus nulli debet: Ergo

Resp. Dist. Mai. Importat debitum in rebus, circa quas exercetur, C. In ipso distribuente semper Nego Maj. Quando enim distributor bona propria distribuit, nihil debet aliis ratione alicujus ab eis dati, aut juris, quod habeant in illum, sed ex sola sua voluntate, et promissione ordinante hoc propter hoc, hoc praemium propter hoc opus; et si hoc praemium debetur quidem huic operi, non jure aliquo operantis, sed ex ordinatione propria distribuentis; consequenter non operanti, sed sibi ipsi est debitor.

Resp 3. Misericordia est proprie in Deo.

Probatur. Misericordia formaliter et ex parte objecti considerata, nihil est aliud, quam virtus inclinans voluntatem ad sublevandam miseriam alienam, quod nullam involvit imperfectionem, quinimo magnam perfectionem, et Deo maxime convenientem. Miseria enim, intelligendo per miseriam quemcumque defectum, non tollitur nisi per alicujus bonitatis perfectionem; prima autem origo totius bonitatis est Deus, qui est ipsa bonitas per essentiam. Unde dicitur ex se, id est ex intima bonitate misericors, et ex nobis justus, quia justitia in eo oritur ex demeritis nostris, quae sunt ipsi extranea.

Neque Deus agendo misericorditer nobiscum facit contra justitiam, sed supra. Sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos det de suo, non facit contra justitiam, sed liberaliter, et misericorditer agit. Et similiter si aliquis offensam in se commissam remittit: qui enim aliquid remittit, quodammodo donat illud:

unde Apost. remissionem, donationem vocat ad Ephes. 4. *Donate invicem, sicut et Christus vobis donavit*. Ex quo patet, quod misericordia non tollit justitiam, sed est quaedam justitiae plenitudo. Unde dicitur Jacob. 2. quod *Misericordia superexaltat judicium*.

DISSERTATIO IX.

DE PROVIDENTIA, PRAEDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

D. Thom. 1. p. Q. 22. et 23.

Consideratis iis, quae ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea, quae respiciunt simul intellectum, et voluntatem. Hujusmodi est autem providentia quidem respectu omnium; praèdestinatio vero, et reprobatio, et quae ad haec consequuntur, respectu hominis specialiter in ordine ad salutem aeternam.

Articulus I.

De Providentia.

Petes 1. Quid sit Providentia?

R. Providere, si nominis Etymologiam attendamus, est quasi procul videre, et sic idem est ac praescire: si vero rem significatam per nomen spectemus, providere est, ea quae sunt facienda, mente ordinare in suos fines. Unde Providentia divina recte definitur: *Ratio ordinis rerum in finem in mente divina existens.* Hujus autem ordinis executio, dicitur gubernatio. Hinc.

Colliges. Providentiam esse formaliter actum intellectus, supponentem tamen actum voluntatis; quia, ut dictum est, Providentia est ratio ordinis rerum in finem; ratio autem, et ordo pertinent ad intellectum, cujus est dirigere et disponere, idque indicat τὸ *Providere*; videre enim est proprium intellectus. Supponit tamen actum, voluntatis, quia, cum sit ratio ordinis rerum in finem, supponit intentionem finis vi cujus mandat executionem mediorum. Concurrunt itaque ad Providentiam divinam actus virtualiter plures, sicut ad humanam concurrunt actus realiter plures. 1. Voluntas divina intendit tamquam finem manifestare gloriam suam ad extra. 2. Intellectus ad hunc finem judicat, et proponit media aptissima, scilicet quadruplicem ordinem naturae, gratiae, gloriae, et unionis hypostaticae. 3. Voluntas, haec media sibi proposita acceptat, et eligit: demum vi efficacis hujus intentionis, et electionis, intellectus imperat horum mediorum executionem in tempore exercendam, et in hoc imperio efficaci reponimus Providentiam.

Nec ponimus in Deo imperium, quia est difficultas in executione mediorum; sed quia medium eligibile, et medium exequibile sunt objecta diversae rationis. Primum pertinet ad ordinem intentionis; secundum ad ordinem executionis, et numquam medium electum mandaretur executioni, si non accederet imperium; quapropter specificant in Deo plures actus non realiter, sed virtualiter distinctos.

Partes 2. Utrum sit in Deo Providentia?

Ante resp. Nota quosdam ex antiquis in toto, quosdam in parte providentiam negasse. Qui dixerunt omnia fato, aut fortuna regi, totaliter Deo Providentiam denegabant. Ita Democritus, et Epicurus, qui posuerunt mundum casu factum. Alii posuerunt incorruptibilia tantum Providentiae subjacere, corruptibilia vero non secundum individua, sed secundum species tantum.

Resp. In Deo est perfectissima Providentia.

Probatur. auctorit. Sap. 14. dicitur: *Tua autem, Pater, Providentia guber-*

nat. Et Cap. 8. *Attingit a fine, usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

Prob. ratione: Providentia est ratio ordinis rerum in finem. Atqui haec ratio ordinis rerum in finem in Deo existit: ergo. Major est definitio Providentiae. Prob. min. Omne, quod est causatum a Deo, praexistit in mente divina; cum enim Deus sit agens intellectuale perfectissimum, oportet cujuslibet sui effectus rationem in eo praeexistere, nisi velis agens intellectuale perfectissimum coeco modo, et sine ratione agere: atqui ordo rerum in finem est quid causatum a Deo: ergo. Prob. min. Omne bonum est causatum a Deo: atqui in rebus est bonum non tantum quod sint, sed etiam quod ordinatae sint, tum inter se, tum ad suos fines: ergo. Unde negare Deum esse providentem, est negare ipsum intelligentem, sicque negare esse Deum; unde omnia, quae probant esse Deum, probant esse in eo Providentiam.

Petes 3. Utrum Providentia divina ad omnia se extendat. ?

R. Providentia divina se extendit ad omnia etiam minima et vilissima, ita ut nihil sit fortuitum respectu Dei,

Prob. 1. ex Script. cit. *Attingit a fine*, etc. ut supra. Matth. 6. et 10. et Luc. 12. Christus docet et volatilia coeli, et hortorum lilia, et foenum agri, et capillos capitis omnino subjici suae Providentiae, ita ut ne unum eorum cadat absque voluntate Patris. Et de actibus nostris liberis, Eccl. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere: Omnes viae ejus secundum dispositionem ejus: Sic homo in manu illius, qui se fecit.* Item casus, qui mere fortuiti nobis videntur, divinae Providentiae Scriptura adscribit. Sic Exod. 21. occisio hominis ab eo, qui illam non intendebat, tribuitur Deo. Prov. 16. *Sortes*, quibus nihil est magis fortuitum, *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

Prob. ratione. Cum omne agens praesertim intellectuale, et prudens, quale est Deus, agat propter finem, eo usque extenditur ejus Providentia, quae est ratio ordinis rerum in finem, quousque extenditur ejus causalitas: atqui causalitas Dei, utpote primi entis, et universalissimae causae, extenditur ad omnia, et omnes differentias entium quorumcumque: ergo.

Petes 4. Utrum Providentia sit infallibilis, non solum quoad ordinationem mediorum in finem, sed etiam quoad assecutionem finis?

R. Hic dissentire ipsos Thomistas, utrinque fundatos in D. Th. Ad quorum conciliationem dicendum arbitror, quod, cum efficacia Providentiae (quae, ut dictum est, in actu imperii circa media consistit) pendeat in assequendo fine ex efficacia volitionis, seu intentionis finis; ea Providentia, quae supponit voluntatem finis consequentem, et absolutam fit infallibilis, non solum quoad ordinem, et executionem mediorum, sed etiam quoad assecutionem finis: ea autem Providentia, quae supponit tantum voluntatem finis antecedentem et conditionatam, licet sit infallibilis quoad positionem mediorum, non sit tamen infallibilis quoad assecutionem finis.

Quamvis ergo non sit in Deo, nisi una Providentia, potest tamen varie considerari. 1. Integre, prout est ordinatio totius entis ad finem universalem, qui est gloria Dei. 2. Prout se exerit in hac vel illa rerum specie, in ordine ad fines particulares; quo sensu alia dicitur naturalis, alia supernaturalis, alia ordinaria, alia extraordinaria: si igitur Providentia consideretur integre, est infallibilis quoad assecutionem finis, quia ejus finis, nempe gloria Dei, est efficaciter volitus; ut autem sese exerit in fines particulares, non est semper infallibilis quoad assecutionem finis; quia tales fines non sunt semper efficaciter voliti, et sic licet omnes homines per Dei Providentiam ad salutem aeternam ordinentur, non tamen omnes salvantur; quia iste finis particularis, nempe salus omnium, non est a Deo efficaciter volitus, sed antecedenter tantum, et sufficienter.

Notandum tamen, quod omnes istae Providentiae particulares integrant universalem, et sive deficiant a fine suo particulari, sive illum assequantur, semper concurrunt ad assecutionem finis Providentiae integrae, et generalis, quia illi subordinan-

tur. Sic reprobus dum peccando deficit a fine particulari Providentiae miserentis, concurrit ad gloriam Dei per manifestationem justitiae vindicantis.

Et sic conciliari possunt oppositae sententiae. Advertendum tamen nos non admittere providentiam antecedentem, sed providentiam, quae supponat tantum voluntatem antecedentem; Non enim negamus esse de ratione providentiae, et prudentiae quod sit consequens, et imperet effectum, executionem scilicet mediorum, et non assecutionem finis, quandoquidem prudentia, seu providentia non imperat finem, sed media in ordine ad finem assequendum, et tunc sequitur assecutio finis, quando media imperata sunt efficacia; sunt autem efficacia, quando voluntas finis, est consequens, et efficax; si enim sit tantum antecedens, et inefficax, media adhibet sufficientia-dumtaxat, et inefficacia.

Hinc colliges infallibilitatem divinae Providentiae, non esse tantum infallibilitatem praescientiae, sed etiam causalitatis, quia infallibilitas ejus est ex efficacia divinae voluntatis, a qua sunt omnia, et quae proinde nihil supponit, ex cujus praevisione dirigatur, ne a fine intento excidat.

Objicies. Saltem peccata non subjiciuntur divinae Providentiae. Prob. juxta S. Th. in tantum extenditur Dei providentia, in quantum extenditur ejus causalitas: atqui causalitas Dei non extenditur ad peccatum: Ergo R. D. Ant. peccata non subjiciuntur divinae Providentiae, hoc sensu quod non provideat peccata, C. quia providere est procurare, et causare, Deus autem nec procurat, nec causat peccata: hoc sensu quod non provideat de peccatis, N. Ea enim permittit, et permissa ordinat ad fines suos, vel ad manifestationem misericordiae parcendo, vel ad manifestationem justitiae puniendo, vel utendo iis suo modo concurrentibus ad procuranda meliora bona, v. g. salutem Martyrum per saevitiam tyrannorum, redemptionem generis humani per scelus Judaeorum. Ad Prob. sensus D. Th. est, quod providentia Dei non minus extendatur, quam ejus causalitas, at non quod non possit magis extendi, maxime ubi agitur de providentia permissionis, et approbationis.

Petes, utrum Deus omnibus immediate provideat. R. Loquendo de Providentia formaliter sumpta pro ratione ordinis rerum in finem, Deus immediate omnibus providet, quia in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum, cum ad omnia etiam minima extendatur ejus causalitas. Sed si sumatur Providentia pro hujusmodi ordinis executione, quae dicitur gubernatio, Deus quibusdam creaturis providet mediantibus aliis; quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam bonitatis, ut dignitas causalitatis etiam creaturis communicetur. (Vide S. Th. in verb. D. Pauli 1. ad Cor. c. 3, *adiutores Dei sumus*.

Articulus II.

De Praedestinatione.

Quid sit, et an sit Praedestinatio?

Apud Theologos praedestinatio dupliciter sumitur. 1. Late et in ampla significatione pro quovis Dei decreto aeterno aliquid faciendi in tempore: quo sensu August. Tract. 68. in Joann. dixit. *Deus fecit futura, ea praedestinando.* At frequentius Scriptura, Patres, et Theologi sumunt Praedestinationem specialiter pro divina ordinatione aliquorum ad gloriam, et ad media, quibus infallibiliter obtinetur. De ea hoc sensu hic agimus. Unde

Dico 1. Praedestinatio recte definitur ab August. lib. de dono persever. c. 14. *Praescientia et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* A. D. Th. 1. p. q. 23. a 2. o. *Ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam in mente divina existens.* Hoc est, ipse ordo praeconceptus in mente divina aliquorum in salutem.

Per *praescientiam* in prima definitione, non intelligitur scientia mere speculativa, seu scientia *media*; sed scientia practica, et effectrix, qua Deus praevidet, quid sit ipse facturus, consequenter iunixa decreto faciendi, ut explicat Aug. de praedest. SS. cap. 10. *Praedestinatione*, inquit, *Deus novit. quid ipse sit facturus*. Et S. Th. q. 6. de verit. a. 1. ad. 7. *Quamvis*, inquit, *scientia in quantum est scientia non respiciat facienda, tamen scientia practica respicit facienda, et ad talem scientiam Praedestinatio reducitur*.

Per *praeparationem beneficiorum quibus certissime liberantur*, in eadem definitione, intelligitur certitudo non praescientiae tantum, sed etiam causalitatis, seu quod idem est, intelligitur praeparatio beneficiorum, non sufficientium dumtaxat, determinabilium a voluntate humana, sed ex se, et ut descendunt a Deo infallibiliter efficacium.

Dico 2. Praedestinatio est formaliter actus intellectus, scilicet imperium, supponens tamen actum voluntatis. Prima pars patet tum ex definitionibus datis, tum quia praedestinare est ordinare media efficacia ad salutem praedestinatorum. Atqui ordinare est actus intellectus, non voluntatis, quae cum sit potentia coeca magis indiget dirigi, quam alias potentias dirigere. Secunda pars etiam patet, quia Praedestinatio est aliqua Providentia, Providentia, autem est actus intellectus, qui dicitur imperium, ut dictum est praec. art. Tertia pars tandem constat; quia cum voluntas sit primum movens ad executionem, et Praedestinatio sit ordinatio mediorum ad finem, necessario supponit volitionem, seu intentionem finis, a qua suam efficaciam hauriat.

Dico 3. Praedestinatio est pars Providentiae objectiva; attingit enim aliquam partem ejus objecti materialis, ita ut una, et eadem Providentia divina absque distinctione virtuali illos tres ordines naturae, gratiae, et unionis hypostaticae attingat, et ratione tantum diversorum objectorum materialium; ad quae se extendit, diversa nomina sortitur; est etiam unus finis, nempe gloria Dei. Ergo.

Dico 4. Nedum existit Praedestinatio, qua Deus aliquos prae aliis certissime dirigit in vitam aeternam; sed ita est necessaria, ut absque ea nullus salvari possit.

Prob. prima Pars ex Scrip. ad Rom. 8. *Quos praedestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit illos et glorificavit.* Ad Eph. 1. *In Christo sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* August. lib. de dono perseverant. cap. 19. *Neminem contra istam Praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Similiter passim apud SS. Patres.

Prob. ratione: Nihil Deus facit in tempore, quod ab aeterno non praeordinaverit, alioquin vel inciperet velle in tempore, vel illud esset ipsi casuale et praeter ejus intentionem, quod utrumque est absurdum: atqui Deus est, qui in tempore aliquos prae aliis transmittit ad aeternam beatitudinem, ut excedentem vires naturae: ergo id se facturum ab aeterno praeordinavit, quae aeterna praeordinatio est praedestinatio, ut patet ex dictis.

Et hinc probata manet secunda pars contra Molinam, et quosdam alios. Instauratur itaque ratio jam facta. Impossibile est, unum prae alio salvari, nisi per Deum; tum quia salus, seu aeterna beatitudo excedit vires naturae; tum quia omne bonum maxime salus est a Deo juxta illud, *Salus Justorum a Domino, et gratia Dei vita aeterna*. Et Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Atqui, ut dixi, est etiam impossibile, quod Deus aliquid faciat in tempore, quod non praeordinavit ab aeterno, et haec praeordinatio est praedestinatio: ergo.

Obj. Commune et tritum argumentum, quod continuo regerunt impii, ut liberius peccent; haeretici, ut necessitatem bonorum operum, et libertatem ex-

eludant ; scrupolosi , ut se superstitiose torqueant , si detur praedestinatio certa et infallibilis , vel sum praedestinatus , vel non , si sum praedestinatus , quidquid egero , infallibiliter salvabor , si non sum praedestinatus , quidquid egero , infallibiliter damnabor : quid ergo restat , nisi ut agam , quod lubet ?

R. 1. eos , qui hoc sophisma opponunt , ut plurimum agnoscere in Deo praescientiam certam, et infallibilem , quidam enim dumtaxat ex paganis eam negarunt . Unde sic retorqueo argumentum . Deus scit certo, et infallibiliter me fore salvandum, vel non : si primum , quidquid egero , infallibiliter salvabor ; si secundum quidquid egero infallibiliter damnabor ; quid ergo restat , nisi ut agam, quod lubet ? Ita saepe arguebat Aug. contra Semi-Pelagianos, et inde concludebat de dono perseverantiae cap. 15. quod sicut per hoc sophisma non deterrebantur Semi-Pelagiani a confitenda divina praescientia ,ita nec debebant deterreri a tuenda divina praedestinatione .

Item si huic dilemmati aliqua vis inesset, nemo melius eam intelligeret , quam Daemon , homine longe perspicacior, et versutior , sicque cessarent omnes illorum insidiae, et tentationes , ipsis sic philosophantibus : vel homines sunt praedestinati, et frustra illos tentamus, non obstantibus enim tentationibus nostris certo salvabuntur : si non sint praedestinati , etiam nobis non tentantibus , certissime damnabuntur . Et tamen omnia isti agunt , omnia commovent, ut homines trahant in suas partes , tentando , insidiando , imaginationem turbando, objecta, et occasiones offerendo etc., ac si nulla esset praedestinatio: agnoscunt ergo Daemones praedestinationem nihil impedimenti adferre , quominus homines boni sint, vel mali , felices vel infelices , utcumque maluerint ; nisi forte dicas , Daemones ita se gerere , quia non agnoscunt praedestinationem. At quomodo possunt non agnoscere , quod et Fides, et ratio, et infelix eorum experientia tam luculenter evincunt ?

R. 2. falsum omnino esse , quod ex asserta praedestinatione inferunt arguentes , scilicet : *Si sum praedestinatus , quidquid egero salvabor.* Quia Deus non praedestinat ad finem , quin simul praedestinet ad media , quibus finis obtineri potest, et debet ; media autem ad salutem , sunt bona opera , fuga peccati , cura, et sollicitudo salutis, perseverantia in bono , etc. Providentia , inquit S. Doctor , cujus praedestinatio est pars , non subtrahit causas secundas , sed sic providet effectus , ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentiae . Sicut igitur sic providentur naturales effectus , ut etiam media seu causae naturales ad illos effectus, ordinentur, sine quibus illi non provenirent, v. g. sic Deus providet, et ordinat messem futuram, ut etiam culturam agri, et seminationem provideat, et ordinet : Ita praedestinatur a Deo salus alicujus , ut etiam sub ordine praedestinationis cadat , quidquid hominem promovet ad salutem , ut sunt orationes , vel propriae , vel aliorum , bona opera , sollicitudo , perseverantia in bono , vel quidquid hujusmodi , sine quibus salutem nemo consequitur . Unde e contra praedestinatis conandum est sollicite ad bene operandum , orandum , perseverandum , quia per hujusmodi praedestinationis effectus certitudinaliter impletur : propter quod dicitur 2. Pet. 1. *Satagite , ut per bona opera, certam vestram vocationem, et electionem faciatis .*

Igitur usu quotidiano et totius generis humani consensu haec argumentatio falsitatis convincitur . Etenim , inquit eleganter quidam recentior , nihil in hoc mundo geritur , quod non immutabili Dei praescientiae ac voluntati subjaceat. Nemo diutius vivit , quam Deus velit , nemo metit , nemo dives evadit , nemo hostem in bello vincit ; nemo ad portum appellit , nisi quantum , et quando Deus ab aeterno disposuit : quis tamen unquam adeo desipuit ut detrectaret conducere navim ad transfretandum , spargere semen ad faciendam messem , adhibere operam ad comparandas divitias , omnem conatum ad obtinendam victoriam , omnem curam ad servandam , aut recuperandam sanitatem , eo quod crederet omnia divina volun-

tate nutuque immutabili evenire ? Plane deliria ista sunt, non argumenta. Si ergo pro terrena vita nemo non laborat, quamvis sciat omnia divino nutu contingere, cur non aeque laboret pro vita coelesti, quamvis sciat nullum ad eam pervenire, nisi divina voluntate praedestinatum ? Insuper constat ex una parte omnia Dei nutu et voluntate regi ; constat ex altera legem esse observandam, et pie vivendum, esse liberum arbitrium, at eorum nexum cum divina praedestinatione non intelligis. An ideo falsum, quia tibi occultum, et numquid ideo negandum est, quod est apertum, quia comprehendi non potest, quod est occultum ? ut dixi supra cum S. Augustino.

Articulus III.

Utrum praedestinatio sit ex praevisis meritis, vel sit mere gratuita.

§. I. *Praenotanda, et variae sententiae.*

Nota 1. Cum praedestinatio includat actum voluntatis, ut dictum est, sic inquirenda est ratio praedestinationis, sicut inquiritur ratio divinae voluntatis. Imo proprie loquendo, hic non agitur de ipsa praedestinatione formaliter sumpta pro actu imperii, sed de ipsa intentione et electione, qua Deus unum prae alio dilectum vult efficaciter ad gloriam perducere : electio itaque non sumitur stricte, prout est mediorum, sed late, prout est personarum in finem.

Neque hic quaeritur de causa Praedestinationis ex parte actus praedestinantis, quia nulla potest assignari causa voluntatis divinae ex parte actus volendi : licet enim Deus velit media propter finem, non tamen movetur ab amore finis ad volendum media, quia unico actu vult finem, et media. Sub quaestione ergo vertitur utrum ex parte effectus Praedestinatio habeat aliquam causam ; et hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit se daturum effectum praedestinationis, nempe salutem, propter merita aliqua.

Nota 2. Nomine meriti hic non intelligitur meritum rigorose, et *de condigno*, sed etiam meritum late, et *de congruo*, imo quodcumque bonum sive naturae, sive gratiae, quod sit vel causa, vel ratio, vel conditio sine qua non praedestinationis. Unde tandem quaestio devolvitur ad hoc : utrum sit aliquid ex parte hominis quodcumque sit, cujus intuitu Deus aliquos prae aliis diligit et eligit efficaciter perducendos ad salutem ; caeteris sub voluntate generali salutis, et gratiis dumtaxat sufficientibus suae fragilitati permissis, ac tandem perituris. Circa quod fuerunt plures sententiae.

Pelagiani, cum ponerent liberum arbitrium sibi sufficere ad bene operandum, dicebant merita propriis viribus comparata esse causam praedestinationis. Damnati sunt in Conciliis Palaestino, Milevitano, et Arausicano.

Semi-Pelagiani, qui contra Pelagianos agnoscebant nos non posse propriis viribus absque gratia Dei bona opera facere, contendebant tamen initium, et praeparationem ad illa, ut primum credulitatis affectum, desiderium, petitionem auxilii, quae inter bona opera non recensebant, esse a nobis, sicut, inquiebant, licet infirmus non possit sibi comparare medicinam, et sanitatem ; potest tamen desiderare, et petere medicum : dicebant ergo Deum decrevisse dare gratiam iis, quos praeviderat se ad illam initialibus operibus praeparaturos, et gloriam iis, quos praeviderat in accepta gratia propria libertate sine dono speciali perseveraturos usque in finem. Quantum autem ad parvulos praemature morientes, in quibus haec initia non habentur, dicebant Deum eos praedestinasse, vel reprobasse ex praevisione bonorum vel malorum operum, quae facerent, si viverent. Hic error fuit proscriptus in Concil. Arausic. 2.

Quidam recentiores docent praedestinationem esse ex praevisis meritis gratiae, sed non uno modo eam explicant. Quidam dicunt, Deum aequali voluntate generali velle omnes salvos fieri, et omnibus indiscriminatim gratias sufficientes, permissas libero arbitrio offerre; praescire autem per scientiam mediam, qui, illa gratia oblata, sint ex innata libertate bene usuri, et in ea perseveraturi, et eos prae aliis ad gloriam assumere; ita, ut in illo signo praeparationis mediorum ad salutem, non magis diligat praedestinatos, quam reprobos; nec illos ab istis discernat; sed hanc discretionem expectet faciendam per liberum arbitrium, qua praevisa, gloriam decernit iis, qui se discernunt, relictis aliis: et sic juxta hanc sententiam, praedestinatio ad gratiam communem praedestinatis, et reprobis, est gratuita; praedestinatio vero ad gloriam est ex praevisis meritis, scilicet ex praeviso bono usu gratiae. Ita Lessius, Molina, Becanus, et plures ex eadem Societate.

Alii etiam scientiae mediae defensores, posita voluntate generali in Deo salvandi omnes et praeparatione auxiliorum sufficientium ad illam salutem consequendam, dicunt Deum per scientiam mediam praescire, quomodo quisque iis uteretur, si in his, vel illis circumstantiis poneretur, qua praescientia conditionali posita, ex omnibus, quos voluntate generali ad salutem ordinat, aliquos speciali dilectione et misericordia seligit, quos statuit ponere in his circumstantiis, in quibus praevidit eos bene usuros gratia et in ea perseveraturos, iisque salutem decernit; alios autem statuit ponere in his circumstantiis, in quibus praevidit eos non bene usuros gratia, sicque eos negative reprobat. Unde haec electio, et discretio salvandorum a reprobis est ex gratuita Dei voluntate. Sed quia in salute duo sunt connexa, nempe gratia seu merita et gloria, dicunt Deum prius decrevisse gratiam, seu merita et eorum intuitu gloriam; sicque praedestinationem ad gratiam propriam electis, et reipsa salvantem, eo scilicet modo, quo potest esse salvans in principiis scientiae mediae, esse gratuitam; praedestinationem autem ad gloriam esse ex praevisis meritis gratiae. Ita Congruistae communiter.

Hic duplex modus explicandi praedestinationem ex praevisis meritis, judicio nostro est diligenter distinguendus: quod cum plures omittant, multa inutilia, et confusa proferunt. Secundus namque modus concedit aliquid, quod intendunt defensores praedestinationis gratuitae; scilicet electionem salvandorum, quae est ipsa discretio praedestinatorum a reprobis, esse ex gratuita Dei voluntate, et non ex praeviso creaturae merito, quod negat primus modus. Attamen secundus iste modus non in hoc solum peccat, ut minus attente dixit doctissimus noster Goudin, quod dicat Deum ordine praepostero prius velle media, quam finem, sed et in hoc potissimum, quod merita, quorum intuitu dicit fieri praedestinationem ad gloriam, non sint data a Deo vi potentissima suae gratiae, sed orta ex fundo liberi arbitri, quod sub auxilio indifferenti se proprio nutu determinat ad bonum, sicque semper manet praedestinationem ad gloriam supponere aliquid ex parte nostra ratione cujus fiat, totamque Dei misericordiam erga electos in hoc solo sitam esse, quod statuat eos ponere in circumstantiis congruis. Hic porro modus defendendi praedestinationem gratuitam, de quo sibi perperam gratulantur quidam Societatis Theologi, toto coelo differt a modo, quo eam defendunt SS. Aug, et Thomas, et communius Theologi.

Ultima ergo sententia, quam dicimus esse SS. Augustini, et Thomae, Scripturae S. conformiorem, communiorem in Scholis, et quam §§. sequentibus adstruemus, propugnat praedestinationem ex omni parte gratuitam, dicitque Deum ex omnibus, quos voluntate antecedenti vult salvos fieri, et quibus auxilia sufficientia praeparat, quosdam ex pura misericordia specialius dilectos assumere, seu eligere ad gloriam, et inde ipsis praeparare auxilia per se efficacia, quibus illam assequantur.

§. II. *Praedestinatio gratuita asseritur contra sententiam Lessii, et Molinae.*

Effectus praedestinationis potest dupliciter considerari 1. In particulari, seu inadaequate, et sic nihil prohibet unum effectum esse causam, seu rationem alterius, de quo §.sequenti. 2. In communi, seu adaequate pro tota congerie beneficiorum, quibus Deus aliquos prae aliis efficaciter dirigit, et ordinat ad vitam aeternam, etiam ipsa vita aeterna comprehensa, et de praedestinatione sic adaequate sumpta quaerimus hic, utrum habeat aliquam rationem, seu causam ex parte nostra, ut volunt Lessius, et Molina, an e contra sit pure gratuita, ut volunt alii. Pro cujus resolutione.

Dico: praedestinatio sumpta pro intentione, seu proposito, quod habet Deus aliquos prae aliis efficaciter perducendi ad salutem, nullam ex parte nostra rationem habet, sed est ex mera Dei misericordia, et voluntate ejus gratuita.

Non distinguimus hic, ut vides, inter praedestinationem ad gratiam reipsa salvantem, seu discretivam; et praedestinationem ad gloriam, utra sit prior? Id seq. §. discutiemus; sed dicimus Deum ex omnibus, quos voluntate generali vult salvos fieri, et quibus praeparat auxilia sufficientia, aliquos prae aliis elegisse efficaciter perducendos ad salutem, non quia praevidit eos auxiliis sufficientibus, et indifferentibus, omnibus tam reprobis, quam electis aequaliter praeparatis ex sua innata libertate bene usuros, et in bono perseveraturos: sed ex gratuita voluntate, et misericordia, qua illos prae aliis prosequitur.

Prob. 1. Ex Script. Apostolus ad Ephesios 1. dicit: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus in charitate: qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae ..... In quo etiam et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Ex quibus habes: 1. Deum non nos elegisse, quia futuri eramus sancti, aut quia praevidit, nos fore sanctos, sed ut essemus sancti. 2. Nos elegisse secundum propositum voluntatis suae, id est gratuita voluntate, ut gratiam suam commendaret, et ideo sorte, respectu nostri, quia nulla in nobis hujus electionis erat ratio. Quae reponunt adversarii modo dissolvam. Vide insuper cap. 22. ejusdem Epist. Item ad Tit. 3., et pluries alibi.

Sed prae caeteris illustre est testimonium ejusdem Apostoli ad Rom. cap. 8. 9, et 11. ubi ex proposito agens de praedestinatione gratuita eam explicat, probat, et contra impugnantes defendit. Imprimis cap. 8. eam definit *propositum Dei*. Cap. 9. *Propositum secundum electionem*. Cap. 11. *Secundum electionem gratiae*, id est gratuitam; ubi etiam immediate subjungit: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*. Deinde varias ejus dotes explicat, scilicet c. 8. *quod vocatis secundum propositum omnia cooperantur in bonum*. Item eod. cap. quod ex illo proposito profluat vocatio, justificatio, et glorificatio: *quos praedestinavit*, inquit, *hos et vocavit etc.* Tandem eodem capite, hujus propositi efficaciam repetit ex omnipotentia Dei; *Si Deus*, inquit, *pro nobis, quis contra nos?*

Tum cap. 9. quaerens, cur tam pauci ex Judaeis in Christum crederent, cum tamen ad Judaeos, scilicet filios Abrahae, factae sint repromissiones salutis. Respondet non omnes carnales filios Abrahae in aeternis Dei consiliis fuisse filios promissionis, seu praedestinatos, sed aliquos tantum prae aliis gratis electos. Hanc autem gratuitam praedestinationem multis probat, sed praesertim 1. exemplo Jacob, et Esau, qui, cum ex eisdem parentibus, et eodem concubitu nati essent, non ex ope-

ribus , sed ex gratia vocantis minor est electus , major derelictus : *Cum enim nondum nati fuissent* , inquit , *aut aliquid boni egissent* , *aut mali* (*ut secundum electionem propositum Dei maneret*) *non ex operibus* , *sed ex vocante dictum est eis, quia major serviet minori* , *sicut scriptum est; Jacob dilexi* , *Esau autem odio habui.* 2. Ipsius Dei testimonio , qui dixit Moysi , *Miserebor, cujus misereor* , *et misericordiam praestabo* , *cujus miserebor*, Ex quo infert : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* 3. Idem probat principio irrefragabili ; quia scilicet nullus potest dare prior aliquid Deo , ratione cujus Deus moveatur ad ipsum eligendum , sed omne , quod habet , a Deo accipit : *Quis* , inquit cap. 11. *prior dedit illi, et retribuetur ei ? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Enim vero non alia ratione Pelagiani, Semi-Pelagiani et ScriptoresCatholici , contra quos hic agimus , negant praedestinationem gratuitam , quam quia volunt aliquid esse ex nobis, quod moveat Deum ad aliquos prae aliis praedestinandos : Pelagiani bonum opus , Semi-Pelagiani initium boni operis, Scriptores Catholici bonum usum gratiae : Si enim haec omnia sint a Deo , Deus illa non expectat , nec ab iis pendet , ut aliquos prae aliis eligat : sed e contra ea aliquibus prae aliis dat , quia illos praeelegit: atqui haec omnia juxta Apostolum sunt a Deo: *Quis enim prior dedit illi:* et 1. Cor. 4. *Quid habes* , *quod non accepisti ?*

Sed nec satis : praecipua argumenta , quae objici possunt, et solent adversus praedestinationem gratuitam sibi objicit , et solvit Apostolus cap. 9. Primum , iniquitatem esse apud Deum, si ante praevisa merita unum assumat , alium relinquat. Secundum, locum excusationis relinqui iis , qui pereunt , nempe non sua culpa, sed Dei voluntate, cui nemo resistit, et ad peccatum, et perditionem compelli. 1. Sic argumentantem ut insolentem castigat. *O homo ! tu quis es, qui respondeas Deo ?* Deinde ad primum respondet exemplo figuli , qui sicut non est ideo injustus , licet ex eadem luti massa faciat aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, ita nec Deus, in cujus manu sumus ut lutum in manu figuli, juxta Ecclesiasticum c. 33., licet aliquos gratis assumat , aliis suae vili conditioni relictis. Ad secundum respondet, nullum locum excusationis relinqui iis, qui peccant, et pereunt ; quia Deus illos non impellit ad peccatum , sed permittit tantum . et patienter sustinet peccatores , tamquam vasa irae (2. *ad Tim.* 2. 20.) ad commendationem suae justitiae, et utilitatem electorum. Merito igitur omnia concludit c. 11. exclamando : *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei ; quam incomprenhensibilia sunt judicia eius, et investigabiles viae ejus? Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit ?*

His apertissimis Apostoli testimoniis varie occurrunt adversarii : at infundate prorsus .

Respondent praecipue ad Genes., 25., et Malach. 1. unde Apostolus exemplum Jacob, et Esau desumpsit, illud non intelligi de personis Jacob, et Esau; sed de duobus populis , scilicet Israelitarum , et Idumaeorum ex ipsis orituris , neque de electione ad vitam aeternam , sed ad beneficia hujus vitae.

Contra. Non disputamus hic de sensu , quem ista verba habent in veteri Testamento , sed quem habent in epistola Apostoli. Certum est autem Apostolum ea exponere spiritualiter de rebus aeternis, et mysteriis regni coelorum; atque per Jacob intellexisse praedestinatos , seu ipsum proposuisse ut typum praedestinatorum : Esau ut typum reproborum : ita ut sicut Jacob fuit electus gratuito ante praevisa merita ad regnum temporale , ita et praedestinati ad regnum coeleste ; et sicut Esau ante praevisa demerita fuit negative reprobatus a regno temporali , sic reprobi a regno coelesti . Et quamvis ex mystico sensu Scripturae non soleat erui solidum argumentum , secus tamen si iste mysticus sensus in ipsa Scriptura exponitur, et admittitur, tunc enim mysticus sensus libri expositi fit litteralis libri exponentis.

Prob. ex Aug. juxta S. Aug. de dono persev. c. 14. Enchirid. c. 100, et alibi,

praedestinatio *est praescientia, et praeparatio beneficiorum*, non qualiumcumque, non mere sufficientium, sed efficacium, scilicet *quibus certissime liberantur*, *quicumque liberantur*: consequenter nomine praedestinationis non intelligit praedestinationem ad aliquam gratiam versatilem communem electis et reprobis, quam quisque suo nutu efficacem, vel inefficacem reddat, sed praedestinationem ad gratiam efficacem discretivam electorum a reprobis, et reipsa salvantem: atqui perpetuo docet, hanc praedestinationem esse gratuitam, et non ex merito, aut quovis alio, ex parte praedestinati praeviso, quin e contra omnia merita, quibus electi gloriam merentur, praecipue perseverantiam finalem, illis ex illa aeterna praedestinatione conferri. ergo. Major est definitio praedestinationis ab ipso Aug. tradita. Minorem vero tam constanter et evidenter ubique, praesertim lib. de corrept. et grat., de dono persev., et praedest. SS. docet, ut nullus, nisi voluntarie coecus, non videat. Ex innumeris haec pauca decerpo. Lib. de corrept. et grat. c. 7. sic habet: *Quicumque ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum Evangelium; et cum audiunt credunt, et in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, et si quando exorbitant, correpti emendantur, et quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt, et nonnulli accepta gratia in qualibet aetate periculis hujus vitae mortis celeritate subtrahuntur. Haec enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiae operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiae.* Ex quibus patenter vides, juxta Augustinum, praedestinationem, qua Deus vult aliquem prae alio salvare, non tantum non supponere aliquid ex parte praedestinati, sed contra ipsam esse causam omnium, quae ipsum ducunt ad salutem. Lib. de dono persev. c. 9. *Ex duobus parvulis* inquit, *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ille non ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei judicia.* Et c. 28. Soliloq. *Mundas autem de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare, quos ab inacessibilibus profundis secretis judiciorum incomprehensibilium sapientiae tuae, semper justorum, licet occultorum, sine eorum meritis praedestinasti ante mundum, vocasti de mundo, et magnificas eos post mundum: non omnibus autem hoc facis, quod admirantur tabescentes omnes sapientes terrae.* Plura videantur Epist. 105. 106. 157., ser. 11. de verbis Apost., totis fere libris de corrept. et grat., de praedest. SS., et de dono persev. Hanc autem praedestinationem gratuitam defendit S. Doctor, non ut opinionem propriam, sed ut dogma fidei: unde de dono persev. c. 19. dicit: *Hoc scio neminem contra istam praedestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.*

S. Augustinum secuti sunt alii Patres, Fulgentius, Prosper, S. Gregorius, S. Bernardus, Isidorus, Beda, Anselmus, Hugo a S. Vict., Magister sententiarum. Quantum ad D. Thomam non est dubitandi locus, cum et conclusio nostra, et rationes quas §. seq. proferemus, sint ex ipso, et insuper eodem a 5, ad 3. formalissimis terminis dicat: *Quare hos elegit in gloriam, et alios reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Vide item q. 6. de verit. a 2. 3., contra Gent. cap. ultimo in 1. d. 41. in c. 9. Rom. lect. 2. et 3. c. 1. ad Ephes. lect. 4. et alibi.

Haec vero conclusio iterum, et efficacius probabitur ex his, quae dicturi sumus pro sequenti conclusione: si namque constet, ut probabimus, Deum in negotio praedestinationis, primum incipere ab intentione dandi gloriam, deinde vi hujus intentionis velle dare gratiam, et inde procedentia merita tamquam media necessaria ad obtinendam gloriam, certo certius constabit, nulla prorsus merita, seu nullum bonum usum gratiae esse causam, seu rationem motivam praedestinationis ad gloriam, sed ejus effectum. Sit itaque.

§. III. *Praedestinatio gratuita asseritur contra sententiam Congruistarum.*

Congruistae communiter, ut notavimus §. 1. dicunt, quod cum praedestinatio adaequate sumpta duo importet, nempe gratiam et gloriam, Deus praedestinando incipiat ab intentione dandi gratiam, specialem scilicet et electis propriam, deinde propter merita, ex ea gratia speciali procedentia decernere gloriam; ita ut praedestinatio ad gratiam electis propriam, et reipsa salvantem sit gratuita, praedestinatio autem ad gloriam sit ex praevisis meritis.

Si hic ageretur dumtaxat de ordine, qui intercedit inter praedestinationem ad gratiam, seu merita, et praedestinationem ad gloriam, et ab eis, qui volunt praedestinationem ad merita esse priorem, concederetur, quod ista merita sint a Deo per gratiam vi sua efficacem, et non a libero arbitrio sub gratia versatili, et concursu indifferenti: levis momenti foret haec quaestio, et in hoc solum peccarent Congruistae, quod ordine praepostero ponerent electionem mediorum ante intentionem finis. At cum defendant praedestinationem dicto sensu gratuitam secundum systema scientiae mediae, eatenus volunt esse gratuitam, quatenus Deus gratuito decernit ponere praedestinatum in iis circumstantiis, in quibus praevidit per scientiam mediam eum gratiae versatili ex sua libertate consensurum, quo praeviso consensu perseverante, illi decernit gloriam; ita ut juxta hunc modum explicandi praedestinationem gratuitam, retenta scientia media, praedestinatio ad gloriam in se sit etiam ex praeviso consensu libero, seu bono usu gratiae non procedente a gratia, sed a libero arbitrio sub gratia concomitante: dumque dicunt Deum praedestinare ad gloriam ex praevisis meritis gratiae, non intelligunt merita, quae gratia vi sua efficaciter conferat, operando ipsum consensum gratiae, id enim excidium libertatis reputant; sed merita orta ex fundo libertatis creatae, quae auxilio sibi oblato indifferenter ad utrumlibet, pro nutu se determinat ad bonum: unde in eodem ferme luto haerent cum puris Molinistis, et quia fere argumenta, quae contra Molinam et Lessium protulimus; eludunt, ea interpretando de praedestinatione ad gloriam in semine, hoc est de praedestinatione ad gratiam specialem, quae est semen gloriae, seu de illa voluntate gratuita dandi aliquibus gratiam congruam, suscipimus hic probandum, praedestinationem ad gloriam in se esse priorem hac praedestinatione ad gratiam, sicque praedestinationem ad gloriam in se non esse ex ullis prorsus meritis, sed haec esse illius effectus. Unde

Dico: In decreto gratuitae praedestinationis prior est praedestinatio ad gloriam in se, quam ad gratiam seu merita, consequenter praedestinatio ad gloriam in se est mere gratuita.

Prob. ratione fundamentali S. Thom. Q. 6. de verit. Quicumque prudenter et ordinate agit, prius intendit finem quam media: atqui Deus prudenter, et ordinate agit, et merita sunt media, gloria est finis: ergo prius intendit gloriam, quam merita.

Quamvis non me lateat Adversarios huic brevi et ineluctabili argumento innumeras prope excogitasse responsiones; non video tamen, quae ejus propositio possit cum aliquo fundamento negari. Major ipso solo lumine naturali innotescit: Media enim non appetuntur propter se, alias non forent media sed finis, sed appetuntur propter finem, et ex amore finis: ergo prius debet amari finis. Insuper qui vult media, vel illa vult propter aliquem finem, vel non; si primum, ergo prius vult finem: si secundum, ergo ex casu et fortuito agit, nesciens propter quod agat; quod repugnat prudenter operanti. Tandem est commune axioma Theologorum, et Philosophorum: quod finis sit primum in intentione et ultimum in executione. Minor non est minus certa: quoad primam partem, Deum scilicet prudenter, et ordinate age-

re, ea certitudine certa est, qua certum est esse Deum. Quoad secundam partem, scilicet merita esse media, et gloriam finem, est pariter certa. Patet primo ratione: quia merita non quaeruntur propter se, sed propter praemium, quod est merces meritorum, et ultimum, quo adepto cessant merita. 2. Ex definitione Ecclesiae in Concil. Trid. sess. 6. c. 7. ubi dicitur, quod *finalis causa nostrae justificationis est gloria Dei et Christi, et vita aeterna*: ergo vita aeterna exercet respectu gratiae, et meritorum causalitatem causae finalis, merita vero pertinent ad hanc viam, qua tendimus ad illam vitam aeternam, ut ad ultimum finem; ergo merita sunt media, quibus tendimus ad gloriam ut ad finem. Haec ita aperta sunt, ut iis, qui vel rationis diluculum attigerunt, vel primis religionis rudimentis sunt imbuti, sint pervia. Videamus tamen, ad quas, et quantas evasiones confugiant Adversarii, ut hoc brevi laqueo se extricent.

Respondet 1. Tournelius hic §. *Solv. Obj. ex rationibus*, negando absolute majorem propositionem argumenti, scilicet: *Quicumque prudenter, et ordinate agit, prius intendit finem, quam media* At quo fundamento? Auribus audite: *Patet*, inquit, falsitas hujus principii, *Exemplo praedestinationis Angelorum, quam multi ex iis qui, nobis hic dissentiunt*, scilicet Jansenistae, *censent factam esse ex previsis meritis.*

Sed contra. Imprimis haec responsio nos non tangit, qui sustinemus praedestinationem Angelorum non esse minus gratuitam, quam hominum in natura lapsa. Unde Doctor Parisiensis debuisset negare majorem in principiis Jansenii dumtaxat, et non absolute. 2. Patente Tournelio, praedestinatio ex praevisis meritis et illud principium: *Qui prudenter agit, prius intendit finem, quam media*, non se compatiuntur. Quid autem in pari casu dictat recta ratio? retinendum esse, quod magis certum est, et dimittendum, quod est minus certum. Porro nemo sanae mentis, ut puto, negabit praedestinationem ex praevisis meritis, quam ipse Tournelius agnoscit esse impugnatam a plurimis, et celeberrimis Doctoribus, esse minus certam: quam certum sit laudatum principium, utpote axioma communiter receptum, totius generis humani experientia probatum; primis rationis principiis innixum, ut probavimus; a D. Thoma assertum, et a nullo Adversariorum, quem sciam, excepto Tournelio, absolute negatum, sed vel distinctum, vel explicatum: ergo dimittenda est praedestinatio ex praevisis meritis, et retinendum praefatum principium. 3. Jansenius negavit hoc principium: esto. Ideone negandum? An potior est Doctori Moliniano Jansenius negans, quam Doctor Angelicus diserte asserens hic a 4. o. *Non praecipitur aliquid ordinandum in finem, nisi praeexistente voluntate finis*? Huic ergo responsioni non satis fidens Tournelius

Respondet 2. Permittendo laudatum principium sub duplici restrictione, seu conditione. Prima, quod finis habeat tantum rationem finis, et non praemii, aut mercedis. Secunda, quod intendatur absolute, et efficaciter, et non conditionate et inefficaciter. Deus autem, inquit, non praedestinat homines ad gloriam sub una ratione finis, sed etiam sub ratione praemii, et mercedis; neque illam intendit absolute, et efficaciter, sed inefficaciter, et conditionate, si nempe velint homines bene uti auxilio gratiae, unde non sequitur, quod prius intendat finem, seu gloriam, quam merita.

Contra primum, gloria etiam ut praemium, et corona se habet ad merita, sicut finis ad media; merita enim nobis praeparantur, et conferuntur, ut per illa tamquam per media obtineamus gloriam ut coronam, et praemium, tamquam ultimum finem justificationis nostrae secundum Trid. cit. Atqui permittente Tournelio, et concedentibus omnibus, finis ut finis prius intenditur, quam merita. Palpa subterfugium Doctoris Sorbonici in exemplo familiari: qui stat in agone, intendit bravium ut praemium et coronam; et tamen illud prius intendit, quam certamen, nec nisi ex amore bravii se certamini accingit, ea scili-

cet ratione, quod bravium sit finis, et certamen medium: Finis autem prius intenditur, quam medium. Item voluntas antecedens in Deo salutis omnium est salutis ut praemii, et coronae, et tamen prius sic intenditur, quam merita, haec enim voluntas antecedens, ut concedunt Adversarii, non est ex praevisis meritis.

Contra secundum: Praedestinatio secundum definitionem Augustini, quam acceptat Tournelius, est *praescientia, et praeparatio beneficiorum*; non qualiumcumque, sed *quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*, hoc est efficaciter, et certo perducentium ad gloriam: atqui fieri non potest, quod Deus velit adhibere media absolute efficacia ad consequendam gloriam, nisi ipsam gloriam absolute et efficaciter velit: ergo Deus voluntate praedestinativa intendit gloriam non inefficaciter, et conditionate, sed efficaciter, et absolute. Prob. min. 1. Ab absurdo; is haberetur, non dico imprudens, sed pene stultus, qui adhiberet media, quae sciret certo efficacia ad aliquem finem consequendum, et eum finem non vellet efficaciter, et absolute: patet in illo, qui applicaret ignem stupae, et non vellet efficaciter comburi stupam. Prob. 2. ratione intentio finis est causa electionis mediorum: ergo electio mediorum efficacium supponit intentionem efficacem finis: alioquin non servaretur proportio inter causam et effectum, sed effectus superaret virtutem causae.

Ad haec, duo reponit Doctor Parisiensis 1. negat hoc principium, scilicet quod electio mediorum certo, et efficaciter conducentium ad finem, supponat intentionem efficacem finis. Rationem negati attende: quia, inquit, *multis reprobis nonnulla interdum efficaciora auxilia gratiae conferuntur quam electis, si unam excipias finalem perseverantiam, nec tamen Deus erga illos reprobos efficacem et absolutam habet gloriae conferendae intentionem*, Quis non miretur hanc decretoriam argumenti refutationem? Argumentum est de auxiliis certo, et efficaciter conducentibus ad gloriam, proinde perseverantiam finalem includentibus. Responsio est de auxiliis efficacibus ad aliquos actus, sed perseverantiam finalem non includentibus, nec certo, et efficaciter ad gloriam perducentibus.

2. Admittit proxime laudatum principium, si agatur de electione auxilii per se efficacis independenter a consensu voluntatis, secus negat.

Contra 1. subsumo; Atqui auxilia, quae Deus praeparat praedestinatis esse per se efficacia independenter a consensu voluntatis, late jam probavimus contra Tournelium, et alibi iterum probabimus. Quod autem opponit esse de fide, quaecumque supponatur gratiae vis, et efficacia, voluntatem posse semper dissentire, quod ad nauseam ubique repetit; quasi ullus Catholicus id umquam absolute negaverit, est prorsus futile: concedimus namque cuilibet gratiae voluntatem posse dissentire *potentia antecedente*, et *in sensu diviso*, non *potentia consequente*, et *in sensu composito*: concedimus, inquam, posse vere dissentire; sed et scimus Deum, qui *magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, ut ait Aug., posse efficere, ut reipsa non dissentiat, sicque quod haec dissentiendi potentia non officiat efficaciae gratiae.

2. Abstrahamus tantillum, an haec auxilia praedestinatis praeparata sint ex se efficacia, an ex consensu voluntatis: sic arguo: vel Deus praescit illa esse efficacia, quovis modo sint efficacia, vel non. Hoc secundum dici non potest; si primum dicatur, remanet vis integra argumenti: nempe esse quoddam stultitiae genus adhibere media, quae scis efficacia ad assequendum aliquem finem, quem non vis efficaciter assequi, absurdumque esse, effectum, qualis est electio mediorum respectu finis, superare virtutem suae causae. His omnibus puto abunde satisfactum tricis Doctoris Molinistae.

Respondent 3. Alii ad principium 1. laudatum, neminem quidem posse intendere media efficacia, nisi ex amore efficaci finis, quando sibi ipsi intendit finem per media a sola sua voluntate dependentia; si autem alteri intendat fi-

nem per media ab ejus voluntate dependentia, tunc non potest efficaciter, et absolute intendere finem, sed inefficaciter, et conditionate, si nempe ille ponat media. Sic inquiunt; aliquis non potest alteri efficaciter velle praemium certaminis, nisi praevisa ejus victoria, sed tantum inefficaciter, et conditionate, si vincat, sic non potest quis efficaciter et absolute velle mercedem operario, praeviso ejus labore, sed tantum inefficaciter, et conditionate, si laboret; Deus autem intendit nobis gloriam ut coronam, et praemium per merita nostra, quae vult a libera nostra voluntate procedere, ad illa enim nos non cogit, nec necessitat: ergo vult tantum inefficaciter, et conditionate nobis gloriam.

Sed contra: haec responsio, quae ferme coincidit cum praecedenti, nititur falso supposito, scilicet merita nostra, quantumvis libera, non esse in manu, et potestate Dei, quod est omnino falsum: Deus enim juxta Scripturam *operatur omnia, operatur velle, et perficere, in ipso vivimus, movemur, et sumus, ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*: Et juxta Aug. *Habet cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem, habet magis in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* De corrept. et grat. cap. 14. Et *dum merita nostra coronat, sua dona coronat*: Nec ideo nos cogit, aut necessitat, sed juxta eumdem Aug. lib. 1. cont. duas Epist. Pelagii, omnipotentia sua *facit ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes*; Et lib. de grat. et lib. arb. cap. 16. *Facit, ut faciamus praebendo vires efficacissimas voluntati*. Quo posito, sic argumentum retorqueo: nemo potest eligere media efficacia ad finem consequendum, quando haec media sunt in ejus manu, et potestate, quin prius intendat efficaciter finem: atqui merita nostra, quae sunt media ad gloriam, sunt in manu, et potestate Dei: ergo Deus non potest intendere nobis merita efficacia ad gloriam, nisi prius intendat efficaciter gloriam. Exempla autem allata deficiunt in hoc, quod non sit in potestate proponentis praemium, aut mercedem, dare certanti industriam, et victoriam, et operario voluntatem laborandi, vires, et laborem.

Articulus IV.

Solvuntur objectiones contra utramque conclusionem.

Quia, ut dixi, affines sunt sententiae Lessii, et Congruistarum, quas hucusque impugnavimus, et in hoc praecipue conveniunt, quod praedestinatio ad gloriam sit ex praeviso bono usu gratiae, non quem dat efficaciter vi sua gratia, sed quem emendicat a libero arbitrio, et in id probandum collimant omnia argumenta, quae solent proponi contra praedestinationem gratuitam; nos autem id in utraque conclusione negamus, consequenter argumenta, quae militant contra unam conclusionem, militant pariter contra aliam, et ideo omnia hic indistincte proponimus, sed ad eorum faciliorem solutionem

Nota 1. Praedestinationem posse considerari dupliciter: in ordine *intentionis*, et in ordine *executionis*: in ordine *executionis* iterum dupliciter; in ordine *executionis praeconceptae, et volitae*, et in ordine *executionis exercitae*. Etenim Deus 1. gratis intendit ab aeterno dare aliquibus gloriam, ut praemium per merita obtinendum, consequenter dare merita, et hic est ordo *intentionis*, quem nostri vocant *decretum intentivum*, quod sic exprimi potest: volo hunc perducere ad gloriam per modum praemii, atque ob id illi praeparare media congrua. Deinde Deus ab aeterno praeconcipit, et decernit dare in tempore prius media, per quae possit obtineri gloria, ut praemium: et hic est ordo *executionis praeconceptae, et volitae*, quem nostri vocant *decretum executivum*, quodque sic exprimitur: volo huic prius dare merita, et propter merita gloriam. Tandem in tempore confert merita, et propter

merita gloriam ; et hic terminatur ordo *executionis exercitae*. Igitur merita intrant ordinem *intentionis*, non ut motiva volendi finem, sed ut effectus volitionis finis: intrant autem ordinem *executionis* ut motiva, non per modum finis, sed ut media, seu dispositiones dignificantes personam, et reddentes eam aptam praemio. Et ne videamur gratis fingere hoc duplex decretum *intentivum*, et *executivum*.

Prob. 1. quia, ut omnibus pervium est, quod est primum in intentione, est ultimum in executione, ita ut numquam finis haberetur, si sisteretur in intentione, per quam prius intenditur, quam media ; prius ergo debent in re poni media, ut obtineatur finis, et sic datur aliqua volitio, seu decretum prius in re ponendi media ad obtinendum finem, quia nihil fit in re, quod non sit prius mente praeconceptum et volitum, et hoc est decretum *executivum*. Unde in oeconomia actuum humanorum praeter intentionem finis, et consequentem electionem mediorum, ubi completur ordo intentionis, ponitur imperium de executione mediorum suo tempore facienda. Sic, v. gr. qui infirmatur, 1. intendit sanitatem ut finem, et consequenter media, deinde decernit apud se prius adhibere remedia, ut per illa sanitatem recuperet, ac tandem illa adhibet, et sanatur.

2. Quia collatio exterior gloriae gaudet bonitate justitiae et misericordiae, est enim opus utriusque, ut patet ex Scripturis, et Patribus. Ergo datur duplex actus interior gaudens utraque illa honestate, a quo illam hauriat actus exterior ; tota enim bonitas moralis actuum exteriorum est ab interioribus, ut dicitur de *actibus humanis* : iste autem duplex actus interior est decretum *intentivum*, a quo habetur honestas misericordiae, et decretum *executivum*, a quo habetur honestas justitiae. Unde Concil. Trid. Sess. 6. cap. 16. dicit : *Bene operantibus usque in finem ..... proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa* (En decretum *intentivum* ante merita) *et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda*. En decretum *executivum* merita supponens. Et haec est clavis solutionum omnium ferme argumentorum, quae adversus praedestinationem gratuitam proponuntur.

§. I. *Solvuntur Objectiones ex Scriptura*.

Obj. 1. cum Honorato Tournely, cum Molinistis, et Congruistis illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare*. Ad reprobos vero dicitur ibid. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus* ; ubi bona opera referuntur tamquam ratio non solum collationis regni, sed etiam praeparationis, et destinationis ad illud, quasi diceret, paratum est vobis regnum, quia fecistis eleemosynam pauperibus : *Esurivi enim, et dedisti mihi manducare* : ergo.

R. Si Tournelius textum non mutilasset, et verba immediate sequentia secundam propositionem non tacuisset, in eis apertam sui argumenti invenisset solutionem, seu potius nullum fuisset argumentum, quod indigeret solutione: sic enim fert secunda sententia Domini : *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus, esurivi enim, et non dedistis, mihi manducare*. Utraque sententia tam praedestinatorum, quam reproborum, eodem tenore, ut vides, effertur : atqui particula causalis *enim* in secunda propositione non refertur ad τὸ *paratus*, sed ad τὸ *discedite*, alioquin sensus foret, infernum esse paratum Diabolo, quia reprobi non fecerunt eleemosinam, quod est absurdum: ergo similiter in prima propositione eadem particula *enim* non refertur ad τὸ *paratum*, sed ad τὸ *possidete*, quasi diceret praedestinatis : possidete regnum, quia fecistis opera misericordiae, quod totum spectat executionem.

Sed etsi daremus gratis το *enim* referri ad τὸ *paratum*, intelligeretur de praeparatione in ordine executionis praeconceptae et volitae, non in ordine intentionis: unde, cum instat Tournelius eodem modo dari regnum in tempore, quo est paratum ab aeterno, verum est de praeparatione aeterna in ordine executionis, non in ordine intentionis: in ordine enim intentionis prius intenditur finis, deinde media, ex quibus sequitur assecutio finis: quia, ut dictum est, quod est primum in intentione, est ultimum in executione, et e contra.

Obj. 2. cum eodem. Matth. 22. Proponitur parabola de invitatis ad nuptias, ad quas quia multi venire noluerunt, concludit Dominus: *Multi sunt vocati pauci electi*: ergo pauci electi quia pauci voluerunt venire: ergo electio illa supponit bonam eorum voluntatem, qui per gratiam vocati venire voluerunt.

R. N. conseq. quae nullatenus sequitur ex verbis Salvatoris: non ergo ideo pauci electi, quia pauci venire voluerunt, sed e contra pauci venire voluerunt, quia pauci sunt electi: ita ut accessus ad nuptias, sit non causa, sed effectus electionis. Unde a posteriori, seu tamquam ab effectu, ex hoc, quod pauci venerint, bene infertur, quod pauci sint electi. Ita S. Aug. pluries.

Obj. 3. Cum eodem illud ad Rom. 8. *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Praescientia hic praevia est praedestinationi. *Quos praescivit .... praedestinavit*, id est, quos praescivit beneficio gratiae filio suo conformes futuros, hos praedestinavit.

R. 1. Juxta quosdam Apostolum intelligere praescientiam fundatam in decreto juxta regulam S. Aug. de dono persev. cap. 19., scilicet, cum agitur de vocatione electorum, praescientiam apud verbi Dei tractatores intelligendam esse praedestinationem, et sic sensus Apostoli erit: quos praedestinavit ad gloriam, hos praedestinavit conformes futuros beneficio gratiae imagini Filii sui per exercitium bonorum operum.

R. 2. Juxta alios, et ut videtur conformius textui Apostoli τὸ *Praescivit*, et τὸ *Praedestinavit* ab eo sumi pro eodem, et utrumque referri ad conformitatem cum Christo non in gratia, sed in gloria, ita ut sensus sit, quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui in gloria, hos in tempore vocat, justificat, et tandem glorificat.

§. II. *Solvuntur Objectiones ex Patribus.*

Obj. 1. cum Tournelio, S. Prosper in Epist. ad Aug. scribit unam fere omnium veterum Patrum fuisse mentem, ac sententiam, praedestinationem hominum ad gloriam fieri ex praevisis meritis gratiae: ergo. R. S. Prosperum non suam, sed Semi-Pelagianorum sententiam, seu potius querelam et calumniam referre. *Multi*, inquit S. Prosper, *servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuae scriptis; quae adversus Pelagianos Haereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni et Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.*

Inst. 1. com eod. ex S. Ambros. lect. 5. de fide cap. 6., S. Hieron. Epist. 105. ad Hebidiam, Chrysostomo hom. 8. in cap. 2. Matth. qui docent, praedestinationem innixam praescientiae: ergo. R. 1. ex Aug. qui de praedest. SS. cap. 14 dicit priores Patres ante ortam haeresim Pelagianam, quaestionem hanc obiter tantum attigisse, ideoque non mirum, si quaedam eorum expressiones sint minus accuratae, quamvis tamen principium, ex quo praedestinatio gratuita eruitur, asseruerint. Item de dono persev. cap. 18. et 19. ipsos Patres loqui de praescientia fundata in decreto divino, et non in voluntate creata, quae praescientia includitur in ipsa praedestinatione; ideoque per praescientiam apud illos intelligendam esse praedestinationem.

R. 2. SS. Patres loqui de praedestinatione in ordine executionis praeconceptae, quia sic spectata est nobis notior, et ad commendanda bona opera aptior: non vero de praedestinatione in ordine intentionis. Hanc enim profundiorem quaestionem, quam discutere Augustinum coegit haeresis Pelagiana, vix aut ne vix attigerunt, quod patet ex ipsis Semi-Pelagianis, qui cum veterum Patrum monumenta diligentissime scrutati fuissent, conqueruntur apud Hilarium in Epist. ad August. ipsum novam hanc quaestionem frustra movisse, quam nullus Patrum ante ipsum movisset; et sine qua gratiam populis utiliter praedicabant. Insistebant ergo SS. Patres praedestinationi spectatae secundum ordinem executionis volitae; quia, ut dixi, sic spectata, nobis est notior, et ad commendanda merita aptior. Qua etiam ratione multi, qui post haeresim Pelagianam tractatus asceticos scripserunt, imo nos ipsi, et qui nobiscum consentiunt, quamvis pro aris et focis praedestinationem gratuitam in ordine intentionis defendamus; dum tamen e sacro pulpito populos ad bona opera hortamur, praedestinationem secundum ordinem executionis spectamus, et easdem expressiones adhibemus, quas adhibuerunt veteres Patres: quia praedestinatio sic spectata pendet a bonis operibus, nec nisi post illa, et propter illa praemium confert, et conferre decernit: eoque sensu vere dicitur, neminem praedestinari ad gloriam, nisi propter praevisa merita.

Obj. 2. cum eodem. Aug. Pelagianis contendentibus praedestinationem ad gloriam fieri ex meritis, assentiri non recusat, modo agnoscant merita illa per gratiam comparari: *Si merita nostra*, inquit lib. de grat. et lib. arb. *sic intelligerent ut etiam ipsa dona Dei esse agnoscerent, non est reprobanda illa sententia.* R. Sic et nos dicimus, et sentimus cum Aug., si Tournelius agnosceret merita nostra esse ex omni parte dona Dei, ejus sententia non esset reprobanda, ut contraria Scripturis et Patribus, sed tantum ut minus consona rationi. At vero juxta systema scientiae mediae, contendimus id, quod praecipuum est in meritis nostris nempe consensum voluntatis in bonum, non esse donum Dei, ut alias late probavimus.

Objicit 3. Tournelius. S. Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. expendens verba illa Apostoli ad Rom. 9. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, major serviet minori*: Inter alia dicit. *Non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quae eligat, ideo manet propositum justificationis, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quae jam eligat ad regnum caelorum ... Non tamen electio praecedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur: unde, quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi praescientia.* Ex quibus apparet evidenter juxta Aug. praedestinationem ad gratiam esse gratuitam, praedestinationem vero ad gloriam esse ex electione meritorum. Hoc argumentum quasi esset invictum, plurimum extollunt adversarii.

Sed in primis illud videtur praeposterum, ut jam alibi observavi, adversarios continuo recurrere ad libros Augustini Simpliciano inscriptos, quos adhuc juvenis, et ante ortam Pelagii haeresim elaboravit, praesertim cum insignes auctores, inter quos Bellarminus, velint id, quod opponitur, fuisse in sequentibus operibus retractatum; sed esto, ut volunt alii, nihil absolute esse retractatum, saltem negari non potest, quod, cum tunc Aug. nondum discusserat altitudinem istarum quaestionum, neque multa invenerat, quae postea majori diligentia investigavit et reperit, plures in his prioribus libris expressiones irrepserint minus accuratae circa praesentem materiam, quod non parum detrahit illorum auctoritati.

R. S. Aug. illic non loqui de praedestinatione ad gloriam in ordine inten-

tionis, sed in ordine executionis. Quod ut manifestum fiat: nota, quod jam alibi observavi, duplicem distingui electionem, unam proprie dictam, scilicet electionem mediorum, alteram minus proprie dictam, scilicet electionem personarum ad finem. Prima respicit executionem ut patet. Secunda respicit intentionem, quia persona est finis *Cui* intenditur finis *Qui*, seu cujus gratia. Augustinum vero loqui non de electione personarum ad finem cujus gratia, sed de electione seu volitione mediorum ad finem patet ex ejus contextu. Nam dicit: 1. Quod non ideo Deus habeat propositum justificandi, seu dandi gratiam justificantem, quia invenit bona opera, quae eligat, sed e contra quod ideo invenit bona opera, quae eligat, quia habet propositum dandi gratiam justificantem, non enim opera sunt merita, et media eligibilia ad regnum, nisi ut informata gratia justificante: unde bene subdit, quod electio scilicet operum seu meritorum non praecedat justificationem, sed e contra quod justificatio praecedat electionem operum. Addit: nemo eligitur, scilicet ratione operum, nisi distans ab eo, qui rejicitur, quia electio personae ad regnum ratione operum idem est, ac electio operum ad regnum; non enim opera sine persona eliguntur. Verissimum est autem, quod in electione operum seu personae ratione operum, quae, ut dictum est, pertinet ad ordinem excutionis, nemo eligitur, nisi distans, et distinctus ab eo, qui rejicitur. Et hinc recte concludit, quod id, quod dictum est: *Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem*, non sit dictum, nisi praescientia, ex qua haec electio executiva mediorum fuit ab aeterno disposita, et ordinata.

§. III. *Solvuntur Objectiones a ratione.*

Obj. 1. cum Tournelio: Deus intendit praedestinatis gloriam, ut coronam et praemium: atqui corona, et praemium non potest intendi nisi propter merita. Ergo. Prob. min. Corona et praemium dicit necessario ordinem ad merita non minus, quam Pater ad Filium: ergo. R. Data majori N. min. Deus enim voluntate antecedente intendit omnibus gloriam ut coronam, etenim omnes ordinat ad gloriam per merita obtinendam, et tamen, fatentibus etiam adversariis, eam non intendit propter merita praevisa. Ad Prob. D. ant. Corona et praemium dicit necessario ordinem ad meritum, ut ad effectum, vel motivum, C. Semper ut ad motivum, N. In ordine intentionis dicit ordinem ad meritum ut ad effectum, quia Deus intendit gloriam ut obtinendam per merita, et quia sic vult finem vult merita: In ordine autem executionis dicit ordinem ad merita ut moventia: unde in ordine intentionis merita sunt causata, in ordine executionis sunt causantia; quod enim primum est in intentione, est ultimum in executione, et quod est ultimum in intentione, est primum in executione.

Inst. Quod intenditur ut corona et praemium, intenditur ut debitum justitiae: ergo supponit merita, ut motiva et causantia. R. D. Ant. Quod intenditur ut corona et praemium, intenditur ut debitum justitiae exercendae in ordine executionis C. ant. Ut debitum justitiae exercitae in illo ordine intentionis, N. ant. Deus enim gratis vult dare gloriam, sed non vult dare gratis, seu independenter a meritis vult dare, sed non vult dare sine meritis. Sic Rex gratis ex mera liberalitate proponit dare praemium victori in certamine; non tamen vult dare gratis, sed propter victoriam, et ibi exercetur justitia, non vero in prima intentione, quae est mere gratuita.

Urgebis; sic se habet praemium ad meritum, sicut poena ad culpam; atqui Deus non vult poenam, nisi supposita culpa: ergo nec praemium, nisi supposito meritis. R. D. maj. Sic se habet praemium ad meritum, sicut poena ad culpam, in ordine executionis, C. Quia sicut praemium in re redditur propter meritum, sic poena infligitur propter culpam. In ordine intentionis, N. Dispa-

ritas est quod poena ut poena simpliciter non sit bona, sed tantum ex suppositione culpae, quae, cum non sit etiam bona, non potest esse a Deo volita. Unde repugnat, quod Deus velit poenam, et propter poenam velit culpam. At et praemium et meritum sunt simpliciter bonum, et utrumque est a Deo; cum autem praemium sit finis, et majus bonum, Deus primo illud intendit, deinde merita, ut media ad illud.

Objicit 2. Tournelius: Deus eo modo res ab aeterno praeordinat, quomodo eas facit in tempore: atqui confert in tempore gloriam praedestinatis propter merita. R. Concedo totum. Revera enim Deus ab aeterno praeordinavit conferre in tempore gloriam propter merita; non tamem propter merita praeordinavit, sed gratuita voluntate.

Inst. Tournelius. An non quaedam veluti pugna et contradictio in Deo videtur, si vellet gloriam gratis simul destinare, et eamdem tamquam mercedem et praemium rependere? Nonne pugnat rem eamdem simul, et eodem instanti rationis, et ex pura misericordia, et ex justitia destinari? R. Nullam hic esse pugnam, aut contradictionem, nisi in mente Tournelii, qui non distinguit inter gratis velle dare gloriam, et velle dare gloriam gratis. Deus gratis, et non propter merita vult dare gloriam, non tamen vult dare, nisi per merita, et proter merita, et haec nullatenus inter se pugnant, ut patet ex dictis.

Urget Tournelius. Decretum, quo Deus intenderet ab aeterno conferre gloriam gratis, haud dubie absolutum foret, et efficax: ergo vi hujusce decreti gloria gratis concedenda esset; alioquin Deus decerneret, quod non exequeretur, aut exequeretur, quod ab aeterno non decrevisset, atque aliud in executione praestaret, aliud vero in intentione decerneret, quae certe invicem pugnare videntur. R. Eadem semper chorda aberrat Tournelius. Nos non dicimus, Deum intendere ab aeterno conferre gloriam gratis, sed dicimus, Deum ab aeterno gratis intendere conferre gloriam per merita, et propter merita, et hoc exequitur in tempore.

Tandem ut nullum dubium relinquatur adversariis, notandum quod jam dixi, de distinctione decreti *intentivi* et *executivi*, et quod unum debeat esse prius altero non est ex parte actus Divini, qui est unus et simplex, ut dictum est, sed ex parte rerum volitarum, quae etiam hunc ordinem prioris et posterioris habent. Ex quo habemus fundamentum concipiendi, Deum velle unum prius altero, ejusque ideo actum realiter simplicem et unum esse virtualiter multiplicem. Quod si id negaretur in hac materia praedestinationis, deberet negari in omnibus aliis, contra communem sensum Theologorum et Patrum, imo et Scripturae, quae in pluribus locis explicari non poterit absque hac virtuali distinctione ex parte actus divini; ut illud Judith. 9. *Tu enim fecisti priora, et illa post illa cogitasti: et hoc factum est, quod ipse voluisti.*

§. IV. *Solvuntur Objectiones ab inconvenientibus.*

Obj. Praedestinatio ante praevisa merita, 1. Non satis consulit aedificationi, et consolationi fidelium. 2. Non satis congruit suavitati divinae providentiae, et bonitatis Dei 3. Reddit promissiones et minas Dei vanas et illusorias. 4. Reddit homines segnes in negotio salutis, tollit necessitatem bonorum operum, orationum, correptionum, exhortationum, uno verbo curam et sollicitudinem salutis. 5. Deum facit acceptorem personarum: ergo.

Prob. primum inconveniens. Si Deus ante praevisa merita paucos eligat, et pene innumeros relinquat: quis ad hanc terribilem sententiam non turbetur, alteratur, despondeat animum, et in torporem non inducatur, merito praesumens se potius esse in magno numero reproborum, quam in parvo praedestinatorum.

E contra si audiat, praedestinationem non fieri, nisi post praevisa merita, et expectare liberum arbitrium; esse in potestate et voluntate sua, ut sit de numero salvandorum; tandem sortem suam sic ab eo pendere, ut per consensum gratiae versatili possit illam assequi; sedatur animus respiciens salutem suam, non ut incertam, ut in priori opinione, sed in manu sua positam, gaudet, et alacris fit ad bona opera, quibus tantum beneficium assequatur. Hac ratione Lessius dicit se potissimum fuisse motum ad hanc sententiam amplectendam.

Prob. secundum inconveniens. Bonitas divinae Providentiae exigit, ut omnibus necessaria ad salutem provideat, omnium curam sincere gerat, nec ullum deserat, nisi prius ab eo deseratur, ut indicat Scriptura: *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur: suavis Dominus universis: ipsi cura est aequaliter de omnibus, vult omnes salvos fieri*, etc. Atqui non ita se haberet, si independenter a praevisis meritis vel demeritis aliquos assumeret, alios relinqueret; insuper, cum tanta sit Dei bonitas erga omnes, si ex ejus solo nutu dependeret eorum salus, non tam foret exiguus numerus salvandorum; pendet ergo ex aliquo ex parte nostri; cujus defectu accidit tam paucos salvari, scilicet ex eo, quod pauci consentiant gratiae, et in ea perseverent.

Prob. tertium inconveniens. Posita praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita, Deus illudit reprobis, et vana spe eos lactat, dum ipsis promittit gloriam sub conditione perseverantiae in bono, quae ab ipsa dependet, et quam non vult eis dare. Item illudit electis, et vano metu eos terret, dum minatur illos exludere a regno, si non perseverent in bono, cum et regnum, et perseverantiam decreto immutabili et infallibili dare statuerit. Quid enim vult eos timere? Ne damnentur? Id stare non potest cum praedestinatione. Ne praedestinatio revocetur? est irrevocabilis.

Prob. quartum et quintum inconveniens. Posita praedestinatione ante praevisa merita statim subit hoc dilemma vel sum praedestinatus, vel non sum. Ergo superfluunt bona opera, orationes etc. Insuper tunc committitur acceptio personarum quando aequalibus inaequalia dantur; quod faceret Deus si independenter a praevisis meritis quosdam assumeret ad gloriam, et alios relinqueret.

Ad primum, R. 1. Hoc inconveniens pariter militare contra systema Congruistarum. Quis enim non turbetur, et atteratur, si audiat Deum pro suo nutu paucis dare gratiam congruam, cum qua certo in bono perseverabunt, et sine qua non perseverassent, aliis autem pene innumeris denegare?

R. 2. Sententiam nostram esse longe aptiorem aedificationi, et consolationi fidelium, quam sententiam Lessii et Molinae. Quia juxta nos salus nostra omnipotenti Dei manui, juxta Lessium et Molinam fragilitati nostrae committitur. Quis autem non magis fidat Deo, quam sibi ipsi, si non sit superbus, sed humilis, et infirmitatis suae conscius? nemo enim nescit, teste Scriptura, et propria experientia, se, quamvis sit justus, habere in se fomitem cupiditatis et concupiscentiae, cui, si tantisper permittatur, se subducet inclinationi gratiae, et cadet: *Sensus et cogitatio humani cordis*, inquit Scriptura, Gen. 8. *in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et Apost. ad Rom. 7. dicit de seipso: *scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum*; Et: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Unde August. lib. de corrept. et grat. c. 12. dicit, quod *si homini relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo* (id est sufficiente) *perseverare non posset, maneret, si vellet, nec Deus operaretur, ut vellet, inter tot, ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumbet.* Si ergo, inquam, vir Christianus, vere humilis et fragilitatis suae bene conscius, inter tot et tanta vitae pericula ac tentationes, tot Satanae fraudes, et passionum insultus, audiat, Deum in negotio salutis perficiendo ipsi praeparasse quaedam auxilia indifferen-

tia, humano sic permissa arbitrio, ut eorum usum nemini det, sed a nobis expectet, nonne statim animum despondebit, et de sua salute desperabit? E contra, si audiat, Deum aliquos elegisse ad gloriam, et pro ea infallibiliter consequenda eis praeparasse fortissima et invictissima auxilia, jam spes affulgebit se obtenturum per Dei auxilium, quod sua infirmitate non obtinuisset, si Deus auxilia tantum indifferentia praeparasset, et eo firmior erit ejus spes, quo de se humilius sentiet, et magis diffidet, atque in Domino magis confidet, sciens, quod Deus *Populum humilem salvum faciet, et sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Et quamvis, his non obstantibus, non sit adhuc omnino certus de voluntate Dei, est tamen longe magis incertus de sua voluntate: neque eum terret parvus numerus electorum, quia probe novit, quod, si homines sibi permitterentur, longe adhuc pauciores forent electi, imo nullus foret. Tota haec solutio est Augustini simili objectioni sibi factae a Semi-Pelagianis respondentis; placet illum audire de dono persev. c. 17. *Ego*, inquit, *nolo exaggerare verbis meis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant, quale sit quod sibi persuaserunt praedicatione praedestinationis audientibus plus desperationis, quam exhortationis afferri; hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam, non in seipso, sed in Deo didicerit ponere, cum Propheta clamet, maledictus omnis, qui spem habet in homine?* Et de praedest. SS. c. 11. *Cum Apostolus dicat, ut secundum gratiam firma sit promissio: miror homines infirmitati suae se malle committere, quam firmitati promissionis Dei: sed incerta est mihi*, inquis, *de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuane tibi voluntas de teipso certior est, nec times? Qui videtur stare, videat, ne cadat: cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori potius, quam infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Et c. 6. de dono pers. *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem si nos illi ex parte committimus.*

Ad secundum. N. min. Deus enim omnibus auxilia sufficientia providet, omnium curam sincere gerit, nec ullum deserit, nisi prius ab eo deseratur, sed pertinet ad ejus providentiae suavitatem, ut unicuique provideat juxta cujusque conditionem, proindeque ut ex rebus defectibilibus quasdam permittat deficere, alias praeservet a defectu; ut in his appareat virtus gratiae, in illis conditio naturae, sicque respondent Adversarii, dum ab ipsis quaeritur, cur Deus permittat peccatum, cum posset illud impedire? Quia, inquiunt, sic fert suavitas Providentiae, ut liberi arbitrii conditio servetur.

Ad id, quod additur, quod, cum Deus sit infinite bonus, si salus nostra ex ejus solo nutu penderet, non tam foret exiguus numerus salvandorum. R. N. Sequelam; quia licet Deus sit infinite bonus, ejus tamen bonitatis effusio sic temperari debet, ut servetur conditio naturae defectibilis, detur locus justitiae, alia attributa manifestentur, et salventur caeteri fines providentiae generalis, ut dictum est: unde, quod non omnes, aut non plures salvet, non derogat divinae bonitati, sed indicat ordinatam esse bonitatem. Et ita iterum respondere tenentur Adversarii: certum est enim in omni sententia, quod Deus posset omnes salvare, quod, si non faciat, non ipse causa est, sed aliquis defectus ex parte nostra, quem quidem posset auferre, sed quem ut auferat, non exigit sapientissima, et ordinatissima ejus bonitas. Addo, quod in sententia Adversariorum, juxta quam Deus non praeparat nobis, nisi auxilia sufficientia sic permissa libero arbitrio, ut non dent, sed exspectent ejus consensum, non solum pauciores, sed nulli forent salvati, ut patet ex Resp. ad primum inconveniens. In hoc autem, juxta nos, maxime relucet divina bonitas, quod iis, quos elegit, fortissima et invictissima conferat auxilia, quibus certissime perducantur ad salutem.

Ad tertium, R. 1. Istud inconveniens pariter esse solvendum et a Congrui-

stis et a puris Molinistis. A Congruistis, quia supposito, quod Deus decreverit dare uni gratiam congruam perseverantiae finalis et non alteri, primo asserta est assecutio gloriae, alteri asserta est exclusio a gloria; illudit ergo primo dum minatur excludere a regno, si non observet mandata; illudit alteri, dum ipsi promittit regnum, si usque ad finem servet mandata, cum sciat certo, et illum certo servaturum, et istum certo non servaturum finaliter mandata. A puris Molinistis, quia certo nunc facta est praedestinatio, quoquo modo facta fuerit, et qui sunt praedestinati, certo salvabuntur, qui non sunt, certo non salvabuntur; illudit ergo Deus praedestinatis, dum minatur eos excludere a regno, si non perseverent in bono, illudit et reprobis, dum eis promittit regnum, si perseverent in bono; dum certum sit et infallibile, praedestinatos perseveraturos, et reprobos non perseveraturos.

R. 2 Hoc inconveniens nullatenus sequi ex praedestinatione gratuita, si supponatur, ut res est. 1. Neminem esse certum se esse de numero praedestinatorum. 2. Praedestinationem in executione pendere a liberis et bonis operibus, atque perseverantia in illis usque ad finem. 3. Hominem sub praedestinatione gratuita aeque gaudere libertate ad bonum vel malum, ac si non esset praedestinatio, ut modo dicam, et alibi pluries probavimus. 4. Humilibus et de se diffidentibus, in Domino autem confidentibus concedi regnum, superbis et in se confidentibus denegari. His, inquam, suppositis, neque Deus illudit reprobis suis promissionibus, neque electis suis minis. Non reprobis promittendo eis regnum sub conditione bonorum operum, quia possunt illa bona opera facere, scit quidem eos illa non facturos, sed sua culpa, et quia his promissionibus, et variis aliis gratiis voluntarie resistunt, nec ob id Deus debet deesse muneri provisoris universalis, cujus est omnes et minis et promissionibus et aliis modis ad bonum incitare. Posset quidem eorum resistentiam sua gratia efficaci frangere, sed eam nemini debet, neque id exigit ordo providentiae. Numquid juxta adversarios, et praesertim Tournelium in pluribus locis, Deus non habet in thesauris suis gratias, quibus duritiem omnium peccatorum frangere potest? quare non frangit? quia nec placet, nec tenetur. Neque electis illudit minando eos a regno excludere, si bona opera non faciant; quia executio praedestinationis non fit, nisi per bona opera, et ea sic electi libere faciunt, ut possent non facere. Non ergo timent, ne pereant, si sint praedestinati, neque ne revocetur praedestinatio; sed timent, ne non sint de numero praedestinatorum, quia hoc illis incertum est; et ex eadem incertitudine timent, ne cadant et pereant. Addo hunc timorem utiliter ipsis a Deo incuti, ut sint humiliores, et per hoc eorum praedestinatio certo impleatur.

Ad quartum quod est argumentum libertinorum contra praedestinationem ut sic, et Massiliensium contra praedestinationem gratuitam, quam defendebat Aug. Dicebant enim in Epist. Prosperi ad Aug. *Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas praevenit voluntates*, quodque ad nauseam contra nos regerunt adversarii sicut Semi-Pelagiani contra Aug. Jam respondi supra multipliciter, diss. 9. art. 2. *in objectione*. Hic addam quod hoc argumentum urget in sententia tum Congruistarum, tum PP. Molinae, et Lessii, In sententia Congruistarum specialiter; vel Deus decrevit mihi dare gratiam congruam salutis vel non: si primum, infallibiliter salvabor, si secundum, infallibiliter non salvabor. In sententia Lessii et omnium: certo certius est saltem nunc esse factam praedestinationem, quovis modo facta sit: igitur vel sum praedestinatus, vel non; si primum, infallibiliter salvabor: si secundum, infallibiliter non salvabor: quia quovis modo facta sit praedestinatio est certa, et infallibilis, neque refert, quod in sententia nostra sit infallibilis ex efficacia voluntatis divinae; et in sententia Lessii ex praescientia; hoc ipso enim, quod est infallibilis, quovis modo sit, sufficit, ut locum habeat argumentum, si alicubi valeat.

Ad quintum. Respondet Christus Matth. 20. *An non licet mihi, quod volo facere?* Respondet Apost. ad Rom. 9. *Numquid iniquitas apud Deum?..... O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? an non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Respondet Aug. in Ps. 84. *Quid ergo non audes reprehendere in officina figulum, et audes reprehendere in mundo Deum?* Respondet tandem Doctor Angelicus (1. *p. q.* 23. *a.* 5. *ad* 5.), acceptionem personarum, quae secundum se importat injustitiam, non committi, nisi quando id, quod uni prae altero aequali datur, debetur ex justitia, non vero si ex gratia, et mera liberalitate datur, qualis est gloria. Et hoc est, quod dicit paterfamilias Matth. 20. *Tolle quod tuum est, et vade: An non licet mihi quod volo facere?* Adde hoc argumentum currere contra Congruistas, qui docent Deum aequalibus conferre diversas gratias, uni gratiam congruam, alteri incongruam.

Articulus V.

De effectibus praedestinationis.

Nota 1. Per effectum praedestinationis intelligimus quidquid sit a Deo ex intentione efficaci salvandi aliquos prae aliis. Unde tres conditiones requiruntur ad hoc 1. Ut causetur a Deo. 2. Ut sit ex intentione efficaci salvandi. 3. Quod conducat certo ad vitam aeternam. Et quia hic agimus de praedestinatione hominum in statu naturae lapsae, debet addi 4. conditio, nempe quod sit ex meritis Christi.

Nota. 2. Aliquid esse effectum *elicitive* praedestinationis, quod secundum se conducit ad finem supernaturalem tamquam medium supernaturale, et ideo a providentia supernaturali elicitur. Aliquid esse effectum *imperatum* praedestinationis, quod quidem secundum se non conducit ad salutem supernaturalem tamquam medium supernaturale, utpote inferioris ordinis ad illam, potest tamen illi deservire ministerialiter, vel occasionaliter, et ideo imperatur a praedestinatione, ut fiat per suas causas naturales in ordine ad finem suum.

Certo constat inter Theologos, substantiam praedestinati, ejus nativas dotes, ut bonam indolem, aliave naturalia, ut nativitatem, mortem, morbos, paupertatem, divitias, calamitates, imo et opera bona moralia, non esse effectus elicitos praedestinationis, sed naturalis providentiae. 1. Quia non sunt supernaturalia, providentiae supernaturali, et ejus fini proportionata. 2. Quia non sunt media secundum se conducentia ad illum finem, sed secundum se indifferentia. An sint autem saltem *imperative* effectus praedestinationis dissentiunt Theologi etiam Thomistae. Sententia affirmativa videtur conformior S. Thomae in 1. *d.* 41. *q.* 1. *a.* 4., *et* 1. *p. q.* 23. *a.* 8. *in corp.* Quam voluerit sententiam amplectatur lector; non est res tanti momenti, ut illi immoremur. Vide, si lubet in majori nostro Opere.

Certum est 2. bonum usum istorum omnium naturalium in praedestinatis esse effectum elicitum praedestinationis; quia est medium supernaturale de facto conducens ad salutem supernaturalem a Deo praedestinatis donatum, ex hujus finis intentione efficaci. Unde Apost. Rom. 8. dicit, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

Dico 1. Vocatio efficax, justificatio non interrupta, et glorificatio, seu gloriae adeptio sunt effectus praedestinationis. Ita Apost. ad Rom. 8. *Quos praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Prob. Quia in his reperiuntur conditiones requisitae ad effectum praedestinationis, ut patet. Et quamvis vocatio efficax sit communis multis reprobis, non est tamen cum ordine efficaci ad gloriae consecutionem, ut est in

praedestinatis. Per vocationem intelligimus non solum gratias internas, sed etiam externas, ut sunt praedicationes, correptiones, miracula, exempla et omnia, quibus homo disponitur, ut Deo interne vocanti respondeat.

Dico 2. Vocatio inefficax, et justificatio, seu gratia interrupta per peccatum sunt in praedestinatis effectus praedestinationis. Prob. Quia haec in praedestinatis suo modo immediate, vel mediate conferunt ad salutem. Et quantum ad vocationem inefficacem, seu gratiam sufficientem tantum, patet; quia licet effectum principaliter intentum, nempe conversionem de facto, non obtineat, ad eam tamen disponit. Insuper habet hunc effectum, ut peccator postea conversus agnoscat magnam Dei erga se misericordiam, quae ingratum, et contumacem non deseruit: ex quo dolor, gratitudo, et amor magis intenduntur.

Quantum ad gratiam interruptam non solum ut recuperatam per poenitentiam, de qua non est difficultas; sed etiam ut primo collatam, patet. Quia ex illa primo collata praedestinatus habet jus ad gloriam, quod licet interrumpatur per peccatum, non tamen omnino perit; sed manet moraliter in acceptatione divina, et remoto peccato per poenitentiam reviviscit, ita ut licet reparatio per poenitentiam sit conditio sine qua non, tamen non est ratio formalis illius juris, sed ipsa gratia ut primo collata; ideoque illi correspondet, et datur specialis gradus gloriae, aut idem novo titulo.

Dico 3. (*S. Th.* 9. 6. *deverit. a* 2.) Bonus usus gratiae, et omnia merita inde procedentia in praedestinatis sunt effectus praedestinationis. Est contra Molinam; qui etsi concedat actus supernaturales esse effectus praedestinationis, non tamen quatenus sunt liberi, seu quatenus procedunt a libero arbitrio, quia juxta ipsum, liberum arbitrium per innatam suam virtutem influit proxime in actum supernaturalem, consequenter negat determinationem voluntatis nostrae ad bonum, seu bonum usum liberi arbitrii consentientis gratiae esse effectum praedestinationis. Et ita sentire debent quicumque docent gratiam reddi efficacem a nostro consensu, et non ab efficaci decreto Dei. Prob. 1. Bonus usus gratiae, ut a nobis est, sive determinatio voluntatis nostrae ad bonum supernaturale, sive tandem actus supernaturalis, ut procedens a libero arbitrio (haec enim unum sunt) causatur a gratia. Ergo est effectus praedestinationis in praedestinatis. Patet Conseq. Quia praedestinatio est causa gratiae; ergo et ejus quod est gratiae, ut dicit formaliter S. Th. citatus.

Prob. Ant. 1. auctoritate. Deus non solum facit cum facimus, sed facit ut faciamus, Ezech. 36. *Faciam ut in praeceptis meis ambuletis.* Aug. de grat. et lib. arb. c. 16. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus.* Coelestinus I. ad Episcopos Galliae dicit, *quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio.* S. Aug. l. 1. Retract. c. 9. *Quia omnia bona, sicut dictum est, et magna, et media, et minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberae voluntatis, quae virtus est, et in magnis numeratur bonis.* Lib. 1. contra duas Ep. Pelag. c. 19. in fine, *Trahitur miris modis ut velit ab illo, qui novit intus in ipsis cordibus Hominum operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Atqui bonus usus liberi arbitrii, seu ipse consensus liber gratiae, procedere non potest a libero arbitrio nolente, sic enim non consentiret, sed dissentiret. Ergo procedit a libero arbitrio volente; fieri autem volentem ex nolente est effectus gratiae juxta Aug., seu ut concludit S. Th loc. cit. *id quod est per liberum arbitrium est ex praedestinatione.*

Prob 2. Quod efficaciter conducit ad salutem, et est praemiandum in Coelo, est effectus praedestinationis; quia haec est praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Atqui bonus usus gratiae, ut est a nobis, seu actus supernaturalis ut est a libero arbitrio, efficaciter conducit ad salutem, et est praemiandus in Coelo. Ergo.

Petes. Utrum permissio peccati in praedestinatis sit effectus praedestinationis? Priusquam respondeam necesse est aliqua praemittere.

Suppono 1. ut certum, peccatum pro *formali* in praedestinatis non esse effectum praedestinationis, quia a Deo nec est volitum, nec causatum. Suppono 2. ordinationem, quam facit Deus de peccatis in bono et utilitatem nostram, seu fructum, quem mediante divina gratia, et misericordia ex peccatis elicimus, ut majorem humilitatem, ferventiorem charitatem, esse effectum praedestinationis. His positis

R. Probabilius permissio peccati, prout deservit majori peccantis santificationi, est in praedestinatis effectus praedestinationis. Est communis Thomistarum. Probatur ex SS. PP. S. Aug. lib. 21. de civit. cap. 24. exponens haec verba Ep. ad Rom. 11. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Dicit Deum permisisse praedestinatos ex Judaeis et Gentibus incidere in peccatum infidelitatis; ut *de amaritudine illius poenitendo confusi, et ad dulcedinem divinae misericordiae credendo conversi, clamarent illud in Ps.* 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te. S. Th. docet in 1. 2. q. 79. a 4. *quod peccatum ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex divina misericordia, seu providentia, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, et convertantur, sicut Aug. dicit in lib. de nat. et grat. . . . . Sed haec misericordia non omnibus impenditur excaecatis, sed praedestinatis solum quibus omnia cooperantur in bonum* (ad Rom. 8.). Quod Aug. lib. de cor. et grat. c. 9. sic exponit: *Talibus Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores.*

Ex quibus conficitur haec ratio. Deus certo vult permissionem peccati in praedestinatis, vult autem propter aliquem finem, et finis congruus est major utilitas peccantis, consequenter ejus salus. Ergo.

Dices permissio peccati non est beneficium Dei, neque est ex meritis Christi, neque Christus oravit Patrem, ut permitteremur labi in peccatum, Ergo. R. Haec omnia vera esse de permissione peccati secundum se, et ex intrinsecis, non vero de ea, ut est occasio majorum virtutum.

Articulus VI.

De certitudine Praedestinationis.

Dico 1. Praedestinatio est certa et infallibilis quoad consecutionem sui effectus. Patet 1. ex Script. Ioan. c. 10. *Nemo rapit oves meas* (idest Praedestinatos) *de manu mea*, Ex Aug. de corr. et grat. c. 7. loquens de electis: *nemo eorum perit, quia non fallitur Deus . . . . . quia nulla re vincitur Deus.*

2. Ex definitione Praedestinationis, quae ut diximus ex Aug. est *praescientia et praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

Dico 2. Praedestinatio est certa non solum certitudine praescientiae, sed etiam certitudine causalitatis. Est contra Molinam, cujus sententia praedamnat S. Th. q. 6. de verit. a 2. ut contrariam Scripturae et Patribus; verba ejus sunt: *Non potest dici, quod praedestinatio supra certitudinem providentiae nihil aliud addit, nisi certitudinem praescientiae: ut si dicatur, quod Deus ordinat praedestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium: sed cum hoc de praedestinato scit, quod non deficiet a salute: sic enim dicendo non diceretur praedestinatus differre a non praedestinato ex parte ordinis* (*scilicet causae ad effe-*

ctum), *sed tantum ex parte praescientiae eventus, et sic praescientia esset causa praedestinationis, nec praedestinatio esset per electionem praedestinantis, quod est contra auctoritatem Scripturae et dicta Sanctorum: unde praeter certitudinem praescientiae ipse ordo praedestinationis habet infallibilem certitudinem.* Ergo non solum certo scit Deus, sed et certo vult et facit effectus praedestinationis, scilicet bonum usum gratiae, merita inde procedentia, perseverantiam et glorificationem.

Dico 3. Numerus praedestinatorum est certus, non solum formaliter, sed etiam materialiter: id est non solum Deus scit, ac praedestinavit, quot sint salvandi, sed etiam qui sint salvandi: alioquin praedestinatio non foret certa contra primam conclusionem. Patet etiam ex Scriptura: Joan. 13. *Ego scio quos elegerim.* 2. ad Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

Dices contra has tres conclusiones. Possunt aliqui de libro viventium, hoc est de numero praedestinatorum deleri, aut illi de novo adscribi. Ergo. Prob. Ant. 1. Ps. 68. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*, 2. Ecclesia orat in Canone Missae, *Ut in Electorum suorum nos jubeat grege numerari*, et in oratione pro vivis et defunctis, *ut eorum nomina praedestinationis liber adscripta retineat.* 3. Jo. 17. *Ex his quos dedisti mihi* (id est ex praedestinatis) *nemo periit, nisi filius perditionis.* 4. Apost. 1. Cor. 9. timet ne reprobus efficiatur. 5. Ep. 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* 6. Juxta SS. Aug. et Th. praedestinatio potest juvari precibus Sanctorum. Unde Aug. serm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* 10. Tandem dogma fidei est praedestinatum posse damnari, et reprobum posse salvari, neque enim praedestinatio, aut reprobatio tollit libertatem. Unde ex Aug. Si non es praedestinatus, ora ut praedestineris. Ergo. Ante respons.

Nota duplicem esse librum vitae, unum inchoatum, in quo scribuntur omnes justi; ex hoc enim, quod quis est in gratia, est dignus vita aeterna: alterum completum, in quo ii soli, qui ex divina praedestinatione sunt salvandi, scribuntur. Hi dicuntur simpliciter scripti in libro vitae, nec de eo possunt deleri, primi secundum quid tantum, et de illo possunt deleri, quatenus possunt a justitia deficere. Hoc praenotato ex Auctore.

R. N. Ant. intellectum de libro vitae completo. Ad 1. Prob. Quidam illa Davidis verba intelligunt de libro vitae inchoato. Quia tamen ibi fit sermo non de justis, sed de impiis persequentibus Prophetas, qui numquam fuerunt scripti in libro vitae etiam inchoato, melius dicendum videtur cum Aug. concione 2. in hunc Ps. sensum esse: sciant et sentiant se non esse scriptos, ut putabant, in libro vitae.

Ad 2. R. Ecclesiam non orare, ut Dei propositum mutetur, sed sumens causam pro effectu, orat; ut Deus nobis det piam conversationem, et per eam Sanctis in aeterna felicitate nos aggreget.

Ad 3. R. Impropriam esse locutionem Hebraeis familiarem; qua τὸ *Nisi* ponitur loco *Sed tantum*: Sic 4. Reg. 5. *Non faciet ultra servus tuus holocaustum diis alienis, nisi Domino*; id est; sed tantum Domino, qui non est Deus alienus. Sensus ergo textus objecti est: ex his, quos dedisti mihi, nemo perit, nisi, id est, sed tantum Judas, quem mihi non dedisti, sed qui erat filius perditionis. Unde cap. sequenti dicit absolute: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Ad 4. R. Apostolum timere, non quod crederet sententiam praedestinationis posse mutari, sed quia non certo sciebat se esse praedestinatum.

Ad 5. R. Nos per opera bona facere nostram electionem certam non Deo, sed nobis, quia sollicitudo bonorum operum est signum praedestinationis. Item

per bona opera certam facimus electionem nostram, quatenus per illa praedestinationis effectus certitudinaliter impletur; quia Deus nos elegit ad gloriam per bona opera et preces, sive proprias, sive aliorum consequendam. Et hinc patet responsio ad 6.

Ad 7. Indubitatum est libertatem sub praedestinatione salvari, quia ut docet Angelicus hic Art. 8. praedestinatio non est aliquid in praedestinato, sed tantum in praedestinante; unde nihil ponit in praedestinato, quod quovis modo ejus libertatem laedat; sed relinquit ipsum liberum ad bene, vel male agendum, ac si non esset praedestinatio. Quia tamen voluntas Dei praedestinantis est efficax, et immutabilis, certo salvabitur qui est praedestinatus, et eo modo, quo Deus vult ipsum salvari, scilicet libere. Unde quod dicitur: Praedestinatus potest damnari, et reprobus salvari, verum est potentia antecedente, et in sensu diviso, de quo alibi dictum est, et ideo nihil inde obstat certitudini praedestinationis.

Ad axioma vulgatum ex Aug. *Si non es praedestinatus, ora ut praedestineris.* R. haec verba non reperiri in Aug. sed haec Tract. 26. in Joan. *Non traheris, ora ut traharis.* Sed quodvis dicatur, non est intelligendum de praedestinatione in intentione, quasi Deus nondum decreverit nostram praedestinationem, et possit moveri nostris precibus, ut nunc decernat: absurda foret ista intelligentia; sed de executione praedestinationis, ita ut sensus sit; nondum percipis in te effectus praedestinationis, ora ut percipias. Sapienter itaque hic monet doctissimus Sylvius nos debere imitari SS. Aug., Bern., et Th. qui cum hanc praedestinationis certitudinem assererent, cum timore tamen, et tremore suam salutem operabantur. Imo ipse Christus, quamvis certus esset de salute suorum Apostolorum, admonebat tamen eos vigilare, et orare.

Dico 4. Nemo absque speciali revelatione potest esse physice certus de sua praedestinatione. Est contra Calvinum definit. in Conc. Trid. Sess. 6. c. 12 et can. 26. Patet ex Scriptura; Eccl. 9. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit, sed omnia reservantur in futurum incerta.* Ex Patribus; Aug. de cor. et grat. c. 13. *Quis enim ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?* Ratio est, quia quae pendent ex divina voluntate, qualis est praedestinatio, nemo scire potest, nisi Deus ipse revelet. Item nemo certus est de sua perseverantia finali. Ergo nec de sua praedestinatione, quae non est nisi de perseverantibus finaliter.

Dico 5. Potest homo ex variis signis, quae nobis exhibent Scripturae, et Patres, habere quamdam certitudinem conjecturalem, seu ad summum moralem suae praedestinationis. Prob. assignando signa. Primum est bonae vitae decursus. Ita Aug. de dono persev. c. 22. Secundum, testimonium conscientiae a gravioribus peccatis purae, et paratae mori potius quam Deum offendere. Ita Bern. serm. 1. et 2. in octav. Paschae. Tertium, adversitates hujus vitae patienter propter Deum tolleratae. Ita Chrysostomus in illa verba Luc. 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Quartum, libenter audire verbum Dei. Ita Greg. hom. 18. in Evang. juxta illud Joan. 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Quintum, misericordia in pauperes. Ita Aug. Tract. 5. in 1. Epist. Joan., et juxta illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Sextum, dilectio inimicorum juxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos vestros .... ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Septimum, humilitas. Ita Greg. in Job c. 41. Unde Christus vocat electos pusillum gregem, maxime ob humilitatis devotionem, inquit venerab. Beda. Quidam octavum addunt, et bene, devotionem specialem erga B. Virginem, de qua canit Ecclesia, *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Ita ex Bern., Anselmo, et aliis.

Petes quantus est numerus Praedestinatorum? R. Dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli ceciderunt; et insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur cum Ecclesia, quod soli Deo sit cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus.

Caeterum absolute loquendo et nulla facta comparatione ad reprobos, potest dici, quod sit ingens numerus praedestinatorum; ex Apocalyp. 7. ubi dicitur: *Audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati*, Et etc. *post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Comparative autem ad reprobos, pauciores sunt, qui salvantur, ut ait Aug. l. 2, operis imperf. contra Julianum c. 142. juxta illud Matth. 7. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et patet, quia Christiani sunt pauciores quam infideles. Et inter Christianos, quot sunt haeretici alieni a communione Ecclesiae, extra quam non est salus!

Articulus VII.

De Reprobatione.

An sit, et quid sit Reprobatio.

Reprobare vi nominis est rejicere, quod menti, vel voluntati occurrit: etenim et falsa reprobamus mente, et mala seu minus bona et fini inutilia reprobamus voluntate. Hac voce utuntur Theologi ad significandum actum illum mentis in Deo, quo ab aeterno statuit aliquos a vita aeterna rejicere, quo etiam sensu eam usurpat Apost. 1. ad Cor. 9. dum dicit: *Castigo corpus meum, ne ..... reprobus efficiar.*

Dico 1. Datur in Deo reprobatio aliquorum. Conclusio sic simpliciter posita a nemine negatur, sed circa modum explicandi reprobationem est contentio, de qua modo. Prob. 1. Ex Scriptura, quae licet nomine reprobationis rarius utatur, rem tamen eo nomine significatam aliis terminis aequivalentibus aperte significat; scilicet sub nomine *Repulsionis* Ps. 87. *Despectionis* Eccl. 7. *Maledictionis* Matth. 25. *Haedorum* ibid. *Proscriptionis in diem malum* Epist. Jud. *Vasorum irae, et contumeliae* ad Rom. 8. *Filii gehennae* Matth. 23. *Filii perditionis* Joan. 27. 2. Ex Conc. Valent. sub Leone IV Can. 3. *Fidenter fatemur praedestinationem Electorum ad vitam, et praedestinationem impiorum ad mortem.*

3. Ratione. Ad providentiam provisoris universalis pertinet, ut in rebus defectibilibus, quae illi subjiciuntur aliquas permittat deficere propter bonum totius universi. Atqui per divinam providentiam creaturae intellectuales ex natura sua defectibiles ad gloriam ordinantur. Ergo ad hanc providentiam pertinet, ut permittat aliquos ab illo fine deficere, et hoc dicitur reprobare. Item nihil Deus exequitur in tempore, quod non decrevit ab aeterno. Atqui in tempore aliquos reprobat, ut patet ex illo Matth. 25. *Discedite a me maledicti.* Ergo.

Dico 2. Reprobatio non consistit in mera negatione praedestinationis, sed in actu positivo, quo Deus vult permittere aliquos sua culpa deficere a gloria, et propter culpam infligere damnationis poenam. Ratio est quia reprobatio est pars objectiva providentiae: providentia autem importat actum positivum tum intellectus, tum voluntatis. Et alias Angeli, et homines possibiles possent dici reprobati, quia non sunt praedestinati. Sed de hoc iterum suo loco.

Hinc inferes cum S. Thoma (1. *p. q.* 23. *a.* 3. *o.*) 1. reprobationem non secus ac providentiam, cujus est pars objectiva, consistere in actu intellectus supponente actum voluntatis.

Inferes 2. reprobationem recte definiri, providentiam de his, qui deficiunt a fine cum voluntate permittendi culpam et propter culpam infligendi damnationis poenam; seu quod idem est, decretum, quo Deus vult permittere, ut aliqui sua culpa a gloria decidant et pro culpa infligendi damnationis poenam.

Inferes 3. Non potuisse definiri reprobationem, quod sit praeparatio mediorum, quibus certissime pereant, qui pereunt, sicut definita est praedestinatio, quod sit praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur: quia omne medium salutis est a Deo, et effectus praedestinationis, sed medium perditionis, scilicet peccatum, non est a Deo, nec effectus reprobationis, sed est a nobis, imo Deus nihil per se ordinat ad culpam, quam nullatenus intendit, atque ideo ante culpam nihil praeparat ad finem reprobationis, sed solum permissive se habet, supposita tamen culpa, poenam praeparat.

Inferes 4. quod licet reprobatio sit unica, possit tamen dividi in *negativam*, et *positivam* tamquam in duo munia inadaequata; cum enim definiatur voluntas permittendi, ut aliqui sua culpa deficiant a gloria, et propter culpam infligendi damnationis poenam; quatenus importat voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa deficiant a fine dicitur *negativa*; non quod non sit actus positivus, ut dictum est, sed quia nihil efficit, sed tantum permittit; permittere autem est quasi negative se habere. Quatenus autem importat ordinationem culpae ad poenam aeternam, dicitur *positiva*, quia jam aliquid faciendum decernit, nempe poenam infligendam. Unde reprobatio *negativa* includit tantum terminum *a quo*, scilicet gloriam a qua reprobi permittuntur deficere: reprobatio autem *positiva* includit insuper terminum *ad quem*, scilicet poenam damni, et sensus, quam Deus illis decernit.

Articulus VIII.

De motivo reprobationis.

Questio est de reprobatione ut sic, prout spectat Angelos, et homines, utrum autem aliquid speciale, scilicet peccatum originale, ingrediatur motivum reprobationis hominum dicam infra. Item quaestio est de reprobatione, tam *positiva* quam *negativa*.

§. I. *De motivo reprobationis positivae.*

Dico: reprobatio *positiva*, tam Angelorum, quam hominum, est ex praevisis demeritis. Hoc est, Deus nemini decernit poenam aeternae damnationis, nisi propter praevisa peccata. Ita omnes Catholici contra Calvinum, et alios Praedestinatianos, qui docebant Deum non minus ad malum culpae, quam ad malum poenae praedestinare, et ex hac praedestinatione inducebant necessitatem, cum qua non potest stare libertas. Prob. 1. ex iis omnibus Scripturae locis, quibus commendatur Dei bonitas in hoc maxime, quod poenas, et supplicia non velit nisi quasi cogentibus nostris demeritis. Ezech. 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, et vivat.* Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum ....., impii manibus et verbis et accersierunt illam.*

2. Ex Patribus. Damasc. l. 2. de fide c. 26. *Deus ex se ipso movetur ad miserendum, ad puniendum non nisi ex praesupposita culpa.* Aug. lib. 3. contra Jul. cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus, Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Quod verum est non solum de ipsa damnationis executione, sed etiam de ipsa intentione: nam justus Judex non solum non punit, sed nec intendit punire, nisi praesupposita culpa.

3. Ratione. Deus nihil vult, nisi secundum quod habet rationem boni, atqui poena ex se non habet rationem boni sed solum praesupposita culpa; no enim est bonum, quod quis puniatur, nisi peccaverit, imo contrarium foret malum et injustum, et ideo punitio dicitur bonum occasionatum: ergo Deus non vult poenam, nisi praesupposita culpa.

Et hinc patet, cur in praedestinatione gloria potest intendi ut corona et praemium ante praevisa merita, licet in executione pendeat a meritis: poena vero non possit intendi ante praevisa demerita: quia nempe corona et praemium est aliquid de se bonum, et ideo potest esse efficaciter volitum; et ex ejus volitione media praeparari; poena autem, ut dixi, non est nisi bonum occasionatum ex praesupposita culpa. Aliud discrimen est, quod praedestinatio sit causa mediorum, quae conducunt ad gloriam: reprobatio autem non est causa ejus, quod conducit ad poenam, scilicet culpae: unde potest Deus gratis velle dare alicui gloriam ut praemium, antequam ex ejus parte praevideat merita, quia ipse est, qui illa confert: at ejus justitiae et bonitati repugnat, quod velit alicui poenam antequam aliquod demeritum ex ejus parte praevideat. Et sic praeoccupatae manent praecipuae objectiones.

§. II. *De motivo reprobationis negativae*

Impugnatur exclusio positiva a gloria titulo beneficii indebiti.

Concertatio hic nobis est cum quibusdam Thomistis, qui reponunt reprobationem *negativam* tam Angelorum, quam hominum in exclusione *positiva* a gloria tamquam a beneficio indebito, sicque esse gratuitam, et ante praevisa demerita. Ex hac autem intentione excludendi positive a gloria, volunt Deum progredi ad praeparandum medium, quo haec exclusio habeatur, scilicet permissionem peccati, qua praevisa, sic exclusis decernit aeternam damnationis poenam, nempe poenam sensus, et poenam damni, quae est ipsa exclusio a gloria, non amplius ut a beneficio indebito, sed tamquam poena pro culpa; nolunt enim primam exclusionem a regno esse poenam, sed tantum secundam. Quia, inquiunt, prima est mera negatio rei indebitae, secunda est privatio propter culpam. Sicut, si Rex deneget alicui dignitatem, quae ipsi non debetur, non est poena; si autem ipsi deneget propter ejus demerita, alioquin concessurus, est poena. Ita Alvares, Salmantic.; Joan. a S. Th. Gonet, Contenson et alii.

Nos vero cum aliis hujusmodi reprobationem *negativam* non agnoscimus, cujus ne vestigium reperimus in S. Thom. eamque duriorem arbitramur. Dicimus autem cum S. Doct. ut patet ex articulo praecedenti, reprobationem *negativam* nihil aliud esse, quam voluntatem permittendi, ut aliqui sua voluntate, et culpa deficiant a gloria, eamque concedimus esse ante praevisa demerita, ut dicemus postquam praesentem quorundam Thomistarum opinionem ut minus veram, ostenderimus. Unde

Dico: Deus neminem positive excludit a gloria titulo beneficii indebiti, et ante praevisa demerita. Sicque reprobatio *negativa* non est voluntas excludendi a gloria ante culpam, sed est voluntas permittendi, ut aliqui sua culpa excidant a gloria. Ita post Capreol. Cajet. Ferrariensem, Nazarium, Marcum Serra, doctissimi Patres Gaudin, Graveson et alii a quibus quae hic dicturi sumus, magna ex parte mutuabimus. Prob. 1. argumento desumpto ex Scriptura. Juxta Scripturam, et praesertim Apostolum, Deus quantum ex se est, vult sincere, ut omnes salvi fiant, ita ut eorum damnatio ex ipsis solis proveniat: atqui si Deus ante omnem culpam, ex parte reprobi praevisam, decrevisset *positive* eum a gloria et salute aeterna excludere, atque ad id, ut ad finem a se intentum me-

dia conquireret, palam est, quod quantum est ex se, non modo non vellet eum salvari, sed contra vellet eum a salute excludi, et in aeternum perire. Ergo ante peccatum non fuit talis voluntas in Deo, sed nuda permissio, ut quidam sua voluntate, et culpa a vita aeterna exciderent.

Haec ratio confirmatur, et explicatur. Voluntas consequens excludendi a salute propter circumstantiam culpae ex parte reprobi, non obstat voluntati salvandi, quantum est ex parte Dei. Non enim repugnat, quod Deus aliquos quantum est ex se, velit salvare, quos tamen, attenta eorum culpa, vult reipsa damnare ut explicatur exemplo judicis, qui vult furem occidi propter culpam, quem vellet ante culpam vivere. Sed voluntas consequens excludendi a salute, et gloria citra omnem culpam, nullatenus stat cum voluntate antecedente salvandi, quantum est ex parte Dei. Qua enim alia circumstantia praeter culpam posset moveri Deus, ut citra contradictionem vellet consequenter excludere a gloria, et salute, quos antecedenter quantum ex se est, vult salvari? Non ut ostendatur defectibilitas liberi-arbitrii, non ut sinat creaturas suos motus agere, non ut agnoscamus gratiae necessitatem, non ut ostendatur gratiam efficacem nemini esse debitam, non ut magis splendeat aliorum virtus, aut aliae similes circumstantiae: ad haec enim omnia nihil conducit exclusio a gloria ante praevisam culpam, sed ista omnia fluunt ex sola permissione culpae. Si dicas, ut ostendatur gloriam nemini deberi. R. Id sufficienter ostendi permittendo, ut aliqui ab illa deficiant. Insuper ordinatis ad gloriam per voluntatem antecedentem eam aliquo sensu deberi, dicam modo.

Prob. 2. Ex S. Th. qui in explicanda reprobatione numquam meminit illius voluntatis positivae excludendi a gloria ante culpam, sed eam explicat per nudam permissionem deficiendi a fine ultimo, et cadendi in culpam, eaque supposita infligendi damnationis poenam. *Pertinet*, inquit S. D. 1. *p. q.* 23. *a.* 3. *o. ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab isto fine* (gloriae) *deficere, et hoc dicitur reprobare.* Et in fine corporis: *Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis poenam pro culpa.*

2. Deus unumquodque vult, secundum quod habet rationem boni, atqui quod aliquis ordinatus ad gloriam, ut ad suum summum bonum, ab ea excludatur, non est secundum se bonum, sed solum, si ea per culpam se indignum praebeat; unde reipsa in executione nemo ab ea nisi propter culpam excluditur, imo secundum ordinem justitiae aliter fieri nequit. Ergo.

Confirmatur: Deus non vult poenam ante culpam, ut concedunt adversarii: atqui exclusio a gloria in aeternum est gravissima poena, et summa miseria, imo ipsa essentialis damnatio, nempe poena damni: ergo.

Scio adversarios respondere exclusionem a gloria in executione, ut est privatio beatitudinis propter culpam, esse quidem damnationis poenam, at non item in intentione tamquam a beneficio indebito. Sicut, inquiunt, si Rex dignitatem alicui deneget, cui non debetur, poena non est; si autem eam deneget propter culpam, alioquin concessurus, poena est. Sed contra 1. gloria, sive sit beneficium debitum, sive non, de quo modo, ut tamen res se habent, est summum, et unicum verum bonum creaturae rationalis, extra quod nihil ipsi superest, nisi summa miseria. Ergo quovis titulo ab illa excludatur, excluditur a summo, et unico suo bono, et in summam miseriam dejicitur. Ergo quovis titulo ante culpam decernatur haec exclusio, nihil est aliud, quam summam miseriam ante culpam decernere. Idque verius est, quod supposita elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, naturalis ejus felicitas ita conjuncta est cum supernaturali, ut extra supernaturalem, naturalis haberi nequeat. Unde excludi a supernaturali est excludi a naturali, quapropter si Deus ante culpam voluit excludere reprobos

a gloria, eo ipso voluit eos excludere a felicitate sua naturali, idest voluit innocentes [in aeternum supernaturaliter, et naturaliter esse miseros. Et hinc non juvat adversarios, sed potius ipsis obstat exemplum allatum. Esto enim poena non sit, cum Rex denegat alicui dignitatem ipsi non debitam, sine qua felicem vitam ducere potest; si tamen aliquem ad certam dignitatem ita ordinasset, ut in ea tota ejus felicitas consisteret, et sine ea summe miser esset; hoc ipso, quo eam denegaret, eum a tota sua felicitate dejiceret, et summe miserum efficeret. Cum ergo Deus ordinaverit omnem creaturam intellectualem ad gloriam, ut ad suam felicitatem, ita ut extra eam nonnisi misera esse possit tam naturaliter, quam supernaturaliter quovis titulo eam a gloria excludat, miseram constituit.

2. Responsio adversariorum falsum supponit, nempe gloriam se habere ad reprobos, ut aliquid prorsus indebitum. Nam hoc ipso, quo homo ordinatus est a Deo ad gloriam; gloria, vi hujus ordinationis fit ipsi quodammodo debita; ad illamque habet jus saltem inchoatum, non quidem suis meritis innixum; sed fidelitati, et sinceritati divinae ordinationis, a quo ideo Deus ipsum excludere non potest, nisi per suam culpam ea se praebeat indignum.

Prob. ultimo ex implicantia sententiae oppositae. Dicunt adversarii Deum in negotio reprobationis incepisse ab intentione manifestandi justitiam suam punitivam, et vi hujus intentionis, statim exclusisse reprobos a gloria ut a beneficio indebito, postea decrevisse permittere culpam: atqui exclusio a beneficio indebito et ante culpam, est medium prorsus incongruum imo repugnans ad ostensionem justitiae punitivae, ut patet, quia potius ostendit justitiam punitivam in ea non habere locum: ergo.

Dicendum itaque firmiterque tenendum arbitramur Deum ante culpam non modo non velle aliquos excludere a gloria, sed etiam velle quantum ex se est omnes ad eam pervenire, secundum tamen, quod eorum conditio et suae sapientiae ordo patitur, eaque est voluntas sincere omnes ordinans ad gloriam, et illis media praeparans. Sed quia liberum arbitrium deficere potest, a solo autem Deo indeficientiam habeat, ideo ab aeterno proposuit Deus, quod quosdam permitteret deficere per suam culpam a gloria, sic enim postulabat et naturae defectibilis conditio, et providentiae ordo, et ipsum universitatis bonum splendorque justitiae, quae locum non haberet, si nulla culpa permitteretur, aut permissa per misericordiam deleretur: aliis vero proposuit auxilia efficacia apponere ne deficerent, sed ad gloriam infallibiliter pervenirent. Et sic facta est istorum electio, illorum vero reprobatio inchoata. Defectum vero culpae jam praevisum ordinat Deus in bonum justitiae ipsi decernendo poenam damnationis, et sic completur reprobatio, quae, ut dixi, est voluntas permittendi culpam, et pro culpa infligendi damnationis poenam.

Objic. Deus cum ordinate procedat prius intendit finem, quam media: Atqui in negotio reprobationis exclusio a gloria est finis, permissio peccati est medium: Ergo. Resp. Dist. Min. Exclusio a gloria est finis ad quem culpa permissa, et praevisa ordinatur, Conc. Min. Est finis propter quem culpa permittitur. N. Min. Non ergo Deus in negotio reprobationis incipit ab intentione excludendi a gloria, et ex vi illius intentionis eligit permittere peccatum tamquam medium ad hunc finem obtinendum. Sed sic res se habet: Primo vult complementum, et bonum totius Universi, postulans ut in eo sint omnium rerum ordines, atque inter alia ordo justitiae punitivae. Ex hac prima intentione non statim, et immediate intendit efficaciter excludere a gloria, quia exclusio a gloria ante culpam, quovis modo sumatur, non est medium ad ostensionem justitiae punitivae. Ex hac ergo prima intentione boni totius Universi postulantis ordinem justitiae, statim, et immediate vult simpliciter permittere culpam, deinde culpam permissam, et

praevisam ordinat ad poenam, quod est bonum, quia justum; est enim justum ut culpa paena plectatur, et in hoc relucet justitia.

Nec frustra negatur exclusio *positiva*, ut statuatur *permissiva*. Quia juxta hunc modum clarius intelligitur neminem voluntate Dei, sed sua solum culpa excidere a gloria, Deo ad id tantum permissive se habente, sicut, sive Deus culpam decernat decreto effectivo, ut vult Calvinus, sive decreto solum permissivo, ut volunt Catholici, perinde culpa infallibiliter sequetur, sed cum hoc discrimine, quod in priori hypothesi Deus erit Auctor peccati, non in secunda. Cum ergo Deus ut culpae, ita et perditionis (quae sita est in exclusione a gloria) non sit dicendus Auctor: sicut dicimus, Deum solum permittere peccatum, ita dicere debemus, Deum solum permittere, ut aliqui sua culpa a gloria deficiant.

§. III. *Asseritur motivum reprobationis negativae.*

Intelligimus semper reprobationem *negativam* prout hucusque definivimus, et defendimus ex D. Th. scilicet voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa a gloria deficiant. Potest autem considerari dupliciter, vel *absolute*, vel *comparate*; *absolute* ut est reprobatio aliquorum, *comparate* ut est reprobatio istorum potius, quam illorum, et de utraque quaeritur.

Dico primo. Motivum reprobationis *negativae absolute* sumptae non petitur ex demeritis praevisis reprobi, sed ex divina bonitate. Prob. prima Pars. 1. Ex illo Apostoli ad Rom. 7. *Antequam quidquam boni, aut mali egissent, Jacob dilexi, Esau odio habui*; quod odium, intelligitur de minori dilectione, qua quidam permittuntur suae defectibilitati absque auxiliis specialibus a defectu praeservantibus, quod est reprobare *negative*. Ex quo S. Aug. Epist. 105. lib. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 7. et lib. de praedest. SS. c. 7. ostendit nulla merita malae actionis esse causam reprobationis

Prob. 2. Reprobatio *negativa* praecedit peccatum reprobi, est enim, ut diximus, voluntas permittendi, ut aliqui peccent, et peccando deficiant a gloria: ergo peccatum reprobi non potest esse ejus motivum.

Prob. et explicatur secunda pars discursu D. Th. *Ex ipsa divina Bonitate ratio sumi potest praedestinationis aliquorum et reprobationis aliorum. Sic enim dicitur, Deus omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina Bonitas repraesentetur. Necesse est autem, quod divina Bonitas, quae in se est una et simplex, multiformiter repraesentetur in rebus, propter hoc, quod res creatae ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem universi, requiruntur diversi gradus rerum, quarum quaedam altum, et quaedam infimum locum tenent in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per modum misericordiae parcendo, et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiae puniendo. Et haec est ratio, quare Deus quosdam eligit, et quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apostolus ad Rom. 9. dicens: Volens Deus ostendere iram, id est vindictam justitiae, et notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit, in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam. Et 2. ad Tim. 2. dicit: In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia; quaedam quidem in honorem, quaedam in contumeliam* 1. *p. q.* 23. *a* 5. *ad* 3.

Igitur secundum D. Thom., et secundum rei veritatem motivum reprobationis petitur ex Divina bonitate, quam Deus voluit moltiformiter repraesentare, in electis per modum misericordiae parcendo, in reprobis per modum justitiae puniendo : adeoque bonum justitiae est ratio reprobationis negativae, non tamen est totalis, nec excludens alias rationes, ut sunt completio, et bonum Universi, quod privaretur multis bonis, si omnes defectus impedirentur, et munus Provisoris universalis, atque ratio Providentiae suavis, qua providetur unicuique secundum suam conditionem, et exigentiam, defectibilibus defectibiliter.

Dico 2. Reprobatio *negativa comparate* sumpta non habet rationem nisi divinam Voluntatem. Ita S. Th. *Sed quare hos elegit*, ait, *in gloriam, et illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Idque probat tum ex August. Tract. 26. in Joan. ubi dicit ; *Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare* : tum ab exemplis in naturalibus et artificialibus. *Sicut*, inquit, *in naturalibus potest assignari ratio* (cum prima materia tota sit in se uniformis) *quare una pars ejus est sub forma ignis, et alia sub forma terrae a Deo in principio condita ; ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus, sed quare haec pars materiae est sub ista forma, et illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate : sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, et ille in alia ; quamvis ratio artis habeat, quod aliqui sint in hac, et aliqui sint in illa.*

Ratio etiam evincit : In his enim qui pares sunt in defectibilitate non potest assignari ratio, cur unus prae alio permittatur a provisore deficere, praeter voluntatem provisoris : atqui omnes creaturae ad finem supernaturalem ordinatae perinde possunt per peccatum ab illo deficere, et a solo Deo habent quod non deficiant : ergo ex sola Dei voluntate pendet, ut hi potius, quam illi permittantur deficere.

Et haec ratio concludit in omni sententia. Nam certo constat in omni sententia Deum potuisse omnes, qui peccant et pereunt, abundantioribus auxiliis collatis a peccato et perditione servare, sicut alios servavit, aut saltem potuisse illos constituere in tali rerum serie, in qua datis communibus auxiliis bene usi fuissent. Quare autem non fecit ? Quia noluit.

Dices : Deus neminem deserit, nisi prius ab eo per peccatum deseratur, ut dicit Trid. Atqui velle permittere, ut aliqui deficiant a gloria, quod est reprobare *negative*, est illos deserere : ergo Deus aliquos non reprobat *negative*, nisi praesupposita culpa, per quam deserantur. R. 1 Plures intelligere dictum in majori, de desertione per subtractionem gratiae sanctificantis, quam Deus nemini subtrahit, nisi propter peccatum praecedens, non vero de desertione per subtractionem gratiae actualis.

R. 2. Dato hanc desertionem esse intelligendam de subtractione gratiae actualis, D. maj. Deus neminem deserit proprie, nisi prius ab eo deseratur, C. maj. Improprie. N. maj. Deus itaque duplici modo intelligitur deserere aliquem : 1. Permittendo eum suae defectibilitati ; seu ipsum a peccato non praeservando per auxilium speciale et efficax indebitum, nihil tamen aliunde ab eo subtrahendo de auxiliis ordinariis, quibus, si non resisteret, perveniret ad bonum, et haec est desertio impropria, ad quam non est necesse, quod homo prius deserat Deum per peccatum, cum permissio peccati in eo modo deserendi includatur, ut patet. 2. Deus intelligitur, hominem deserere dum ab eo auxilia communia, et protectionem ordinariam, quam habet erga bonos, subtrahit ; et hoc est proprie deserere quo modo Deus neminem deserit, nisi prius per peccatum ab eo deseratur : haec secunda derelictio est poena, non prima.

Tandem, ut dixi et dicemus in Tractatu de Gratia, Deus conferendo gratiam sufficientem habet voluntatem antecedentem conferendi efficacem, si homo

propria et mala voluntate non resistat sufficienti: et sic verum est, hominem privari propter culpam gratia efficaci, quam Deus in collatione sufficientis volebat voluntate antecedente illi dare. Posset quidem Deus malam voluntatem impedire, sed ut provisor universalis, et propter altiores fines, vult voluntate consequente per subtractionem istius abundantioris auxilii ipsum permittere suae malae voluntati: et ita etiam verum est, cum ob culpam privari illa abundantiori gratia efficaci, qua reipsa praeservaretur a defectu, et mala voluntate.

§. IV. *Utrum peccatum originale sit motivum reprobationis hominum?*

Ut certa ab incertis secernamus; suppono 1. peccatum originale fuisse motivum sufficiens reprobationis omnium hominum: hoc est, Deum jure potuisse, si voluisset, propter peccatum originale reprobare omnes homines; siquidem, secundum Scripturas, nascimur *filii irae*, et rei mortis tam temporalis, quam aeternae; unde quaestio est, utrum reipsa propter illud facta sit hominum reprobatio.

Suppono 2. Nihil obstare quominus peccatum originale in iis, in quibus non remittitur, ingrediatur de facto motivum reprobationis eorum, cum sit ante reprobationem praevisum: et propter illud reipsa aliqui damnentur.

Suppono 3. peccatum originale, in quibus remissum est, posse dici duplici sensu concurrere ad reprobationem: quatenus est fons et origo peccatorum actualium; ob quae, si sint finalia, homines reprobantur: et hoc sensu peccatum originale potest dici motivum reprobationis eorum, quibus est remissum, non *formaliter* et *in se*, sed *radicaliter*, et in suis effectibus: et hoc est dicere, non quod peccatum originale, sed peccatum actuale ex originali promanans sit motivum reprobationis.

2. Quia, licet peccatum originale, prout est macula personae, deleatur per Baptismum, non tamen deletur prout est infectio naturae, etenim per peccatum originale infirmitas naturae est aucta, et concupiscentia effecta magis effrenis, et haec remanent deleta culpa: unde fit, quod homo sit defectibilior et proclivior ad peccatum, atque ob hanc majorem defectibilitatem, et proclivitatem, magis exigat ex sua conditione, ut permittatur deficere. Sicque peccatum originale in quibus remissum est, ratione hujus majoris defectibilitatis et ardentioris concupiscentiae, quas causavit, et quae, ipso quoad culpam deleto, remanent, potest dici concurrere ad reprobationem: At, quod bene advertas, ista major infirmitas, seu defectibilitas non concurrit ad reprobationem, ut motivum illius, sed tantum ut conditio sine qua non, seu ut dispositio, seu aptitudo ex parte materiae, sicut vilitas luti non est motivum cur figulus fingat quaedam vasa in contumeliam. Quantumvis enim natura foret defectibilis, Deus non permitteret eam deficere, nisi propter aliquod bonum, ut jam antea observavimus, quod autem natura defectibilis, culpam non habens, permittatur deficere praecise, et secundum se non habet rationem boni, sed quatenus iste defectus ordinatur ad aliquod bonum: ergo haec naturae infirmitas, per peccatum originale aucta, non potest dici motivum, ob quod Deus permittat aliquos deficere; sed, ut dictum est, se habet tantum ut conditio sine qua non, seu ut dispositio materiae ad deficiendum: motivum autem repeti debet ex aliquo bono, quod Deus ex illo defectu intendit, ut est bonum universi, manifestatio attributorum maxime justitiae etc. His suppositis.

Dico: Peccatum originale non est motivum reprobationis eorum, quibus remissum est. Prob. 1. Scriptura saepius testatur, peccata remissa peccatori non nocere, nec Deum illorum recordari: sic Ez. 33. *Impietas impii non nocebit*

ei, in quacumque die conversus fuerit. Et cap. 18. de impio poenitente: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et Concil. Trid. sess. 5. can. 5. ubi de peccato originali sic definit ex Apost. Rom. 8. *In renatis nihil odit Deus; quia nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptismum.* Atqui si propter peccatum originale Deus reprobaret illum, cui remissum est, istud illi noceret, illius Deus recordaretur, aliquid in illo odio haberet, et aliquid damnationis in illo remaneret: ergo.

Confirmatur: Per Baptismum ita Deus reconciliatur homini, ut illi plene condonet peccatum et peccati poenam tam aeternam, quam temporalem: atqui prorsus repugnat, tam plenae et sincerae reconciliationi, quod Deus peccatum sic condonatum retineat, ut motivum reprobationis, haec enim duo sunt incompossibilia. Volo efficaciter condonare peccatum originale; et volo efficaciter reprobare propter illud, seu in poenam illius. Sicut incompossibilia sunt, quod judex sincere condonet peccatum homicidae, et tamen velit propter illud homicidam suspendi: quae tamen admittere debet sententia opposita: ergo.

Prob. 2. S. Aug. de cor. et grat. c. 8.: quaerit rationem et causam, propter quam Deus eos, quibus suam gratiam largitus est, et peccatum originale dimisit, reprobet, denegando donum perseverantiae, quae est, inquam, ipsissima quaestio, quam in praesenti versamus; hanc autem non solvit recurrendo ad peccatum originale, uti facere debuisset, si peccatum originale in iis, quibus est remissum, agnovisset esse causam, et motivum eorum reprobationis, sed respondet simpliciter se nescire, et confugit ad inscrutabilia Dei judicia. *Si a me quaeratur*, inquit, *cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, qua Christiane viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Et; o altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus! ..... Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam, cum filiis alienis tanta scelera dimittat, atque, impertita sua gratia, faciat filios suos: quis hoc non miretur?* Similiter S. Th. quando ex professo agit de reprobatione, ut hic a. 3. eam non refert ad peccatum originale, ut ad causam, sed ad quaedam generalia principia Angelis, et hominibus communia, ut sunt: defectibilitas naturae, ratio providentiae generalis, quae quosdam defectus permittere debet, et propter illos poenam infligere, ad manifestationem suae justitiae.

Sed dices: 1. S. Aug. agens contra Pelagianos, continuo recurrit ad peccatum originale, ut ad motivum reprobationis in hominibus. *Qui liberatur*, inquit, cap. 8. de dono persev. *a massa perditionis, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat.* Et Epist. 105. *Quaerimus meritum obdurationis, et invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est.* 2. ibid. *Quid Deus diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum suae misericordiae donum? Et quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?*

R. 1. Verba Aug. si non explicentur, importare omnes homines non solum in *intentione*, sed etiam in *executione* obdurari, reprobari, damnari propter originale peccatum, quod non admittunt adversarii, nec ullus Catholicus admittere debet in iis, quibus per baptismum remissum est.

R. 2. D. Ant. S. Aug. agens contra Pelagianos, continuo recurrit ad peccatum originale, ut ad motivum sufficiens reprobationis, C. Ut ad motivum reipsa acceptatum, N. Explicatur; contendebant Pelagiani, Deum fore injustum acceptorem personarum, si alios prae aliis reprobaret absque praevisis demeritis. Ad hanc quaerelam compescendam respondet Aug. nemini justam esse causam

conquerendi, cum omnes sint in massa perditionis per peccatum originale, et inde in se habeant sufficiens motivum reprobationis. Utrum vero istud motivum fuerit acceptatum de facto, in iis quibus remissum est, in his locis non discutit Aug. quia id non requirebat instantia Pelagianorum; sed alibi, quando hanc quaestionem ex professo tractat, non solum id non asserit, sed e contra dicit, se hujus reprobationis causam ignorare, ut vidimus.

R. 3. S. Augustinum saepe referre reprobationem ad peccatum originale non *formaliter*, et *in se* sed *radicaliter*, et ratione suorum effectuum, scilicet vel peccatorum actualium, quae ex originali oriuntur, vel ratione majoris infirmitatis, et defectibilitatis ex peccato originali relictae, non quod haec sit motivum reprobationis, sed quia ad illam concurrit ut est conditio, et major dispositio ad deficientiam; ut diximus supra.

R. Ad Secundum. 1. Haec verba, nisi explicentur, nimis probare. 2. intelligenda esse sic, ut peccatum originale fuerit motivum sufficiens odio habendi et reprobandi Esau; non enim certum est, Esau esse reprobatum, quantum ad damnationem aeternam. 3. Posse intelligi de peccato originali, quantum ad ejus effectum, majorem scilicet infirmitatem, quae, ut dictum est, suo modo concurrit ad reprobationem. Sed secundum hanc intelligentiam, odium non sumitur stricte, sed late pro minori dilectione, ut interpretatur S. Thomas *hic a.* 3. *ad* 1. et in 3. *d.* 32. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 4. quo etiam modo accipitur odium patris et matris *Lucae* 14. Unde sensus est, quod Deus Esau ex peccato originali natura vitiatum, et in malum procliviorem suae infirmitati permisserit, dum Jacob eadem labe infectum, speciali misericordia protexit: sicque in Jacob dilexit misericordiam, et in Esau odio habuit peccatum originale, id est, minus dilexit non succurrendo infirmitati contractae ex peccato originali. Iisdem solutionibus excipienda sunt quaedam similia testimonia S. Thomae.

Articulus IX.

De effectibus reprobationis.

Per effectum reprobationis intelligimus quidquid sit a Deo ex intentione manifestandi suam justitiam per reprobationem aliquorum, ut patet ex definitione reprobationis.

Ut aliquid ergo sit effectus praedestinationis, diximus tres conditiones requiri, ita ad hoc, ut aliquid sit effectus reprobationis, tres conditiones requiruntur. 1. Ut sit a Deo, quia cum reprobatio, et ejus executio sit a Deo, ita et ejus effectus. 2. Ut sit ex intentione manifestandi justitiam divinam, quia intentio efficax finis est causa mediorum, quae assumuntur ad illum finem assequendum. 3. Quod conducat efficaciter ad illum finem, quia intentio Dei efficax frustrari non potest.

Ex his inferes 1. peccatum non esse effectum reprobationis, quia nec est nec esse potest a Deo. Et haec est disparitas inter praedestinationem et reprobationem, nam praedestinatio est causa et ejus, quod expectatur in futura vita a praedestinatis scilicet gloriae, et ejus, quod percipitur in praesenti scilicet gratiae; reprobatio vero non est causa ejus, quod est in praesenti, scilicet culpae, sed est causa derelictionis a Deo: est tamen causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet poenae aeternae. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, et a gratia deseritur: et secundum hoc verificatur dictum Prophetae; *Perditio tua ex te Israel.*

Inferes 2. Permissionem peccati non remittendi, denegationem gratiae, excaecationem, obdurationem, ac tandem aeternam damnationem esse proprios ef-

fectus reprobationis : quia haec habent tres conditiones requisitas, sunt namque a Deo ex intentione manifestandi suam justitiam et ad hunc finem efficaciter conducunt.

Dixi *Permissionem peccati non remittendi* : quia permissio peccati remittendi non conducit efficaciter ad finem reprobationis, et est potius effectus providentiae generalis, ad quam pertinet quosdam defectus permittere, quam reprobationis.

Inferes 3. Dona naturalia ut substantiam reprobi, nativas ejus dotes etc. et supernaturalia, ut gratias sufficientes, non esse effectus reprobationis : quia licet reprobus ex malitia sua illis abutatur in suam damnationem ; ex se tamen ad illam non ducunt, nec ea intentione a Deo conferuntur. Unde S. Prosper ad object. 3. Vincent. dicit : *Alia est causa nascendi, et alia est pereundi : ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium : ut autem pereant, praevaricatoris est meritum.*

Ad id vero, quod objicitur ex Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum.* R. Sensum esse, Deum ordinare, et reservare peccata impii, qui impietatem non deserit, in diem malum, hoc est in punitionem ejus, per quam justitia Dei et ejus gloria manifestabuntur.

TRACTATUS

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO

D. Thom. a quaest. 27. ad 43.

DISSERTATIO PROOEMIALIS

DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS.

Articulus I.

Recensentur praecipuae haereses adversus SS. Trinitatis mysterium.

Tres fuerunt praecipuae haereses adversus hoc Mysterium. Prima fuit Sabellii, qui negavit distinctionem personarum. Secunda Arii, qui negavit earum consubstantialitatem. Tertia Macedonii, qui divinitatem Spiritus Sancti impugnavit. Ad haec tria capita omnes in hac materia haereses revocari possunt.

Sabellianismus.

Hujus haereseos auctor fuit Praxeas ex Asia sub initium 3. saeculi. Hic cum filium incarnatum non distingueret a Patre, Patrem cruci fuisse affixum asserebat, unde hujus haereseos patroni *Patripassiani* dicti sunt. Sabellius Noeti discipulus circa an. Christi 257. hanc haeresim instauravit, et celebriorem fecit:

unde dicti sunt *Sabelliani*, qui eam propugnavere. In hoc ergo versabatur error Sabellianorum, quod unam tantum in Deo personam agnoscerent, quae tamen propter diversos effectus aut munia diceretur, Pater, Filius, et Spiritus S. Pater prout ingenita, et creandi principium; Filius prout incarnata; Spiritus Sanctus prout sanctificans animas, sicut idem sol dicitur illuminativus, calefactibus et productivus, quia habet virtutem illuminandi, calefaciendi, et producendi; hoc exemplo utebantur. Photini Episc. Sirminiensis error erat Deum solitarium esse more Judaico confitendum, nullam Verbi Divini, aut Spiritus S. esse personam, sed unam esse Patris, et Filii et Spiritus S. operationem. Sabellii haeresi affinis erat illa Pauli Samosateni qui Patrem ajebat illum esse Deum, qui omnia creasset, Filium purum illum hominem; Spiritum illam gratiam quae super Apostolos veneral. Haec Haeresis fuit damnata in concilio Antiocheno an. 170., Alexandrino an. 319., Mediolanensi an. 347., et Sirmiensi an. 351.

Arianismus.

Arius ex Lybia asseruit unum esse verum Deum proprie dictum, nempe Patrem, solum aeternum, solum verum etc. qui Filium unigenitum genuit; hunc autem Filium seu Verbum non esse consubstantialem Patri, sed creaturam perfectam, ex nihilo seu ex non extantibus creatam, fuisse tempus cum non esset, mutationi obnoxium esse, participatione tantum et principatu gratiae, nomine Deum dictum. Hinc hymnum glorificationis invertit, suos cantare docens: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.*

Ariana haeresis progressu temporis in tres sectas divisa est. Prima Filium Dei in omnibus dissimilem propugnabat, unde *Anomaei*, id est dissimiles, dicti. Hujus principes erant Aetius, Eunomius, Eudoxius. Secunda secta fuit Semi-Arianorum, qui *homoousion* seu Filium Patri consubstantialem negabant, sed per omnia similem asserebant, adeoque *Katousion* dicebant, et *homoiousion*, id est similem Patri. Cujus factionis Principes inter alios fuere Basilius Ancyranus, Macedonius Constantinopolitanus. Tertia secta fuit Acacianorum a suo principe Acacio Episcopo Caesariensi dicta. Haec Filium praedicabat, non consubstantialem Patri, neque unam ex creaturis, sed similem, non tamen substantia, vel *ousia*; unde neque *homoousion* cum Catholicis, neque *homoiousion* cum Semi-Arianis neque *anomoion* cum Anomaeis, sed *homoion* propugnabat, hoc est similem Patri, qualiter statua est similis homini, quem repraesentat. Haec haeresis damnata est in Concilio Nicaeno sub S. Sylvestro.

Macedonianismus

Macedonius Episc. Constantinop. an. 360. suam haeresim disseminare coepit, asserens *Spiritum Sanctum non esse ejusdem cum Patre et Filio substantiae, sed utriusque ministrum ac creaturam*, unde etiam *Pneumatici* dicti sunt, id est Spiritus Sancti impugnatores. Haec haeresis damnata est in Concilio Oecumenico II. quod est Constantinopolitanum. I. celebratum an. 381. Kalendis Maii, Damasi Pontificis anno 15. Imperantibus Valentiniano, Theodosio seniore, et Gratiano. In eo non solum Macedoniani, sed et Photiniani, Sabelliani, Apollinaristae et iterum Ariani anathemate fuerunt confixi, ut constat ex 1. ejus Canone. Item editum est symbolum, quod canitur nunc in Ecclesia, nullatenus tamen diversum a Nicaeno, nisi secundum majorem explicationem, ut infra dicemus.

SOCINIANISMUS

et alii errores circa Mysterium Sanctissimae Trinitatis.

Sub Socinianorum nomine comprehendimus eos omnes, qui circa medium saeculi 16. jam dudum sopitas Sabellii, Arii, et Macedonii haereses suscitarunt, quorum duces praecipui fuere plures de grege Lutheranorum et Calvinistarum, inter quos Laelius Socinus, et Faustus Socinus, Laelii nepos, Calvinista, Senenses. Hi omnes, licet plura circa Trinitatem impia dogmata non uno, sed diverso, et confuso modo traderent et ventilarent inter se, in hoc tamen omnes convenere, ut SS. Trinitatem negantes dicerent Patrem et Filium et Spiritum Sanctum tres quidem esse, non tamen tres personas, nec ejusdem substantiae, solum Patrem verum esse Deum. Unde *Trinitarii*, *et novi Ariani* vocati sunt: sed frequentius Sociniani a Fausto Socino, qui hanc sectam celebriorem fecit, et latius disseminavit, maxime per Poloniam, et Transilvaniam, unde etiam dicti Transilvani. Hic inter alia docebat cum Sabellio, *in essentia divina unicam esse personam Patris, et implicare Deum unum in essentia et trinum in personis.* Cum Ario, *Filium Dei, seu Christum nec personam divinam esse, nec Deum*: appellari tamen Deum metaphorice, et improprie *ob potestatem sublimem, a Patre vero Deo participatam.* Cum Macedonio, *Spiritum S. esse quidem virtutem, et efficaciam Dei, sed non inde sequi personam esse divinam.*

Errantibus contra Trinitatem adjungi possunt Gentiles, Judaei, et Mahumetani, qui cum Deum esse agnoscant, trinum in personis negant: *Impossibile est*, inquit Mahumetes, *Deum generare Filium, quia uxore caret.* Dignam suo Auctore sententiam!

Error Abaylardi in hoc situs erat, quod attributa divina partiretur inter personas, non adaptatione, aut appropriatione, ut fit in Theologia, sed partitione et consignatione, et sic dicebat Patri competere omnipotentiam, Filio sapientiam, Spiritui S. bonitatem, et quia sapientia deservit potentiae eam dirigendo, non bonitas; hinc dicebat Patrem esse plenam potentiam, Filium quamdam potentiam, Spiritum Sanctum nullam potentiam. His iterum annumerantur Abbas Joachim, qui circa an. 1190. tres personas non esse unam essentiam numero, sed collective asserebat; Raymundus Lullus, qui dicebat tres Personas esse tres essentias, unde et Tritheitae tres Deos asserentes.

Haeretici, qui scripturas admittunt, earum auctoritate sunt revincendi: Judaei pariter ex veteri Testamento: Gentiles motivis credibilitatis nostrae Religionis, et solutione implicantiarum, quas objiciunt: Mahumetani vero, qui ex praecepto sui auctoris sunt ignorantissimi, rationum pondere non ducuntur: unde vix ullus cum eis disputandi locus relinquitur. Monet tamen S. Damascenus in libro de haeresibus circa finem quaerendum ab eis, quo testimonio, quibus miraculis, qua auctoritate habeant Mahumetem ut verum Prophetam, sicut constitit Mundo de Moyse, et de aliis Prophetis, nec non de ipso Jesu Nazareno, quem honore ducit Mahumetes, licet non ut Deum. Respondent ipsi Mahumetem, haec, quae sancivit, accepisse a Deo sine testibus dum dormiret: bene, sed unde haec sciunt? Et cur homini vili, somnia sua narranti, sine testibus in re tam momentosa fidem adhibent, maxime cum ipse in suis scriptis vetuerit, ne quid scriberetur, aut fieret sine arbitris? ut dicit idem Damascen. loc. cit. Caeterum, quia ipse in suo Alcorano testimonium reddit Evangelio, inde, et ex aliis Scripturis contra ejus Sectarios agi potest; non est enim ratio, cur in uno admittant Evangelium, et in alio respuant, cur dicant hic esse vitiatum Evangelium, non illic, nisi evidenter probent, quod est ipsis impossibile. Quod si nullam admitterent

Scripturam, cum ipsis sicut cum Ethnicis agendum esset, atque per miracula, et testimonia extrinseca credibilitatis nostrae Religionis forent revincendi, et insuper ipsis ostendere absurditatem suae Religionis, rationi nullatenus consonae.

Articulus II.

De veritate et existentia mysterii SS. Trinitatis.

Mysterium hoc in eo situm est, quod sit unus numero, et individualiter Deus in tribus personis, seu una, et eadem individua essentia divina in tribus personis realiter distinctis, Patre ingenito, Filio genito, Spiritu S. procedente. Quod ut probemus, et Personarum distinctio, ac pluralitas contra Sabellianos, et earum consubstantialitas adversus Arianos, et Macedonianos est stabilienda. Itaque sit.

§. I. *Distinctio, seu pluralitas Personarum adversus Sabellianos asseritur ex Scripturis.*

Sabellius, ut jam dixi, unicam in Deo Personam agnoscebat, vel si mavis, tres eo dumtaxat sensu, quo unus homo dicitur plures Personas gerere. Sic dicebat unam eamdemque Personam, creatione dici Patrem, incarnatione Filium, sanctificatione animarum Spiritum S., confundens praepostere id, a quo nomen impositum est, cum eo, ad quod significandum nomen est impositum: licet enim nomen personae a personando, seu repraesentando plures personas, ut fit in comoediis, originem ducat, usurpatur tamen ad significanda diversa supposita, ut dicam infra. Contra hos igitur et Socinianos, qui dicunt Spiritum S. non esse personam, sed accidens, seu virtutem et efficaciam Dei

Prob. assertio. Scripturae passim ponunt in Deo aliquam distinctionem, et pluralitatem, quae non potest esse nisi personarum, et non tantum vel attributorum, vel officiorum, vel effectuum, quae sunt omnia Sabellianorum, et Socinianorum effugia. Ergo. Prob. ant. 2. Juxta Scripturas datur in Deo vera Paternitas, et vera Filiatio: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Ps. 2. Quae verba de Christo et vero Filio Dei esse dicta testatur Apost. Act. 13. v. 34. inde probans divinitatem et resurrectionem Christi, quod etiam patet ex verbis subjunctis: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*; quod nulli nisi Christo convenire potest. *Ego exivi a Patre.* Jo. 16. *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Jo. 1. *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus.* Jo. 14. *Ut simus in vero Filio ejus.* Prima Jo. c. ult. per totum et alibi continuo. Atqui Paternitas et Filiatio necessario exigunt distinctionem suppositorum, et personarum, ut docet S. Th. 4. con. Gen. c. 5. Non enim pes vel manus, non accidens ut color vel calor, non diversa attributa, aut diversa ejusdem personae officia, non diversa ad varios effectus ejusdem personae connotatio, dicitur Pater aut Filius; sed ille solum est et dicitur Filius, qui est persona realiter procedens ab altera in similitudinem naturae ipsius. Ergo

2. Ponitur in Deo processio unius ab alio cum iis terminis, quibus solae personae significantur, non proprietates aut officia aut effectus, ut, *Ego, tu, ille, hic, alius* etc. *Ego hodie genui te*, Ps. 2. *Ego ex Deo processi* Jo. 8. *Hic est Filius meus dilectus.* Luc. 9. De S. Spiritu *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Jo. 19. *Alium Paraclitum dabit vobis.* Jo. 14. Non enim pes, vel manus, bonitas, vel sapientia potest dicere, *Ego feci, tu fac.* Nec eadem persona secundum diversa officia, vel effectus potest dicere de se ipsa, ille fecit, alius fecit, tu fac, feci te, ego genui te, ego processi ex te, ille me clarificabit, ille de meo accipiet etc. Ergo.

3. Ponitur in Deo plurium societas, qua unus sit cum alio, *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Jo. 16. Atqui haec pluralitas, seu numerus secundum societatem necessario de personis distinctis intelligitur, non de eadem persona ratione diversorum vel attributorum, vel officiorum, vel effectuum. Ergo.

4. Christus Jo. 8. dicit Judaeis: *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est*, et, *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso: et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Ubi Christus, quia in humanis verum est testimonium, ubi sunt plures personae testificantes, inde probat suum testimonium esse verum, quia ipse et Pater testantur de ipso: ergo vel ruit tota ratio Christi, vel ipse et Pater sunt personae distinctae, non eadem persona diversa habens vel officia, vel attributa, vel effectus. Ergo.

5. Tandem, et quod rem plane conficit contra Sabellium, ponitur juxta Scripturas in Deo pluralitas, et numerus ante Incarnationem, ante sanctificatas animas, et mundi creationem, *In principio erat verbum.* Jo. 1. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*; Prov. 8. *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te.* Jo. 17. Item ponitur pluralitas in ordine ad eumdem effectum. *Quaecumque ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit.* Jo. 5. *Cum eo eram cuncta componens.* Prov. 8. *Omnia per ipsum facta sunt.* Jo. 1. *Portans omnia verbo virtutis suae*; ad Hebr. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae ..... Et omnia per ipsum et in ipso creata sunt*; ad Colos. 1. Falsissime ergo dixit Sabellius pluralitatem poni in divinis ratione diversorum effectuum, et eamdem personam dici Patrem quatenus creat, filium quatenus incarnatur, Spiritum S. quatenus sanctificat animas.

Et specialiter de Spiritu Sancto, quem Sociniani volunt esse dumtaxat accidens, seu qualitatem, scilicet virtutem, et efficaciam Dei. 1. Matth. 3., Marci 1., et Luc. 3. describitur historia baptismatis Christi, in quo referuntur tres personae, Filii qui baptizatur, Patris qui dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: et Spiritus S. de quo habetur; *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*: et Christus *vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se*: atqui proprium est personae, non accidentis aut qualitatis formam corporalem induere, sicut legimus Angelos sub specie humana se videndos exhibuisse. Ergo. Advertendum tamen est contra Socinianos; quod non ex eo quod descenderit sub specie unius columbae, colligimus, quod sit una persona, sed ex eo quod descenderit sub specie columbae, colligimus, quod sit persona; quia proprium est personae formam personalem induere, et insulsum foret dicere accidentia, seu qualitates hujusmodi formas induere. Quod autem unam vel plures formas induat, perinde est, sicut, sive sit una vel multiplex imago alicujus hominis, unus tantum est homo.

2. Matth. 28. Christus jubet suos baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus S. Ridiculum autem foret aliquem dici baptizari in nomine alicujus qualitatis: et sicut Pater et Filius sunt personae, ut concedunt Sociniani; ita et Spiritus S. qui ipsis associatur. Ergo. 3. Jo. 13. Christus dicit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum* (seu consolatorem) *dabit vobis*, ubi τὸ *alium* distinctam personam aperte importat. Ergo. 4. Actiones, quae nonnisi personis sunt propriae, tribuuntur in Scripturis Spiritui S. Tribuitur loqui. Matth. 10. v. 19. 2. Docere. Jo. 6. v. 13. 3. Testimonium dicere. Jo. 15. v. 26. 4. Futura praenunciare. Jo. 16. v. 13. 5. Intelligere profunda Dei. 1. Cor. 2. v. 10. 6. Praecipere, ut aliqui assumantur in ministerium apostolicum, et illos in eo gradu constituere. Act. 13. v. 2. 7. Distribuere dona gratiarum prout vult. 1. Cor. 12. v. 11. Hae autem actiones nonnisi personis conveniunt. Ergo.

Ad solutionem objectionum notanda sunt 1. Ex hoc quod aliquae locutiones

Scripturarum sint aliquando et in certis locis figuratae, malè infertur, quod semper et ubique sint figuratae; sed ex subjecta materia, et rebus, de quibus est sermo, ex circumstantiis, ex iis, quae praecedunt et sequuntur, aestimandum est, an Scriptura loquatur figurate, vel non. Figuratae locutiones adhibentur, quando res est perspicua, et nullum subest errandi periculum; omnibus autem est perspicuum charitatem, legem, peccatum, sanguinem, aquam et similia, quae in Scriptura dicuntur loqui, et testari non esse personas. At vox *Spiritus* sonat substantiam, unde dum ipsi tribuuntur, quae sunt personarum propria, nemo est, qui non inducatur ut credat esse personam; quod ita verum est, ut omnes Christiani et Haeretici alii a Sabellianis et Socinianis firmiter credant Spiritum S. esse personam. Unde si quae Scriptura dicit de Spiritu S. intelligenda sint in sensu metaphorico, Deus Ecclesiae suae defecisset praebens apertam occasionem errandi in re tam ardua.

2. Metaphorae, quibus actiones personarum tribuuntur in Scripturis, charitati 1. *Cor.* 13., peccato *Rom.* 7., legi *Rom.* 3., aquae, sanguini 1. *Jo.* 5. et similibus, raro admodum et obiter adhibentur. At actiones personarum constanter et ubique tribuuntur Spiritui S. Metaphorae adhibentur inter docendum et arguendum; at raro aut nunquam dum res gestae simpliciter narrantur. S. Lucas vero Act. 13. nude et simpliciter narrat; *Dixit Spiritus S., segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Et c. 10. *Dixit Spiritus ei* (scilicet Petro), *ecce viri tres quaerunt te. Surge itaque, descende, et vade cum eis, nihil dubitans: quia ego misi illos.* Tam simplices narrationes, adjuncto pronomine *Ego, mihi*, aperte demonstrant Spiritum S. esse personam, quae jubet, assumit, mittit etc.

3. Tandem quamvis dona, virtutes, et gratiae quandoque in Scripturis nomine Spritus S. efferantur, quia ab illo sunt; ne tamen ullus esset errori locus, ipse Spiritus S. saepe ab illis in Scriptura secernitur; quod plane jugulat Socinianos; sic Luc. 4. *Regressus est Jesus in virtute Spiritus.* Act. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos.* 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus ...., Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu ..... Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Plura alia omitto, quorum quaedam referentur modo, dum de consubstantialitate dicemus.

§. II. *Consubstantialitas personarum adversus Arianos et Macedonianos asseritur ex Scripturis.*

Nota: duplici sensu potest intelligi consubstantialitas personarum: 1. Quod sint ejusdem omnino et individuae naturae in ipsis immultiplicatae, et indivisae, et haec est intelligentia Catholica. 2. Quod sint ejusdem quidem naturae, sed specificae tantum, divisae et multiplicatae in illis, sicut duo supposita naturae humanae, et hic sensus est error Paganismi pluralitatem Deorum admittentis, in eumque declinare videbantur Semiariani, qui dicebant Filium esse similem Patri in substantia, etsi tamen id asserere non auderent. Neque etiam hunc sensum propugnarunt puri Ariani, quia apertus est error Scripturis et rationi plane contrarius, ut vidimus de Polytheismo. Negabant itaque cum Macedonianis personarum consubstantialitatem, quia existimabant aliquam ex illis, Ariani Filium, Macedoniani Spiritum S. non habere veram divinitatem, sed esse naturae creatae. Restat ergo probare divinitatem Filii et Spiritus S. (de Patre enim numquam fuit dubitatum), quo facto probata manet utriusque cum Patre consubstantialitas sensu Catholico intellecta. Nam si Filius et Spiritus S. sunt verus Deus ut Pa-

ter, erit profecto in illis una, et indivisa divinitas etiam juxta Arianos, et Macedonianos, qui nobiscum tenent non dari nisi unicum Deum. Unde.

Consubstantialitas, seu divinitas Filii contra Arianos.

Prob. Ille est Deus, Deoque Patri consubstantialis 1. Qui in Scripturis Deus appellatur eodem modo ac Pater, seu cui divinitas eo modo ac Patri tribuitur. 2. Qui aequalis Deo Patri asseritur. 3. Cui eadem potestas ac virtus, quae Deo Patri conceditur. 4. Cui idem cultus, eadem adoratio ac Patri defertur. 5. Cujus superioratus ad omnem creaturam asseritur, et a quo omnis inferioritas creaturae removetur. Atqui sic est de Filio in divinis; ergo. Major patet; nullis enim indiciis apertioribus potest divinitas declarari. Itaque prob. 1. pars Minoris. 1. Ex veteri Testamento Ps. 109. dicitur. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*: Ubi David Filium nominat Dominum aeque ac Patrem: ergo Deum. Fundatur enim in Deitate haec suprema dominii ratio. Hoc loco usus est ipse Christus Matth. 22. ad probandam suam divinitatem. Petrus Act. 2., Paulus ad Hebr. 1. *Ad quem*, inquit, *Angelorum dixit: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt administratorii Spiritus etc.* Quasi diceret; ille, qui dicitur Dominus, et sedens a dextris Dei, non est respectu Dei minister et inferior, quales sunt omnes creaturae: ergo nec creatura, sed Deo aequalis et verus Deus. Isajas 45. loquens de Christo: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* Et Baruch. 3. *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum*, et subdit: *Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Ex novo Testamento: Jo. 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; Deus utique, apud quem est Verbum, nempe Deus verus, et summus Deus. Primae Jo. ult. *Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna.* Jo. 20. Thomas Christo dicit, *Dominus meus et Deus meus.* Ad Rom. 9. *Christus ... super omnia Deus benedictus.* Ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris Jesu Christi.* Si ergo Christus sit verus Deus, Deus super omnia, magnus Deus, non participatione tantum, adoptione, aut imitatione, Deus est. Prob. 2. pars Minoris. Ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Ad Colos. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, id est, vere et non umbratice: Jo. 16. *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Et Jo. 17. ipse ad Patrem dicit: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*: atqui ubi totum, quod est in aliquo, reperitur in alio, ibi aequalitas: ergo Filius est aequalis Deo Patri: ergo vere Deus, alias non foret aequalis, sed infinite distans, et inaequalis. Prob. 3. pars Minoris. Jo. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suae.* Jo. 5. *Quaecumque ille fecerit*, Pater scilicet, *haec, et Filius similiter facit*: Ubi eadem omnino potentia tribuitur Filio quae Patri, proindeque eadem natura, tum quia virtus, seu potentia sequitur formam et naturam rei, tum quia omnipotentia soli Deo competit. Prob. 4. pars Minoris. Jo. 5. *Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ps. 55. *Adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes servient ei.* Ps. 96. *Adorate eum omnes Angeli*, quod de Filio intelligit Apostolus ad Heb. 1.; in Scriptura autem numquam praecipitur adoratio nisi pro vero Deo. Ponderant etiam Patres cum Apost. ad Hebr. 1. illud jam citatum *sede a dextris meis*, quod significat aequalitatem honoris. Ut enim observat S. Chrysologus, sicut Pater dicit Filio, *Sede a dextris meis* postea Pa-

ter dicitur sedere a dextris Filii, *Dominus a dextris tuis*, ut significaretur utrique aequalis honoris gradus. *Sic a dextris* (inquit praefatus Pater Ser. 58.[1]) *sedet Filius, ut Pater non sedeat a sinistris: unica et singularis est divina consessio, ubi superna virtus recipit nihil sinistrum.*

Quinta pars Minoris patet ex dictis. Si enim Filius sit verus Deus cum Patre, et ipse aequalis, si omnes creaturae per ipsum sint factae, et in ipso consistent, si tandem eodem honore colitur ac Pater: ergo creaturis omnibus superior est. Unde etiam Scriptura in ipso sicut in Patre constituit rationem ultimi finis, et vitae beatae. Joan. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscat te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et prima Joan. ultimo: *Hic est verus Deus, et vita aeterna.*

Consubstantialitas Spiritus S. adversus Macedonianos.

Prob. iisdem quinque mediis divinitas Spir. S. 1. Expresse nominatur Deus Act. 5. ubi Petrus dicit Ananiae: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri Spiritui S.? Non es mentitus hominibus, sed Deo* 1. ad Cor. *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et postea subditur: *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus*, ubi qui vocatur Spiritus, Deus est. Ille idem Dominus exercituum, qui Isaiae 6. dicit *Vade dic populo huic, audite audientes et nolite intelligere*: a Paulo vocatur Spiritus S. Act. ultimo, *bene Spiritus S. loquutus est per Isaiam dicens, vade ad populum istum, et dic eis, aure audietis et non intelligetis.* Unde mentiuntur Sociniani, qui dicunt Spiritum S. nusquam vocari Deum in Scriptura.

2. Aequalitas in natura ei tribuitur. 1. Joan. ultimo: *Et hi tres unum sunt*: Matt. 28. In dignitate, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritui S.* In immensitate, Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* In omni scientia 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Et infra: *Quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.*

3. Potestas, et virtus divina ei tribuitur. Ps. 103. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* et Ps. 32. *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item ubique tribuitur Spiritui S. resurrectio mortuorum, sanctificatio animarum, gubernatio Ecclesiae, et omnium mirabilium maximum, opus Incarnationis: Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*; ubi parificatur Spiritus S. et virtus Altissimi.

4. Tribuitur ei majestas Dei, et honor divinus. 1. Cor. 6. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est ..... glorificate et portate Deum in corpore vestro*: ubi Spiritus S. iterum dicitur Deus, et tribuitur ipsi templum, quod soli divinitati proprium est: unde talis ei debetur veneratio, ut injuria ipsi illata, sint injuria Dei, et dicatur irremissibilis. Heb. 10. et Mat. 12. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei etc.* Hinc iterum ei tribuitur gloria finis ultimi, et beatitudinis. 1. Petr. 1. *Spiritu S. misso de Coelo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Ex his patet esse creaturis omnibus superiorem. Plura alia testimonia omittimus, quae ad unum ex his quinque locis facile revocari possunt.

§. II. *Pluralitas et consubstantialitas Personarum simul probantur ex Scripturis.*

Ex veteri Testamento.

Huc usque pluralitatem, et consubstantialitatem personarum seorsim probavimus nunc proferimus Scripturarum testimonia, quibus utraque simul probatur. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ibi pluralitas; et statim post, *creavit hominem ad imaginem suam*, ibi unitas. Ps. 66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus*, En numerus: et ne ter Deum nominando tres Deos astruere videretur Psalmista, statim subdit, *metuant eum omnes fines terrae*, et alibi saepe.

Ex novo Testamento.

Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Quibus verbis et unitas essentiae designatur dicendo singulariter, *In nomine*, non in nominibus, et Trinitas personarum dicendo *Patris, et Filii, et Spiritus S.* 2. 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus S., et hi tres unum sunt.*

In hoc urgentissimo testimonio duo impugnant Sociniani, veritatem textus, et ejus sensum. Quantum ad veritatem textus dicunt hunc versum 7. cap. 5. Ep. 1. Joan. esse suppositititium 1. quia non reperitur in antiquioribus, et probatissimis exemplaribus. 2. Quia ab Athanasio, Hilario, Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio Nazianz. et aliis non fuit laudatus adversus Arianos, et Sabellianos, cum tamen esset aptissimus ad illos revincendos. Ad. 1. Fatemur hunc versum, sive integre, sive quoad partes non reperiri in quibusdam antiquis exemplaribus manuscriptis: at in multo pluribus antiquissimis, et optimae notae reperitur. Quod autem in paucis exemplaribus non reperiatur, potuit contingere 1. ex perfidia Arianorum, qui hunc textum ut suo errori nimis contrarium abraserunt, ut testatur Hieronymus in Prologo ad Epistolas Catholicas, si tamen iste Prologus sit Hieronymi, de quo nunc disputant critici. Sed ut sit, hujusmodi fraudis vitium Arianis saepe exprobat S. Ambrosius. l. 2. *de fide* c. 15., l. 5. c. 16., l. 5. *de Spiritu S. c.* 10. 2. haec omissio potuit contingere ex vitio exscriptoris, qui cum pervenisset ad haec verba versus septimi: *Tres sunt qui testimonium dant*, lapsu oculi transivit ad versum octavum, ubi eadem verba repetuntur: et hic lapsus frequens est exscriptoribus, dum nullo fere interposito intervallo, eadem verba repetuntur. Caeterum nostra vulgata Editio peracta est juxta exemplaria, quae fidelium manibus ubique terebantur: haec autem multo difficilius adulterari possunt propter quotidianum usum, et certum detegendae fraudis periculum, ideoque longe majorem merentur fidem, quam quae latent in angulis bibliothecarum, ubi ex oscitantia vel malitia exscriptorum fraudi et adulterationi secure patent.

Ad 2. Scilicet plures Patres hunc versum non laudasse adversus haereticos. R. etiam plures laudasse. Laudavit Tertullianus lib. adversus Praxeam c. 25. S. Cyprianus L. *de unitate Ecclesiae* non multo post initium, Idacius Clarus 4. saeculo, vel secundum alios Vigilius Tapsensis 5. saeculo lib. adversus Varimadum Arianum c. 5. Eugenius Carthaginensis in explicatione Fidei Catholicae a 400 fere Episcopis subscripta, et Hunnerico Vandalorum Regi Ariano oblata an. 484. ut referunt Victor Vitensis l. 3. de persecutione Africana, et Gennadius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 97. Hieronymus in prologo ad Ep. Catho-

licas. Item juxta Bellarminum l. 1. de Christo c. 6. S. Athanasius lib. ad Theophilum de unita Deitate Trinitatis, Auctor disputationis ejusdem Athanasii in Concilio Nicaeno, et Fulgentius lib. contra objectiones Arianorum sub finem. Haec autem probatio positiva certo praevalet argumento negativo Socinianorum. Unde quod in quorumdam veterum scriptis non legamus hunc versum fuisse ab eis laudatum, verosimiliter accidit ex eo, quod inciderint in codicem mendosum, vel quod non omnia eorum scripta ad nos pervenerint, aut a fidei hostibus fuerint corrupta.

Quantum ad sensum hujus versus, dicunt Sociniani, his verbis: *Et hi tres unum sunt*, non significari unitatem naturae seu substantiae, sed unitatem testimonii, quia versu octavo sequenti de spiritu, sanguine et aqua dicitur pariter: *Et hi tres unum sunt*, quod tamen non intelligitur de unitate naturae, sed de unitate testimonii, quatenus concurrunt in idem testimonium de Christo, quod sit veritas, sicut Pater, Filius et Spiritus S. R. 1. Has particulas versus octavi, *Et hi tres unum sunt*, in multis codicibus latinis desiderari. Correctores Lovanienses numerant 15. in quibus non leguntur; Innocentius III. in decretali, quae extat 3. Decretal. tit. 41. c. *In quadam* 8. dicit, *in plerisque codicibus*, verosimiliter latinis, *minime haberi*. Graeci codices habent quidem, non tamen ut referuntur, sed sic: *Et hi tres in unum sunt*, id est in unum concurrunt testimonium. Unde jure praesumitur fraude Arianorum, aut oscitantia exscriptorum τὸ *in* codicibus latinis, in quibus haec verba leguntur, excidisse. Caeterum licet non ita legatur in nostra Vulgata, debet tamen sic exponi, ut correspondeat Graeco originali; ita ut sensus sit, spiritus, aqua et sanguis concurrunt ad eamdem rem testificandam, scilicet Christum esse verum hominem. Et quamvis in utroque versu sit quaedam paritas in reddendo testimonio, non est tamen necesse, ut sit paritas in significatione horum verborum: *Et hi tres unum sunt.* R. 2. Dato his verbis exprimi paritatem, utique invenitur: haec enim tria, spiritus, aqua et sanguis, sunt aliquo modo unum substantialiter. Sit itaque sensus: spiritus, aqua, et sanguis testificati sunt de Christo tempore Passionis: spiritus dum clamando expiravit, sanguis, et aqua fluentes ex ejus latere, et hi tres unum sunt substantialiter; hoc est pertinent ad unam et eamdem substantiam humanam in Christo, sicut Pater, Filius, et Spiritus S. pertinent ad unam, et eamdem substantiam divinam, cum hac tamen differentia, quod haec divina substantia sit summe simplex et una, humana autem sit composita.

3. Joan. 10. *Ego et Pater unum sumus*: *Ego et Pater sumus*, en distinctio personarum, *unum*, consubstantialitas. Unde Aug. Tract. 36. in c. 8. Joan. ait: *Quod dixit unum, liberat te ab Ario*: *Quod dixit sumus, liberat te a Sabellio.* Hunc locum potissimum urgebant Patres adversus Haereticos; quapropter operae pretium est omnem ejus vim enucleatius exponere, et Haereticorum evasionem explodere. Christus itaque eo loco volens probare suam divinitatem esse veram, de quo solum erat quaestio apud Judaeos, praemittit, quod id, quod sibi dederat Pater, sit majus omnibus; scilicet divinitas, sic enim de suis ovibus loquens, dicit. *Non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est*: *Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Quasi diceret, sicut nemo potest rapere oves meas de manu Patris mei, ita nec de mea, quia sum ipsi coaequalis, et consubstantialis; quod enim mihi dedit majus est omnibus, adeoque divinitas ipsa est, alias non foret quod majus est, nec valeret sequela, quod sicut nemo potest rapere de manu patris, ita nec de sua. Unde in sequentibus apertius se explicans subdit: *Ego et Pater unum sumus*; quod sane si non intelligatur de omnimoda unitate in substantia, infirmatur quod prius dixerat, id quod sibi datum a Patre esse majus omnibus, et quod nemo potest rapere de manu sua, quia non potest de manu Patris.

Hunc esse sensum verborum Christi plane intellexerant Judaei, siquidem ipsum ideo voluerint lapidare, et accusarint eum blasphemiae, quod se faceret Deum Subditur enim ibidem, *substulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum*: Et paulo post: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Attamen nec Christus, nec Evangelista hanc Judaeorum opinionem quasi falsam correxerunt, quin imo Christus e contra, quod prius dixerat, juxta eorum opinionem ab operibus confirmat, *si*, inquit ibidem, *non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*, hoc est, ut prius dixerat, quia *Ego et Pater unum sumus* in natura divina. Quod enim est unum cum altero unitate tantum, seu concordia affectus et voluntatis, ut interpretantur Haeretici, non dicitur proprie in altero, nec esse unum simpliciter, ut dicebamus supra. Explicat deinde Christus, quod se dicendo Filium Dei, non sit blasphemus, idque probat argumento non a simili, sed a minori ad majus: quasi dicat: Lex vocat Deos, ad quos sermo Dei factus est, nec blasphemiam continet: ergo a fortiori non est blasphemia me vocare Filium Dei, qui specialiter a Patre sum sanctificatus et missus in mundum. Depulsa a verbis suis blasphemiae injuria, statim redit ad probationem suae divinitatis per opera, ut vidimus. Caeterum Judaei haec ultima Christi verba sicut et priora, imo et ut priorum confirmatoria, juxta eumdem sensum de unitate naturae intellexerunt, siquidem voluerint ideo manus rursum in illum injicere, subjungit enim statim Evangelista *Quaerebant ergo eum apprehendere, et exivit de manibus eorum.* Unde Aug. Tract. 48. in Joan. dicit: *Ecce Judaei intellexerunt; quod non intelligunt Ariani: ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, Ego et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii.*

Ad solutionem aliarum objectionum notandum est, quod familiare est Scripturae, sive a naturalibus, sive a divinis exempla proponere pro moralibus absque eo quod intendat omnimodam paritatem; sic enim dicitur Matt. 7. *Estote perfecti, ut Pater vester coelestis perfectus est*, est sensus quod conemur per gratiam in quantum fieri potest imitari perfectionem Patris, non autem quod nostra perfectio sit infinita et essentialis, sicut perfectio Patris. Similiter cum dicit Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*, non vult nos fieri serpentes et columbas naturaliter, sed quod exemplo serpentis et columbae discamus prudentiam et simplicitatem. *Sic igitur*, concludit S. Athanasius, *non ut nos essemus quale est ipse, dictum est a Christo, ut sint unum, quemadmodum et nos sumus, sed pro nostra natura, et quatenus fieri potest, ut inde formulam similitudinemque mutuemur ... Ille quidem ex natura unum est cum suo Patre; nos autem unum internos affectu et animo efficiamur, habentes pro Archetypo exemplari unitatem filii cum Patre.*

4. Quid expressius illo Joannis 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, ut jam ponderavimus. Unde Ambros l. 1. de Trinit. c. 5. eleganter dicit, *Omnes autem haereses hoc capitulo brevi piscator noster exclusit: quod enim erat in principio non includitur tempore, non principio praevenitur: Ergo Arius conticescat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat verbum; non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa coelestis designatione virtutis, ut confutetur Photinus. Quod vero erat in principio apud Deum sempiternae divinitatis in Patre et Filio inseparabilis unitas edoceatur, ut erubescat Eudoxius et Eunomius.*

Prob. conclusio ex traditione. SS. Patres etiam tribus primis saeculis, ante Nicaenum Concilium hanc fidem suis scriptis expresserunt. 1. Saeculo: Hermas

Pauli discipulus, in opere, quod vocatur *Pastoris* lib. 3. similitudine 5. et 9. S. Clemens, Pauli Coadjutor, et Successor Petri in Sede Rom. Epist. ad Cor. n. 16. et n. 161. S. Dionysius Areopagita, alter S. Pauli discipulus lib. de divin. nom. c. 1. S. Ignatius Martyr, Joannis Evangelistae auditor, Epist. ad Ephesios et ad Magnesianos. 2. Saeculo; S. Polycarpus, alter S. Joannis Evangelistae, et etiam S. Ignatii discipulus; Smyrniensis Episcopus, et cum eo tota Ecclesia Smyrnensis Epist., quam de S. Polycarpi Martyrio scripsit ad Ecclesias Ponti, apud Eusebium lib. 4. hist. c. 15. S. Justinus Martyr Apologia 2. Athenagoras, Philosophus Christianus in apologia ad Imperatores. S. Iraeneus S. Polycarpi discipulus, Episcopus Lugdunensis et Martyr lib. 1. Pedagogi c. 6. Tertullianus cont. Praxeam c. 2., et lib. de pudicitia c. 21. S. Cyprianus de unitate Ecclesiae c. 4.; quorum testimonia relata sunt in majori nostro Opere. Tandem saeculo IV. In concilio Nicaeno an. 325. adversus Arium, et in Concilio Constantinopolitano an. 381. contra Macedonium, asserta est Fides Catholica de Trinitate, et consubstantialitate personarum in Deo uno et indiviso, quam inde omnes fideles unanimiter profitentur in Symbolo quod canit Ecclesia.

Ad solutionem objectionum ex auctoritate scripturae contra veritatem et existentiam SS. Trinitatis, haec sequentia, si recte advertantur, sufficiunt, praeter illa, quae supra notavimus. 1. Voces *unus*, *solus* in iis scripturarum locis, quibus asseritur quod Deus sit unus, sit solus, excludunt multiplicitatem divinitatis, qualem fingebant Pagani, non veram Trinitatem personarum in una et eadem numero divinitate subsistentium. 2. Multis modis dicitur spiritus alicujus. Aliquando sumitur pro tota ejus essentia, ut cum dicimus *Spiritus Angeli*: aliquando pro parte essentiae, ut cum anima dicitur spiritus hominis: aliquando pro persona distincta ab eo, cujus dicitur Spiritus, ut Apocal. c. 3. Angeli dicuntur *Spiritus Dei*, et important Personas distinctas. In subjecta materia autem si Spiritus Dei sumatur absolute pro natura Dei, non est persona ab eo distincta; si autem sumatur relative, et notionaliter est persona distincta. De quo infra. 3. Processio Verbi dicitur modo generatio, modo creatio, ut ipsi tribuamus quidquid in illis est perfectionis et removeamus quod est imperfectionis, quod est juxta S. Th. l. 4. cont. gent. c. 8.

4. Ex quo sequitur 1. quod cum Filius dicitur sapientia primogenita ante omnem creaturam (si non est intelligendum de sapientia in genere prout praesidet operibus ingenii, quam Salomon per prosopopejam inducit loquentem, quasi esset persona) non significatur, quod sit creaturarum prima; sed quod sit genitus antequam fieret ulla creatura: alibi enim dicitur Dei, et Patris unigenitus; quomodo autem unigenitus, si esset ex creaturis una? 2. quod τὸ creare aliquando sumitur generaliter pro productione rei secundum substantiam.

5. Aliquibus locis scripturarum solus Pater dicitur Deus, non per exclusionem Filii, et Spiritus Sancti; sed per exclusionem falsorum Deorum; aut Pater vocatur Deus potius quam Filius, aut Spiritus S. per appropriationem; 6. Patres Graeci dicunt Patrem esse majorem Filio, non de majoritate absoluta et proprie dicta, ratione alicujus proprietatis essentialis, quae esset in Patre, et non in Filio, sed de majoritate improprie dicta ratione originis; ita ut in tantum dicatur Pater major Filio, in quantum est illo prior origine. Hae tamen locutiones Patrum non sunt frequentandae, ut advertit Aug. l. 4. de Trinit. c. 20. Insuper majoritas Patris super Filium intelligenda est etiam de Christo ut homine. 7. SS. Patres trium priorum saeculorum ante ortum Arianismi, excepto forte Origene, de cujus mente circa praesens mysterium disputant eruditi, quamvis rectam fidem tenuissent de substantia hujus mysterii, tamen advertendum est, quod de iis scripsit Hieronymus (*Apolog. 2. contra Rufinum*); *Non statim illos haereticos judicabo: fieri enim potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sen-*

su scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quidam et minus caute locuti sunt, et quae non possint perversorum hominum calumniam declinare. 8. Cum aliquid dicitur de Spiritu, quod non Deo, sed soli creaturae competit, id intelligatur vel de vento, qui etiam spiritus appellatur, ut Exod. 15. *Flavit spiritus tuus, et operuit eos mare*: vel de donis gratiae et virtutum, quae vocantur Spiritus Dei, Joel. 2. *Effundam Spiritum meum*: vel de Angelis sive bonis sive malis, aut de animabus nostris, quae sunt spirituales creaturae, et dicuntur spiritus. 9. Si Sacra Scriptura dicit quod Spiritus Sanctus postulat; quod omnia per Verbum facta sunt; intelligenda est quoad primum in sensu causali, non formali, ut docet S. Th. 2. 2. 9. 83. a 10. ex S. Augustino; ita ut Spiritus non ipse postulet, sed faciat nos postulare: nec sequitur quod tota Trinitas aut Pater, aut Filius debeant etiam dici hoc sensu postulare, quia licet gratia orationis sit revera opus totius Trinitatis, appropriatur tamen Spiritui S., cui nempe appropriatur bonitas, et sanctificatio nostra. Quoad secundum autem intelligenda est, omnia, natura diversa, esse facta per verbum, alias sequeretur Patrem etiam esse factum per Verbum. 10. Ecclesia in prioribus saeculis preces ad solum Patrem dirigebat, non quod crederet Filium, et Spiritum Sanctum divinitatis expertes; sed quia Pater, cum sit fons totius divinitatis, per appropriationem dicitur personam Dei agere, Filius habetur ut mediator, Spiritus S. ut auctor precum nostrarum.

Obj. a ratione contra integrum Mysterium. Hoc Mysterium contrariatur pluribus principiis lumine naturali notis et 1. huic. *Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Personae enim identificantur cum Essentia divina, et tamen distinguuntur realiter inter se 2°. Non salvatur hoc principium *nihil producit suum esse* 3°. Evertit hoc principium *Persona reddit naturam incommunicabilem alteri supposito.* Ergo hoc Mysterium est contra rationem, adeoque impossibile. 2. N. Ant. ad primum resp. 1°. hoc axioma intelligendum esse de his, quae sunt eadem uni tertio, re, et ratione, quod duplici sensu explicatur. Primus sensus est, quod unum tertium non sit virtualiter multiplex, sed quod extrema ipsi uniantur sub eadem formalitate, et ratione, non sub diversa. Unde licet actio sit idem motui, similiter et passio, non tamen sequitur, quod actio, et passio sint idem, quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili; in passione vero, ut qui est ab alio. Similiter licet Paternitas sit idem secundum rem cum Essentia divina, et similiter Filiatio, tamen haec duo in his propriis rationibus important oppositos respectus, unde distinguuntur ab invicem. Ita S. Doctor. Secundus sensus est, quod extrema ita identificentur uni tertio, ut ab illo non distinguantur ratione ratiocinata, non sic tamen quod distinctio rationis ratiocinatae inter extrema, et medium, positive, et semper inferat distinctionem realem extremorum inter se, alias non posset fieri syllogismus nisi in synonymis, quod est falsum, nec dixit S. Doctor, de quo vid. Sylvium hic *q.* 20. *a.* 3. sed permissive tantum, quando nempe accidit, quod extrema distinguantur virtualiter a medio, per rationes, seu formalitates importantes oppositionem inter se. Hoc ipso enim, quod extrema differant a medio ratione ratiocinata, possunt ex eo capite, quo differunt a medio, importare aliquam oppositionem inter se, puta relativam, et tunc ratione illius inter se realiter distingui, quamvis cum medio, quocum oppositionem non habent, realiter identificentur. Et ita contingit in Deo. Paternitas enim et filiatio sic ab essentia virtualiter distinguuntur, ut ex eo capite importent rationes inter se relative oppositas non tamen cum essentia, unde fit quod sint idem realiter cum essentia, et tamen inter se realiter distinguantur.

Quod ut profundius intelligas, nota diligenter, proprium esse rei infinitae

identificare sibi res salvis earum rationibus formalibus, quando non important imperfectionem. Sic v. g. ratio formalis sapientiae, quae est cognoscere res per altissimas causas, item rationes formales justitiae, misericordiae etc. perfectissime salvantur in Deo non obstante identitate earum cum essentia; similiter ergo ratio formalis relationis debet in eo perfecte salvari, non obstante identitate ejus cum essentia; propria autem ratio relationis est opponi suo correlativo, et ab eo realiter distingui, proindeque divinae relationes non obstante earum identitate cum essentia, opponuntur inter se relative, et ratione hujus oppositionis realiter inter se distinguuntur. Haec si bene perpenderis facile solves instantias, quae opponi possunt.

Aliter quidam etiam Thomistae hoc principium explicant, dicendo hoc verificari dumtaxat, quando extrema uniuntur adaequate uni tertio finito, et non incommunicabili realiter distinctis, secus vero quando uniuntur tantum inadaequate uni tertio illimitato, et communicabili realiter distinctis. Porro relatio personalis ita identificatur cum essentia, ut tamen illam non adaequet, quia nec identificatur cum aliis relationibus, quibus cum identificatur ipsa essentia, nec ipsa essentia ita identificatur cum una relatione personali, quin etiam identificetur cum aliis, et remaneat ipsis communicabilis propter suam infinitam faecunditatem, et illimitationem, et hae relationes ut dictum est, quamtumvis identificatae cum essentia, salvant suam rationem formalem, quae est opponi inter se, ideoque realiter distingui. In idem ferme redit cum priori explicatione. Idque illustrari potest aliqua similitudine analoga, perfecta enim hujus rei paritas non potest haberi in creatis, quae propter suam limitationem pluribus realiter distinctis identificari non possunt. Sicut igitur verum est in naturalibus, quod quae sunt unita uni tertio, sunt unita inter se, ita etiam verum est quod quae sunt vicina seu praesentia uni tertio sint praesentia inter se, sic v. g. Duo corpora non possunt esse praesentia uni spatio, quin sint sibi praesentia. Si tamen detur aliquod tertium, quod idem manens existat in pluribus locis distantibus, aut in pluribus partibus realiter distinctis, nec illa loca, nec illae partes erunt sibi praesentes, quamvis sint praesentes eidem tertio, eo quod non sint ipsi praesentes adaequate. Sic Corpus Christi est praesens pluribus hostiis, quae tamen non sunt sibi praesentes. Pes et Caput sunt praesentes eidem Animae, quae tamen partes non sunt sibi praesentes, et vicinae.

Ex his colliges rationem, ob quam hi, et similes syllogismi expositorii non valent. *Hic Deus est Pater*; *Hic Deus est Filius. Ergo Filius est Pater. Haec essentia divina est Paternitas. Ergo Paternitas est Filiatio.* Non esse ex eo, quod forma syllogismi expositorii fallat in hoc mysterio; sed quod in his, et similibus non salvetur. Sicut enim in syllogismo de termino communi requiritur, quod perfecte distribuatur medium, ita de ratione syllogismi expositorii est quod perfecte singularizetur medium, quod hic non fit. Hi enim termini. *Hic Deus, haec Essentia*, licet sint singulares, sunt tamen aequivalenter universales, seu habent vim termini communis, quia ille Deus, haec singularis Essentia est communicabilis pluribus suppositis, quod est proprium termini communis; unde non debemus illis terminis uti ut mediis ad syllogismos expositorios, quia non perfecte singularizantur, sed uti illis ut terminis communibus, et tunc debent perfecte distribui, non quidem dicendo *omnis Deus*, sed *omne quod est Deus est Pater*, omne quod est *Essentia divina est Paternitas*, sed tunc istae propositiones sunt falsae, quia aliquid est Deus, scilicet Filius, qui non est Pater, et aliquid est Essentia divina, scilicet Filiatio, quod non est Paternitas.

Ad 2. Resp. Patrem non producere suum esse, sed illud tantum communicare, quod potest, quia tantae eminentiae est, et faecunditatis illud esse, ut idem manens possit a pluribus possideri; et cum sit idem omnino in Patre, et Filio,

non est a Patre, ut a causa cum dependentia, sed ut a principio Originis. Ad 3. principium petitum ex definitione Personae resp. id a multis sic intelligi, quod Personalitas reddat non naturam secundum se incommunicabilem, sed ipsum compositum, et Personam, seu naturam reduplicative ut personatam, quod etiam verificatur, in hoc Mysterio; nam Persona Patris, seu natura divina cum modo Paternitatis, et ut personata, non communicatur alteri, est enim tantum unus Pater in Divinis. Caeterum dato quod in creatis aliter intelligatur, ita ut in iis Personalitas reddat ipsam naturam secundum se alteri supposito incommunicabilem quia natura creata, cum sit finita, unica personalitate impletur; Primo tamen sensu debet verificari in divinis, tum quia propter suam infinitatem, et infinitam faecunditatem ab una Personalitate non adaequatur, nec impletur sicut natura creata, tum etiam, quia Personalitas in Divinis non est quid absolutum ut in creatis, sed quid relativum, de ratione autem relativi est, ut habeat correlativum.

Obj. 2°. Ex infinitate naturae divinae colligitur cum S. Thoma eam esse unam, et immultiplicabilem, atqui Persona in divinis, ut virtualiter distincta ab Essentia est etiam infinita. Ergo. R. 1. D. Min. Persona in Divinis, ut virtualiter distincta ab Essentia, est infinita ratione essentiae, quam includit. C. ratione sui conceptus relativi praecise N. M. Cum enim, ut dicemus, sub isto respectu non addat perfectionem, non addit etiam infinitatem, sed ab infinitate, et finitate abstrahit. R. 2°. Data minori N. Cons. Disparitas est, quod cum Persona in divinis constituatur per relationem, ut videbimus infra, et haec necessario exigat terminum, quem respiciat, non importat infinitatem simpliciter, sed in certo genere v. g. Paternitas in ratione Paternitatis, et ideo non excludit quamcumque aliam Personam, sed tantum alium Patrem. At vero si darentur plures Essentiae infinitae, cum illae non opponerentur inter se relative, nec consequenter distinguerentur ratione illius oppositionis, deberent distingui per aliquam rationem formalem, et essentialem, quam una haberet, et non alia, quae ideo non foret infinita.

Obj. 3°. Non potest assignari ratio, cur potius sint tres Personae, quam duae; aut quatuor, aut plures. Ergo. N. Ant. Et assignatur rationem quia in Deo debent esse una Persona improducta, et duae productae, et non plures. Distinctio enim Personarum in divinis est solum secundum relationem Originis, ex quo sequitur 1°. quod possit esse una tantum Persona improducta, cum inter Personas improductas non detur relatio originis 2°. Quod cum sint duae tantum Processiones in Divinis una per intellectum, altera per voluntatem (processio enim in divinis non attenditur penes actionem transeuntem, sed immanentem, quae est duplex intelligere, et velle. Potentia autem est principium agendi in aliud, unde secundum potentiam accipitur actio ad extra, et processio Creaturarum, non divinae Personae) sint etiam consequenter duae tantum Personae procedentes, seu terminantes duplicem Processionem. Plura alia argumenta Gentilium refert. S. Th. 11. cont. Gent. c. 10.

Articulus III.

Utrum Sanctissimae Trinitatis Mysterium possit lumine naturali cognosci.

R. Nulla ratione naturali potest cognosci aut demonstrari SS. Trinitatis Mysterium. Est contra Abailardum et quosdam alios, qui contendebant fidei nostrae mysteria posse ratione demonstrari, quos redarguit S. Bernardus in c. 19. Eccli. et lib. 5. de consid. c. 8.

Prob. 1. authoritate. Matth. 11. dicitur: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius; et cui voluerit Filius revelare.* Ibidem c.

16. Christus Petro profitenti ejus filiationem dicit: *Beatus es Simon Barjona. quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, quia in coelis est* Et Hormisdas papa in Ep. 79. ad Justinum Imp. *Secretum Trinitatis neque ulla visibilium vel invisibilium naturarum potuit investigare natura.*

Prob. 2. ratione. Nihil de Deo possumus cognoscere per rationem naturalem, nisi ex effectibus creatis, de Deo enim a priori, et per causam nihil novimus, cum nulla sit causa Dei aut Trinitatis: atqui ex effectibus creatis, saltem naturalibus, ad tanti Mysterii cognitionem devenire non possumus: ergo. Prob. Minor: effectus quantumvis perfecte cognitus non ducit in cognitionem causae, nisi sub ea ratione, qua ab illa procedit, et connexionem per se habet cum illa: sic v. g. effectus procedens ab artifice, puta domus ab aedificatore, manifestat quidem artem, a qua per se procedit, et hominem qua artificem, non autem alia hujus hominis accidentia ad artem non pertinentia, v. g. quod fuerit magnus vel parvus, albus vel niger, pinguis vel macer, indutus rubro, vel viridi etc. Atqui effectus creati non procedunt nec pendent per se a Deo ut trino, sed solum quatenus uno. Ergo. Probatur Min. Effectus creati procedunt a Deo ratione divinitatis ut causae radicalis, et ratione omnipotentiae ut causae proximae: atqui omnipotentia convenit Deo pro priori ad relationes, quibus constituuntur personae, pertinetque ad naturam ut una est, non ut est trina in personis, non enim unaquaeque persona habet propriam et distinctam omnipotentiam: unde vulgo dicitur opera Trinitatis ad extra indivisa esse. Ergo effectus creati non procedunt per se a Deo ut trino, sed concomitanter tantum, quatenus virtus producens est una et eadem in tribus. Unde si per impossibile Deus non esset trinus, manerent tamen creaturae, quia maneret virtus earum productiva

Ex quo colliges 1. etiam supposita fide hoc mysterium non posse sola ratione naturali evidenter demonstrari, quia divina revelatio non facit quod Creaturae per se pendeant, et procedant a Deo ut trino, nec ponit in Creaturis aliquod Trinitatis vestigium. Si dicas ratio naturalis dictat evidenter Deum esse veracem in revelando. Ergo supposita revelatione hujus Mysterii ratio dictat evidenter illud existere. R. D. Conf. Ratio dictat evidenter illud existere per medium naturale intrinsecum connexum cum illo Mysterio N. Per medium extrinsecum, scilicet auctoritatem revelantis. C. Nec nos negamus intellectum creatum fide adjutum, et ea utentem posse vi sua naturali cognoscere Mysterium Trinitatis existere, sed negamus illum etiam fide supposita, sed ea non utentem, posse per medium aliquod naturale, intrinsece connexum cum isto Mysterio, illud probare, quia nempe fides non subministrat illi tale medium, eo quod, ut diximus, non faciat Creaturas per se dependere a Trinitate. Unde quamvis intellectus creatus perficiatur revelatione divina, numquam tamen potest in effectibus creatis evidenter cognoscere Trinitatem, quia in eis non continetur cognoscibiliter. Colliges 2. propter eamdem rationem, nec etiam possibilitatem hujus Mysterii posse sola ratione naturali evinci.

Ad solutionem objectionum notanda sunt 1°. quod Philosophi non cognoverunt mysterium SS. Trinitatis per propria, quae sunt Paternitas, Filiatio et Processio; juxta illud 1. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam ..... quam nemo principum hujus saeculi cognovit*, id est Philosophorum nullus; sed cognoverunt tantum quaedam essentialia attributa, quae appropriantur personis, sicut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui S. Unde per Verbum in libris Platonicorum non intelligitur persona genita a Patre ipsi consubstantialis, sed ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur.

2. Quod si quidam Philosophi Gentiles aliquam mysterii Trinitatis notitiam habuerint non ex effectibus creatis ratione naturali, sed vel ex magisterio

et traditione Hebraeorum, vel ex lectione scripturarum, aut librorum Sybillinorum, vel ex aliis causis adductis a S. Thoma (*in* 1. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 4.)

Tamen, supposita fide, potest hoc mysterium variis congruentiis suaderi, et ab oppositis argumentis defendi. Nam 1: summum bonum est maxime sui diffusivum, quae maxima diffusio elucet praesertim in hoc mysterio. 2: exigitur ad summam felicitatem amicitia et societas, quae exigunt numerum personarum aequalium. 3: gignere sibi simile est perfectio 4: in nobis experimur dari processionem verbi et amoris, quae semotis imperfectionibus videtur debere admitti in Deo. Unde communiter dicitur quod hoc mysterium sit supra, non contra rationem: quod patet, cum principia naturae per se nota sunt vera, documenta fidei sunt verissima, et verum non est contrarium vero, sed solum falso.

Obj. Potest ratione naturali probari hoc mysterium esse saltem possibile. Ergo. Pr. Ant. Potest probari non involvere contradictionem. Atqui quod probatur non involvere contradictionem, probatur esse possibile. Ergo. R. Dist. Maj. Potest probari non involvere contradictionem positive, et evidenter N. Negative, et probabiliter C. Ad hunc sensum distincta minori N. consequentiam. Quando igitur solvimus argumenta a ratione, et contradictiones, quae opponuntur circa possibilitatem hujus Mysterii, procedimus tantum ex probabilibus, et apparentibus, sed nulla ratione demonstrativa sive a priori, sive a posteriori probamus earum falsitatem: Et hoc quidem sufficit, ut hoc Mysterium non judicetur impossibile, non autem ut cognoscatur evidenter possibile. Ecquis solutis omnibus Ethnicorum argumentis sibi persuadeat suas solutiones esse invincibiliter demonstrativas, et nullam implicantiam praeter solutas restare solvendam? Nullus sane, quia nullus sive Angelus, sive Homo hoc sacramentum, totam naturam transcendens, funditus penetrare potest.

Inst. Ex dictis non potest demonstrari hoc Mysterium esse impossibile. Ergo potest probari esse possibile, nam inter possibile, et impossibile non datur medium R. N. Cons. Quamvis enim inter possibile, et impossibile non detur medium, datur tamen inter demonstrationem possibilitatis, et demonstrationem impossibilitatis, puta opinio, dubium, aut ignorantia de utraque, et hoc accidit in Mysteriis, quae cum transcendant omne lumen naturale, sub demonstrationem non cadunt.

Petes, utrum et quae hujus mysterii notio concessa sit Judaeis?

R. 1. Patriarchis, et Prophetis, et singulari sanctitate praecellentibus concessa est aperta hujus mysterii notio.

Nam praefatis concessa est notio, seu fides explicita Incarnationis Verbi: atqui haec supponit apertam Trinitatis notitiam, cum Christus sit secunda Trinitatis persona incarnata: ergo. Prob. Major: ex desideriis Sanctorum veteris Testamenti Matth. 13. *Amen dico vobis*, inquit Christus, *quia multi Prophetae, et justi cupierunt videre, quae vos videtis et non viderunt.* 2. Ipsimet Patriarchae et Prophetae hoc mysterium scriptis mandarunt, ut vidimus supra. Ita sentiunt SS. Patres Ambros. August. Epiphan. Cyrillus Alex. et alii.

R. 2. Quibusdam legis peritis et scribis Genti Judaicae concessam fuisse hujus mysterii notitiam probabile est non autem secundum SS. Patres, vulgo Gentis Judaicae, quia 1., ut ait Theodoretus Serm. 1. de graec. affection. *ne ex eo multitudinis Deorum occasionem sumerent*; 2. quia perfectior divinitatis notitia Christo, et legi novae ut nobiliori servanda erat.

Petes 2. Utrum vox *homoousion*, seu *consubstantialis* convenienter inserta sit symbolo Nicaeno.

R. affirmative. Prob. Haec vox significat Filium non solum esse similem Patri, sed esse ejusdem prorsus naturae et essentiae, quod est Fides Catholica, et ideo ad haeresim Arianam, quae Filium in ordinem creaturarum redigebat, profligandam apprime idonea. Ergo fuit convenienter apposita.

Confirmatur. Ariani aliis vocibus abutebantur, ideoque eorum subterfugiis erat occurrendum per aliam vocem, quae luculentius fidem Ecclesiae exprimeret, qualis est *homoousion* : cum enim dicerent Patres Nicaeni Filium esse ex Deo, annuebant Ariani, sed intelligebant esse ex Deo, sicut omnes aliae creaturae sunt ex Deo, qui omnia fecit. Cum dicerent Patres Filium esse similem Patri, et hoc admittebant Ariani intelligentes esse similem Patri, sicut homines, qui dicuntur facti ad imaginem et similitudinem Dei. Item cum dicerent Patres Filium esse in Deo, esse invariabilem, esse semper, esse verum Deum, concedebant Ariani haec omnia posse dici de Filio, quia haec omnia dicuntur pariter de hominibus in Scriptura : Esse in Deo ; *in eo vivimus, movemur, et sumus.* Act. 17. Esse invariabilem ; *quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8. Esse semper : *semper enim nos, qui vivimus.* 2. Cor. 4. Esse verum Deum, quia factus est verus Deus in tempore principatu virtutis. Quapropter *Episcopi*, inquit Athanasius in Ep. de Nicaenae Synodi decretis, *considerata illorum hypocrisi, et vafritie, ipsi quoque necessitate coacti sunt..... quae prius dixerant apertioribus verbis repetere, et scribere Filium esse consubstantialem Patri.*

Ad solvendas objectiones notanda sunt 1: quod haec vox quamvis non reperiatur in Scripturis quoad sonum, reperitur saltem quoad sensum, dicitur enim : *Ego et Pater unum sumus. Pater in me est et ego in Patre*, quod idem est ac si dicatur, inquit S. Athanasius, *Ego ex Patre sum, et indivisibilis ab illo.*

2. Theognostus, et uterque Dionysius Romanus, et Alexandrinus, qui ante Concilium Nicaenum scripserunt circa an. 266. *Filium ex Patris substantia productum, et Patri consubstantialem dixerunt*, teste S. Athanasio lib. de Synodi Nicaenae decretis. Quin imo Dionysius Alexand. in Ep. ad Paulum Samosat. testatur etiam a Patribus antiquioribus Filium esse dictum Patri consubstantialem, *quem*, inquit, *Sancti Patres homoousion Patri vocaverunt.* Et si in omnibus Patribus haec vox non reperiatur quoad sonum, evidenter reperitur quoad sensum.

3. Insuper si in aliquo tempore ab aliquibus, et forsan ab aliqua Synodo haec vox *homoousion* reprobata fuit, haec reprobatio non accipienda est, quatenus sensus Ecclesiae Catholicae, et Synodi Nicaeni damnetur, aut illa vox apta non sit ad hunc sensum exprimendum : sed damnatus fuit sensus haereticorum, seu reprobata fuit illa vox eo sensu, quo illa utebantur haeretici. Paulus enim Samosatenus Episcopus Antiochenus circa medium 3. saeculi, juxta S. Athanasium lib. de Synodis Arimini, et Seleuciae, intelligebat hanc vocem ad instar substantiarum corporearum, quae dum dicuntur consubstantiales, intelliguntur ejusdem substantiae quoad speciem tantum, non quoad numerum seu individuum, et hoc sensu Synodus Antiochena negavit Filium esse consubstantialem, si tamen verum est quod haec Synodus eam vocem damnasset, quod recentiores non omnino improbabiliter negant.

DISSERTATIO II.

De Processionibus Divinarum Personarum. *D. Th. q.* 27.

Cum sanctissimae Trinitatis Mysterium, ut ex dictis in praecedenti Dissertatione constat, consistat in tribus personis ejusdem et individuae naturae divinae ; Personae autem constituantur relationibus, et relationes fundentur in processionibus, ideo cum Auctore dicemus. 1. de Processionibus. 2. De Relationibus. 3. De Personis.

Articulus I.

Utrum in Divinis sint Processiones.

Processio ut sic, nihil est aliud, quam origo unius ab alio: unde processio in Divinis est unius Personae ab altera, vel a duabus origo. Sed cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem, quae tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio *ad extra*, ita secundum actionem, quae manet in ipso agente, attenditur quaedam processio *ad intra*. Arius dicens Filium procedere a Patre sicut primam ejus creaturam, et Spir. S. a Patre, et Filio sicut creaturam utriusque; Sabellius dicens ipsum Deum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine, eumdem dici Spir. S. secundum quod creaturam rationalem sanctificat; uterque acceperunt processionem secundum quod est aliquid *ad extra*: at hic quaeritur an detur in Deo processio *ad intra*?

Dico. Dantur in Deo processiones *ad intra*. Constat iis omnibus, quibus probavimus supra, Filii et Spiritus sancti divinitatem; quam sibi communicatam non habent, nisi via processionis. Prob. ratione Theologica. De fide est, dari in Deo plures Personas realiter distinctas in eadem numero natura: ergo sunt in Deo processiones. Prob. consequent. Si in Deo non essent processiones, non esset oppositio relativa originis; cessante oppositione relativa originis, non possent plures Personae distingui, nisi diversitate naturae: ergo. Unde Christus de seipso loquens, Joan. 8, dicit, *Ego ex Deo processi*, et Joan. 5. de Spiritu sancto, *qui a Patre procedit*, sicque canit Ecclesia in Symbolo Nicaeno de Filio: *Ex Patre natum, Deum de Deo*; et de Spiritu sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit*. S. Thomas hanc rationem congruentem affert. Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid *intra* ipsum, quod est conceptio rei intellectae ex vi intellectiva proveniens, et ex ejus notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, et dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. Atqui Deus est perfectissimum intelligens. Ergo.

Obj. Omnis processio involvit imperfectionem Ergo. Prob. Ant. 1. Procedens est diversum ab eo, a quo procedit. 2. ab illo dependet cum sine illo esse non possit. 3. Est ipso posterius. 4. Est passivae, et indigentis naturae, cum ab illo accipiat. Ergo. R. ad primum cum D. Thoma. D. Procedens processione ad extra est diversum ab eo, a quo procedit C. processione ad intra subd. in Creatis C. in Divinis iterum subd. est diversum quantum ad Personam C. quantum ad naturam N. quia quod procedit ad intra processu intelligibili, quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo, a quo procedit; quanto enim magis aliquid intelligitur, tanto verbum, seu conceptio intellectualis est magis intima, et magis unum. Unde cum divinum intelligere sit infinitae perfectionis, necesse est, quod Verbum divinum sit perfecte unum cum eo, a quo procedit absque ulla diversitate in natura. Et quamvis non sit eadem ratio de Spiritu S., qui procedit a voluntate per modum amoris, et impulsus, hoc ipso tamen quod procedit ut quid Deo immanens, est idem natura, quia omne, quod est in Deo, Deus est. Si dicas ex hac D. Thomae responsione sequi, quod Verbum neque ut Persona distincta procedat. R. D. non procedit ut Persona distincta vi processionis ut intelligibilis C. vi processionis ut realis N. Cum itaque processus ut intelligibilis sit assimilativus petit unitatem numericam cum objecto, unde si sit perfectissimus intellectus petit perfectissimam unitatem, quae est in substantia. Inde tamen non destruitur diversitas Personarum, quae est tantum relativa, et ex Processione, quatenus est realis, quia processus qua realis petit ex-

trema realiter distincta, saltem quoad modum essendi. Unde ex ipsa processione sub diversa consideratione oritur, et consubstantialitas Verbi, et Personarum distinctio.

Ad 2. Nego procedens in Divinis pendere a producente. Non pendet quantum ad naturam, quae est eadem numero procedentis et producentis. Neque quantum ad Personam, quia procedens non procedit ab altera ut a causa, sed ut a principio; neque ex voluntate libera, sed ex necessitate naturae ob infinitam ejus perfectionem, qua fit ut Pater intelligendo non possit non producere Verbum, et Pater, et Filius se se amando non possint non producere Spiritum S. Ad probat. N. conseq. quia ad dependentiam aliud requiritur, quam quod unum non possit esse sine alio, nam Pater non potest magis esse sine Filio, quam Filius sine Patre, nec tamen Pater dicitur dependere a Filio. Item omnipotentia non potest esse sine possibilitate Creaturarum, a quibus tamen non dependet. Ad 3. Quidam Theologi nullam admittunt in Deo prioritatem aut posterioritatem, sed tantum ordinem processionis. Alii admittunt prioritatem non causalitatis, aut durationis, sed originis tantum, quae non importat imperfectionem. Ad 4. N. Ant. Personae enim procedentes in divinis numquam caruerunt, aut carere potuerunt eo, quod habent. Quod autem numquam caruit, aut carere potuit eo, quod habet, non censetur passivae, et indigentis naturae.

Articulus II.

Quot sunt in Deo Processiones?

Dico: in Deo sunt duae processiones, et non plures; altera per intellectum qua gignitur Verbum, altera per voluntatem qua spiratur amor.

Prob. utraque pars auctoritate Scripturae, quae, ultra processionem Verbi, quam in pluribus locis, ut *Joan. c.* 1. et 8. et alibi agnoscit, aliam processionem Spiritus S. ut a Verbo distincti, admittit. Joan. 14. *Ego rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis.* Et 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ultra quas S. Scriptura nullam aliam processionem agnoscit. Ita etiam Patres et Concilia. Ergo.

Prob. 2. In divinis processio attenditur secundum actionem immanentem, non transeuntem. Atqui in Deo utpote agente intellectuali duae sunt actiones immanentes et non plures, scilicet intellectio et volitio virtualiter distinctae. Ergo et duae processiones, alia per intellectum quae est processio Verbi, alia per voluntatem, quae est processio amoris: sicut enim per intellectionem seu conceptionem Verbi, inquit hic S. Doct., res intellecta est in intelligente, sic per amorem res amata est in amante, non quidem hoc sensu, quod in amante producatur res amata, seu ejus similitudo, sicut in intelligente, sed impulsus quidam, et propensio voluntatis in rem amatam. Unde res amata dicitur esse in amante, non ut ejus objectum seu similitudo, sed ut terminus intrinsecus amoris et volitionis.

Notandum tamen est quod Filius accipiat intellectum ipsa sui productione exhaustum, voluntatem autem accipit nondum exhaustam. Etenim quamvis et processiones et personae sint simul tempore, est tamen inter eas ordo originis, ita ut modo nostro intelligendi concipiatur prius generatio Verbi, quam spiratio Spiritus S., quia intellectus est prior voluntate, et prius est intelligere quam amare, nihil quippe est volitum quin praecognitum, ut fert commune axioma. In eo ergo instanti, quo concipitur generari Filium per intellectum, iste intellectus concipitur exhaustus productione ipsius Filii, quippe quod sit terminus infinitus, intellectioni infinitae adaequatus. Et cum sit idem ipse intellectus Patris pro-

ducentis, quem recipit Filius, et quo intelligit, non restat isti intellectui jam exhausto locus aliud Verbum producendi; at recepit in eadem generatione voluntatem nondum exhaustam spiratione Spiritus S., qui in eo istanti generationis Verbi nondum concipitur spiratus, consequenter ea voluntate non exhausta potest Filius cum Patre Spiritum S. producere.

Obj. Quodlibet infinitum est unicum et non multiplicatur. Atqui Processio divina est infinita. Ergo 2. D. Maj. Quodlibet infinitum est unicum in suo ordine, seu in ea ratione in qua est infinitum C. Est unicum excludens infinita alterius rationis N., et sic distincta minore N. Cons. Sic misericordia est infinita ratione misericordiae, seu, ut ita dicam, intensive, non tamen extensive, seu hoc sensu, quod sit solum attributum infinitum in Deo. Similiter de processionibus.

Obj. 2. Bonum est sui diffusivum. Ergo secundum bonitatem divinam debet accipi Processio. R. Dist. Ant. Bonum est sui diffusivum objective C. Effective N. Ant. Hoc sensu dicitur bonum sui diffusivum, quod sit objectum, et finis appetibilis a voluntate, non vero quod sit principium operationis, seu diffusionis sui. Unde cum Processiones divinae attendantur secundum actiones; secundum bonitatem, et aliam hujusmodi attributa, non accipiuntur aliae Processiones quam Verbi, et amoris, inquantum Deus suam essentiam, veritatem, et bonitatem intelligit, et amat.

Articulus III.

Unde processio Verbi habeat, quod sit generatio, et non processio Spiritus Sancti?

Nota. Generatio, prout convenit etiam non viventibus, est mutatio de non esse ad esse in aliquo subjecto. Prout autem convenit solis viventibus: definitur communiter: *Origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturae specificae.*

Dicitur *in similitudinem naturae*, quia genitum non solum debet esse simile generanti in se, et essentialiter, sed etiam debet procedere simile generanti ex vi, et modo processionis, hoc est modus processionis, secundum scilicet speciem suam consideratus, et non solum secundum individuum, debet esse modus assimilationis, seu importare rationem, cur id, quod procedit, sit simile suo principio. Quia tota formalitas generationis consistit in expressione similitudinis, seu in propagatione naturae ut similis, nec aliud est generare, quam exprimere similitudinem propagativam sui; juxta illud Genes. 5. *Adam genuit ad imaginem, et similitudinem suam.* Defectu hujus conditionis; Eva formata ex costa Adae, non est genita, neque ejus filia, quia, licet sit essentialiter homo sicut Adam, et vi hujus processionis secundum individuum spectatae processerit ei similis, non tamen vi processionis, secundum speciem spectatae, quia modus procedendi ex costa non est assimilativus, seu non importat rationem, cur id, quod sic fit, sit simile in natura illi, ex cujus costa fit; potuisset enim ex illa costa fieri equus, aut quidquam aliud, non sic ex actione generativa a natura instituta.

Dico 1. Processio Verbi est generatio, non processio Spiritus S. Primam partem aperte testantur Scripturae. Ps. 2. *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Ps. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Isa 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Joan. 3. *Pater diligit Filium.* Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* Ubi autem est Pater et Filius, ibi est generatio. Suffragatur ratio. Processio verbi est origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturae. Ergo. Prob. Ant. 1. Est origo viventis a vivente, quia procedit per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae. Unde Joan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in seipso.* 2. A vi-

vente conjuncto, quia est per actionem immanentem. Unde Joan. 10. *Ego et Pater unum sumus.* 3 In similitudinem naturae, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, et in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere et esse.

Secundam partem pariter testatur Scriptura, juxta quam Spiritus S. numquam nominatur Filius aut genitus; et Verbum vocatur Unigenitus Patris Joan. 1. et 3. 1. Ep. Joan. c. 4, et alibi. Si Unigenitus, ergo nec Spiritus, nec quisquam alius praeter ipsum est genitus. Nec refert, quod Salomon Proverb. 4. vocatur unigenitus, cum tamen haberet fratres ex eodem patre, ex eadem matre. 1. Paralip. 3. Non enim Salomon vocatur unigenitus simpliciter, sed *unigenitus coram matre sua*, quo significatur eum a matre unice diligi, ac si foret unicus; unde Septuaginta verterunt *dilectus in facie matris.* Tandem Con. Ephes. c. 4. *Filius Dei*, inquit, *nuncupatus est primogenitus et unigenitus: primogenitus comparative ad filios adoptivos, et unigenitus per exclusionem filii naturalis.* Utramque partem tradunt unanimiter SS. Patres, ut videre est in priori Dissert., universaque profitetur Ecclesia in omnibus Symbolis fidei, in quibus secunda persona dicitur nata, tertia procedens tantum, sed maxime in Symbolo, quod dicitur S. Athanasii: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus Sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Hic sistit Fides, at non Theologi, qui in investigandis causis hujus discriminis desudant, et diversas proferunt opiniones, quas tamen modeste proponunt, non ut decretorias, quasi his Fides nostra nitatur, sed supposita fide ut probabiles. Prima opinio dicit. Verbum esse genitum, quia ab uno tantum procedit. Sed haec ratio videtur insufficiens, sive enim aliquid procedat ab uno, sive a duobus, ut inter homines, hoc ipso, quod procedit in similitudinem naturae, est Filius. 2ª. Opinio dicit, ideo Filium esse genitum, et non Spiritum S., quia licet uterque vi processionis procedat ut similis in natura, tamen Filius procedit ut imago. Ita Vasques. Sed contra. Hoc ipso quo quid procedit vi processionis ut simile, procedit ut imago, unde sequeretur in hac sententia, quod Spiritus S. esset genitus 3ª. Opinio dicit processionem Verbi esse generationem, quia Verbum recipit naturam faecundam, potentem producere aliud suppositum, ita Richardus a S. Victore, et Alensis, et alii, sed nec ista ratio videtur sufficiens; quamvis enim Filius non esset productivus Spiritus S., semper esset Filius, semper enim ei communicaretur natura sub conceptu naturae, de cujus conceptu non est, quod sit principium in ordine ad aliud 4ª. opinio dicit processionem Verbi non processionem Spiritus S. esse generationem, quia primam procedit naturaliter, seu per modum naturae, quia intellectus est ad agendum naturaliter determinatus; non secunda quia voluntas est agens voluntarium, et liberum libertate essentiali etiam respectu Processionis Spiritus S. Ita Franciscus Henno disp. 1. de Deo trino 9. 6. Sed contra. Si per libertatem essentialem intelligatur libertas indifferentiae, propositio esset haeretica. Dogma namque catholicum est, Deum sic se necessario necessitate naturae amare, ut ab amore sui non possit se magis temperare, quam ab intellectione sui. Si vero intelligatur immunitas a coactione, non minus hac libertate gaudet Processio Verbi, quam Processio Spiritus S. Pater enim non coacte, non invito, sed voluntarie et spontanee producit Verbum. His itaque omissis cum S. Thoma, Thomistis, et pluribus aliis.

Dico. Ideo processio Verbi est generatio, et non processio Spiritus Sancti, quia processio Verbi est per intellectum, qui vi sua est assimilativus, et processio Spiritus Sancti est per voluntatem, quae vi sua non est assimilativa. Huic sententiae favet Scriptura, quae dum Verbum appellat Filium, et cum, qui non

est Verbum, non appellat Filium, indicat ideo Filium esse, quia est Verbum, et Spiritum non esse Filium, quia non est Verbum. Conformiter S. Aug. lib. 6. de Trin. c. 2. *Eo Filius*, inquit, *quo Verbum, et eo Verbum quo Filius.* Item Athanas. Orat. 2. et 3. contra Arian., Ambros. lib. de incarnat. c. 3. et alii. Probatur ratione. De ratione generationis est, quod vi sua, et per se, seu secundum speciem spectata, procedat in similitudinem naturae: atqui id convenit processioni, quae est per intellectum, et non processioni, quae est per voluntatem: ergo. Major patet ex dictis initio art. Prob. min. haec est differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus intelligat per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: unde vi sua per se, seu secundum speciem spectatus est assimilativus: voluntas autem vult non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate; sed per hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam: ergo processio, quae attenditur secundum intellectum, est vi sua et per se secundum rationem similitudinis; processio autem, quae attenditur secundum voluntatem non est vi sua, et per se secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid.

Obj. Non est de ratione intellectus ut sic, prout abstrahit a divino et humano, ut assimilet sibi terminum in natura, sed tantum ut assimilet intentionaliter seu intelligibiliter. Ergo non habet Verbum divinum, quod sit Filius consubstantialis Patri praecise ex eo, quod procedat per intellectum. R. N. Ant. pro secunda parte. Etenim falsum est esse de ratione intellectus ut sic generatim, ut assimilet intelligibiliter tantum; id convenit intellectui imperfecto, et creato. Intellectus igitur ut sic, et generatim, est assimilativus ut sic, seu tendit in aliquam similitudinem ut sic. Sicut autem similitudo ut sic dividitur in similitudinem perfectam, seu substantialem, et imperfectam, seu intelligibilem tantum, ita etiam intellectus ut sic dividitur in intellectum perfectum, seu divinum, et intellectum imperfectum, seu creatum, et sicut intellectus imperfectus vi sua, ut species intellectus ut sic, tendit in similitudinem imperfectam, et intelligibilem tantum, ita intellectus perfectus vi sua, ut species analoga intellectus ut sic, tendit in similitudinem perfectam, et substantialem.

Obj. 2. Spiritus vi processionis formaliter procedit ut similis in natura divina. Ergo Processio ejus est generatio, vel processio Verbi non est generatio. Pr. Ant. Spiritus S. vi suae processionis est Deus. Ergo. Pr. Ant. vi suae processionis est Persona subsistens, et divina Ergo. R. N. Ant. ad probat. D. Ant. Spiritus vi suae processionis individualiter spectatae est Deus. C. Ant., vi suae processionis secundum speciem spectatae N. Ant. Dupliciter itaque spectari potest processio Spiritus S. 1°. Secundum speciem, quatenus est processio per modum voluntatis 2°. secundum individuum, quatenus est haec processio, scilicet amoris Deo immanentis. Si consideretur processio haec, et individua, Spiritus S., vi illius procedit, ut Deus, quia cum haec actio individualiter spectata sit divina, et immanens, ita et ejus terminus est divinus, consequenter Deus. At si consideretur processio secundum speciem, prout est a voluntate, quae processio est propria Spiritui S., vi illius sic spectatae, non procedit formaliter ut Deus, quia non procedit formaliter ut similis, cum de ratione voluntatis non sit assimilare, sed id habet aliunde, scilicet quia procedit ut aliquid divinum, et Deo immanens. Porro ut processio aliqua sit generatio, non sufficit, quod sit assimilativa identice, seu secundum individuum spectata, sed quod sit assimilativa secundum formalem, et specificam rationem spectata, seu ut alii dicunt in quarto modo per se. Et hinc quidam sic distinguunt idem Ant. Spiritus S. formaliter vi suae processionis procedit ut Deus Spiratus C. ut Deus genitus N.

Petes, quare cum Filius et Spiritus S. a Patre procedant, emanationi Spiritus S. adaptetur processio potius quam Filio? R. Id esse propter vocabulorum inopiam. Dum enim Deum nominare non possumus nisi ex creaturis, et inveniatur in creaturis aliquid subsistens procedere per modum naturae, quod dicimus generari: hinc processio Filii, quae est per modum naturae, dicta est generatio. Quia vero in creatis nihil videmus subsistens procedere per modum amoris, fit ut processio Spiritus S. quae est per amorem, manserit sic et nomine processionis appelletur; posset tamen nominari spiratio, quia est processio Spiritus.

Consectaria.

Ex dictis sequitur, principium *quod* divinarum processionum esse personas Patris et Filii: Patris respectu Filii, Patris et Filii respectu Spiritus S., quia quod procedit realiter, debet realiter distingui a producente, nihil enim producit se ipsum, nulla autem est in divinis realis distinctio nisi inter personas. 2. Principium *quo* saltem remotum, et primordiale esse naturam divinam: quia est id, in quo genitum assimilatur et convenit cum generante; intellige tamen de natura ut modificata relationibus, sicut dicam modo. Et in his duobus omnes conveniunt Theologi. 3. Principium *quo* proximum divinarum processionum, juxta Theologorum communem sententiam cum D. Thoma contra Durandum et paucos alios, est intellectus et voluntas; sed quia et intellectus, et voluntas sunt communes tribus Personis, assignanda est ratio cur intellectus in Patre generet, et non in Filio, cur voluntas in Patre et Filio spiret, et non in Spiritu Sancto, unde Theologi dicunt intellectum in Patre generare, quia modificatur relatione paternitatis, non in Filio; voluntatem in Patre et Filio spirare, quia modificatur relatione spirationis activae, non in Spiritu Sancto (hic, et q. 2. de Potent a 2. ad 5.) ita ut principium *quo* proximum divinarum processionum non solum importent quid absolutum, scilicet intellectum et voluntatem, sed etiam relationes, non tamen ut comprincipia, sed ut conditiones et modos dumtaxat. Nam 1. Concil. Lateran. sub Innocentio III. definiens contra Abb. Joachim, ait: *Et illa res* (scilicet natura divina) *non est generans, neque procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit.* 2. Essentia non operatur immediate per se, sed per suas facultates, quae sunt in Deo intellectus et voluntas. 3. Principium *quod* processionis debet saltem secundum aliquid distingui realiter a procedente, nihil enim se ipsum producit; atqui intellectus et voluntas in Deo praecise secundum se, seclusis relationibus, nulla ex parte realiter distinguuntur a procedente. Unde aliquo saltem modo (nulla enim paritas adaequata inveniri potest in creatis) idem intellectus Patris et Filii, in Patre modificatus relatione paternitatis generat, non in Filio: eadem voluntas trium personarum modificata in Patre et Filio relatione spirationis activae producit Spiritum Sanctum, non in Spiritu Sancto.

Obj. Natura divina ex se, et ut praeintellecta intellectui, et voluntati est foecunda. Ergo. R. D. Ant. Est foecunda radicaliter, et remote C. proxime N. naturae enim ut dictum est, non agit nisi per suas facultates.

Obj. ex alio capite. Eo Pater est principium generationis, quo est potens generare. Atqui est potens generare Paternitate. Ergo. Pr. Min. per id Pater est potens generare, quod est ipsi proprium, et singulare, et non commune tribus Personis. Atqui sola relatio paternitatis est ipsi propria, et singularis. Ergo R. D. Maj. Per id tamquam per conditionem requisitam Pater est potens generare, quod est ipsi proprium C. tamquam per verum principium N. Quod enim dat esse individuale dat posse operari ut quod, non ut quo, non enim ratio individualis Petri v. g. dat ipsi operari ut quo, sed natura humana. Tria itaque concurrunt, ut aliquis sit Pater, seu principium completum generationis 1. Natura foecunda et est prin-

cipium quo principale, et radicale. 2. Facultas per quam tamquam per instrumentum foecunditas naturae sese exerit, quae in Deo est intellectus, et diximus esse principium quo proximum 3. Tandem hypostasis, qua constituitur Persona, et generans ut *quod* et est in Deo Paternitas. Hypostasis autem non est principium *quo*; sed complementum, et conditio requisita, ut principium agat, quia actiones sunt suppositorum. In summa itaque dicendum et absolutum, et relativum importari in principio quo divinarum Processionum, sed non ex aequo. Absolutum importatur in recto, et ut forma, relativum in obliquo, ut modus, et conditio.

Articulus IV.

In quo formaliter consistant divinae Processiones active sumptae.

Dico 1. Processiones divinae active sumptae non sunt simplices emanationes, sed verae et propriae actiones Prob. 1. Si enim principia immediata divinarum processionum sint activa, scilicet intellectus et voluntas, ergo et illae sunt actus intellectus et voluntatis. Et notandum quod de ratione actionis proprie est tantum, quod sit ultima actualitas agentis ab illo egrediens egressu formali, aut virtuali: virtualis autem egressus non dicit imperfectionem magis quam virtualis dimanatio proprietatum in Deo. Nec tamen debet dici, quod Deus sit vere et proprie agens sed tantum vere et proprie intelligens: quia hoc nomen agens, usu communi sumitur pro principio producente per veram causalitatem cum dependentia, sicut etiam licet Pater sit principium Verbi non tamen debet dici Verbum principiatum, quia, ut notat D. Th. nomen principiatum importat minorationem et inferioritatem, quae Verbo non competit.

Dico 2. Dictio et spiratio, quae sunt actus notionales, in quibus formaliter consistunt processiones divinae, non distinguuntur ab intellectione et volitione virtualiter, seu, juxta modum loquendi Scotistarum, formaliter ex natura rei, ut actus ab actibus, sed sunt ipsa intellectio et volitio sola relationis connotatione diversae. Prob. ex Patribus. Juxta SS. Patres Verbum procedit per cogitationem. Atqui cogitare formaliter est intelligere. Ergo. Prob. Maj: Irenaeus l. 2. c. 48. *Deus* inquit, *totus existens mens et totus existens* λόγος, *quod cogitat, et hoc loquitur, et quod loquitur, hoc et cogitat.* Tertullianus contra Praxeam c. 5. Filium appellat *Dei rationem*, quia Pater cogitando illum producit. S. Fulgentius l. 3. ad Monimum c. 7: *Sic est*, inquit, *Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum ... Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet: quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, et cogitando intra se verbum generat.* Quid expressius? Item Aug. 15. de Trinit. c. 13. *Verbum*, inquit, *natum est, .. de Patris scientia, de Patris sapientia*; esse autem sciens et sapiens est intelligere, inquit ipse P. Henno Scotista. Unde idem S. Doctor l. 7. c. 2. dicit, quod verbum sit sapientia genita.

Prob. 2. Ratione. Dictio, et intellectio in nobis non sunt duo actus realiter distincti, sed duae formalitates, seu duo munia inadaequata ejusdem actus, qui, quatenus fertur in objectum cognoscendum, dicitur intellectio, et quatenus cognoscendo objectum format verbum, dicitur dictio. Ergo in Deo non sunt virtualiter, seu secundum Scotistas formaliter ex rei natura distinctae, ut duo actus. Confirmatur: omnis actus intellectus est intellectio, et omnis actus voluntatis est volitio: atqui dictio est actus intellectus, et spiratio actus voluntatis: ergo dictio est intellectio, et spiratio est volitio. Minorem admittunt Scotistae. Prob. Maj. 1. Omnis actus potentiae visivae est visio: ergo omnis actus intellectus est intellectio, et actus voluntatis est volitio 2. Objectum formale adaequatum intellectus est verum

intelligibile. Atqui omnis actus attingens objectum sub ratione veri intelligibilis est intellectio. Ergo omnis actus intellectus est intellectio: et ex eadem ratione omnis actus voluntatis est volitio. Itaque intellectio et volitio in Deo possunt considerari dupliciter : 1. praecise secundum se et solitarie, et sic sunt actus essentiales et communes tribus personis. 2. Ut modificatae relationibus Paternitatis et Spirationis activae, et sic sunt actus notionales et processiones activae, indeque habet intellectio, quod sit dictio, et volitio, quod sit spiratio, eo modo quo diximus supra de principio *quo* proximo.

Quod autem hic dicimus de Processionibus active sumptis idem proportione servata dicendum est de processionibus positive sumptis; ita ut sicut intelligere modificatum relatione Paternitatis est generatio activa, ita intelligi modificatum relatione Filii, seu filiatione sit nativitas, et origo passiva, unde relatio utramque ingreditur non ut forma, sed ut complementum formae, ut dictum est.

Obj. cum Scotistis. Actio productiva debet distingui ab ea, quae non est productiva. Atqui dictio est productiva non intellectio, quae ex se dicit tantum tendentiam in objectum cognoscendum, non in Verbum producendum Ergo. R. D. Maj. Actio productiva debet distingui ab ea, quae non est productiva ex aliqua parte C. simpliciter, et ex aequo ut actus ab actu N. Non diffitemur itaque esse aliquam distinctionem inter intellectionem, et dictionem. Intellectio praecise importat solam habitudinem ad rem intellectam, dictio importat principaliter habitudinem ad Verbum conceptum, sed tamen ipsa dictio est intellectio, quia Verbum concipitur intelligendo. Sic, inquit S. Doctor, *intellectus Hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit*, ita ut intelligere, et dicere sint duae formalitates, seu duo munia inadaequata ejusdem actionis adaequate sumptae. Habet autem intellectio, quod sit dictio ex connotatione relationis, ut dictum est.

DISSERTATIO III.

De Relationibus divinis. *D. Thom. q.* 28.

Articulus IV.

An sint et quot sint in Deo Relationes reales.

Dico. In Deo sunt aliquae relationes reales. *Hic et* 9. 8. *de pot. a.* 1.

Probatur. 1. Fide certum est, dari in Deo tres Personas realiter distinctas, easque non distingui realiter in absolutis, in quibus sunt consubstantiales: ergo in relativis, seu relationibus. Subsumo: atqui non in relationibus rationis, hae enim distinctionem realem facere non possunt: ergo in relationibus realibus: ergo dantur in Deo relationes reales. Majorem probavimus in prima Dissert. Subsumptum est per se notum. Unde S. Th. citatus dicit conclusionem esse de fide.

Confirmatur; Pater non dicitur nisi a Paternitate, et Filius a Filiatione: si Paternitas et Filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater aut Filius, sed secundum rationes intelligentiae, quod est haeresis Sabelliana.

Ex dictis inferes relationes in Deo esse reales non solum secundum conceptum *in*, sed etiam secundum conceptum *ad*, quia secundum illum conceptum *ad* causant realem Personarum distinctionem, quatenus solus respectus *ad* causat oppositionem relativam, in sola autem oppositione relativa fundatur omnis distinctio in divinis. Nota tamen, quod quamvis relatio in divinis sit realis secundum conceptum *ad*, non habeat tamen quod sit realis ex illo conceptu seu ex illa parte, qua est ad aliquid, sed ex illa parte, qua inest. Quia relatio secun-

dum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in Divinis, vel ut accidens in subjecto, ut in creatis. Unde quamvis relatio realis ex modo significandi non explicet *in*, implicat tamen, cum sit id, quo subjectum respicit terminum, et licet non significet ut inhaerens, tamen oportet ut sit inhaerens.

Obj. Relatio realis multas importat imperfectiones. Ergo non est in Deo. Pr. Ant. 1. est debilissimae entitatis. 2. facit compositionem cum relato 3. facit illud dependere a correlativo 4. ordinat illud ad aliquid, quod etiam repugnat Deo. Ergo R. N. Ant. Ad primam, et secundam probationem resp. eas verificari de relationibus realibus in Creaturis, quae sunt accidentia, non de relationibus divinis, quae identificantur cum divina substantia. Ad 3. pariter resp. eam esse veram de relationibus creatis, quae habent diversum esse ab esse substantiae, cui superadduntur, et ab esse termini, ad quem referuntur, quia sunt accidentia, non autem de Relationibus divinis, quae habent idem esse cum substantia divina. Si dicas saltem unam Personam dependere ab alia, quia correlativa a se mutuo pendent. R. non esse intelligendam dependentiam proprie sumptam pro subordinatione, sed improprie pro mutuo nexu, seu exigentia. Ad 4. R. repugnare Deo ordinari ad aliquid extra se, non ad aliquid intra se, neque id sic intelligi, quasi natura divina referatur, sed Persona, id enim solum refertur, quod relative opponitur. Et advertendum est, quod quando duo sunt ejusdem ordinis, et est inter illa habitudo secundum aliquid realiter conveniens utrique, tunc est relatio realis ex parte utriusque, ut patet in generatione hominum. At quando extrema non sunt unius ordinis, nec est inter illa habitudo secundum aliquid conveniens utrique, tunc non est relatio realis ex parte utriusque, sed potest esse realis ex parte unius et rationis tantum ex parte alterius, ut patet in sensu et sensibili. Cum ergo Deus sit extra totum ordinem Creaturarum, et omnes creaturae naturaliter ordinentur ad ipsum, et non e converso, manifestum est, quod creaturae referantur ad ipsum non ipse ad illas, quamvis eas produxerit. At vero Pater producendo Filium sibi consubstantialem, communicat illi suam essentiam, unde sunt ejusdem ordinis, et naturae, et est inter eos habitudo secundum aliquid conveniens utrique; hinc est ex parte utriusque relatio realis.

Dico 2. Sunt in Deo quatuor relationes reales originis, nempe Paternitas, Filiatio, Spiratio activa et Spiratio passiva, seu Processio, *hic, et in* 1. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 1. *o*, sic tamen, quod Spiratio activa non distinguatur realiter a Paternitate, et Filiatione, sed virtualiter tantum. Probatur prima pars. Relationes reales originis accipiuntur in Deo secundum processiones *ad intra*, in quibus fundantur, consequenter tot sunt in Deo relationes reales, quot exigunt processiones *ad intra*: atqui sunt duae processiones *ad intra* una per intellectum, quae est processio Verbi, altera per voluntatem, quae est processio amoris, et quaelibet exigit duas relationes, scilicet principii ad principiatum, et e converso principiati ad principium: ergo sunt quatuor relationes reales, scilicet Paternitas et Filiatio, fundatae in processione per intellectum. Spiratio activa et Spiratio passiva, fundatae in processione per voluntatem. Prob. secunda pars. Juxta principium communiter receptum, omnia in Deo sunt realiter unum et idem, ubi non obviat oppositio relativa: atqui communis Spiratio activa, quae est in Patre et Filio, non opponitur Paternitati et Filiationi, sed disparate se habet ad illas: ergo non distinguitur realiter ab illis.

Ad quorum intelligentiam observandum est, relationes in creatis realiter distingui ex duplici capite. 1. Ex oppositione ad suum correlativum. 2. Ex sua limitatione, quatenus cum sit creata relatio, ex hoc ipso limitata est ad suam speciem, nec potest habere speciem et perfectionem aliarum relationum; unde non

potest una et eadem entitative respicere plures terminos, etiamsi tantum disparatos, obstante ad hoc limitatione creatae realitatis relativae. At vero in divinis non currit haec limitationis ratio propter amplitudinem infinitatis, sed tantum ratio oppositionis correlativae; et ideo cum relationes Paternitatis et Filiationis non opponantur relative spirationi activae, ab illa non distinguuntur realiter, sed una et eadem entitas propter suam infinitatem potest respicere diversos terminos. Hinc inferes 1. Quamvis sint in Deo quatuor relationes reales, non esse tamen quatuor res relativas, neque quaternitatem, sicut definitum est cap. *Damnamus* de summa Trinitate. 2. Non esse quatuor personas, quia personae constituuntur per relationes oppositas et non per disparatas; unde spiratio activa non constituit personam aliam a persona Patris et persona Filii.

Dico 3°. Praeter quatuor Relationes Originis assignatas non sunt in Deo aliae relationes reales. Est communior cum D. Thoma, et Thomistis contra Scotum, et Scotistas, qui admittunt in Deo relationes reales aequalitatis, et similitudinis. Pr. In divinis Personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, et relationes, in quibus distinguuntur: Atqui relatio realis aequalitatis, et similitudinis non potest accipi ex parte essentiae, quae est eadem numero, neque ex parte relationum, quia relatio non refertur per aliquam aliam relationem, alias iretur in infinitum, et insuper una relatio non potest fundari in alia, cum fundamentum debeat esse firmius re fundata, et omnes relationes sint aeque debilis entitatis. Ergo quamvis esse aequalitatem, et similitudinem inter Personas divinas fides doceat, tamen ista aequalitas et similitudo in Deo non sunt relationes reales.

Pro solutione object. nota, quod ut Personae divinae sint, et dicantur vere, et realiter aequales, non requiri aequalitatem formaliter sumptam pro relatione reali, sed sufficere aequalitatem fundamentaliter sumptam, seu fundamentum relationis, quod est unitas magnitudinis cum negatione excessus: sic Deus est vere, et realiter Dominus, quamvis relatio dominii non sit realis in ipso, sed solum ejus fundamentum. Sic Christus est, et dicitur vere, et realiter Filius B. Virginis, quia quamvis relatio filiationis non sit realis in ipso, ipsi tamen convenit independenter ab intellectu istius relationis fundamentum, scilicet generatio passiva. Si inferas ergo Personae divinae sunt tantum fundamentaliter aequales. Esto. Sunt nihilominus vere, et realiter aequales non minus quam Deus sit realiter Dominus, et Christus Filius B. V., quia vere est in ipsis unitas magnitudinis cum negatione excessus, quod praebet intellectui nostro fundamentum concipiendi eas respici, ac si realiter referrentur. Qui plura volucrit circa praesentem difficultatem legat Gonetum disp. 12. a. 1. §. 2. Atque hinc colliges inter ipsas relationes originis non esse alias relationes virtualiter distinctas similitudinis, dissimilitudinis, distinctionis, et oppositionis, sed ipsas seipsis esse similes, aut dissimiles, distinctas, aut oppositas, sicut in humanis Paternitas est similis alteri Paternitati, et dissimilis Filiationi per seipsam, non per aliam relationem superadditam.

Petes quomodo Relationes divinae identificentur, et distinguantur ab Essentia? Tractatu praecedenti supposuimus tamquam certum de Fide relationes ab essentia non distingui realiter; Statuimus praeterea, et probavimus distingui distinctione virtuali minori, quae fit per modum impliciti, et expliciti. Quaerunt ulterius plures recentiores, utrum relationes ita realiter identificentur cum essentia, ut sint de conceptu quidditativo essentiae, et e converso. Hinc resp. Relationes in Deo ita identificantur cum Essentia divina, ut sint de conceptu ejus quidditativo non explicito, sed implicito, et inadaequato; et e converso essentia sit de conceptu relationum etiam implicito, sed adaequato. Cum autem dicimus relationes esse de conceptu essentiae divinae non intelligimus esse ejus

constitutivum, tamquam genus, aut differentia, sed quod sint tamquam modi essentialiter, et necessario ipsi competentes, seu quibus essentialiter petit modificari; ita ut neque essentia possit esse sine relationibus, neque intelligi sine ipsis, prout est in re, neque relationes possint esse, aut intelligi, sicut revera sunt, sine essentia divina. Pr. prima Pars. Si essentia divina non esset de conceptu implicito relationum, et vicissim, ita ut se invicem non includerent, conciperetur Essentia divina cum fundamento in re in potentia ad relationes, actuabilis, et contrahibilis per illas, ut per aliquid extraneum, et carens illis. Atqui hoc repugnat actui purissimo: Ergo.

Pr. 2. Pars de conceptu adaequato, et inadaequato. Quamvis quidquid importat Paternitas, aut altera relatio, id totum, et totaliter importetur saltem implicite in conceptu essentiae, seu Deitatis, non tamen totum quod importat essentia, importatur etiam implicite in Paternitate, quia Deitas importat Filiationem, quae non importatur etiam implicite in conceptu Paternitatis, nisi correlative, siquidem illi realiter opponatur, et idcirco ab illa realiter distinguatur. Unde conceptus essentiae magis late patet, et aliud includit quam conceptus cuslibet relationis seorsim sumptae. Ergo.

Dices. Si Paternitas sit de essentia divinitatis, et e contra, sequitur quod Pater generando Filium ipsi communicet Paternitatem, sicque Filius erit Pater, sin minus communicet illi partem tantum substantiae, quod vetat dici Con. Later. IV. contra Abbatem Joachim. Ergo. R. Hoc argumentum militare contra omnes Catholicos, qui non agnoscunt distinctionem realem inter essentiam, et relationes. Supposita enim identitate reali, potest formari idem argumentum: Si Paternitas sit realiter essentia Divinitatis, sequitur quod Pater generando Filium ipsi communicet Paternitatem, sin minus communicat illi partem essentiae, et sibi retinet partem. Currunt pariter contra hanc communem sententiam aliae difficultates, quae solent opponi contra praesentem conclusionem, v. g. quomodo Pater generat, et non essentia, cum qua identificatur realiter? quomodo quaelibet Persona sit realiter Deus, si non importet alias Personas, quas realiter includit Divinitas? Et alia similia. Sicut igitur haec in communi Catholicorum sententia explicantur beneficio distinctionis virtualis per modum expliciti, et impliciti, ita in praesenti sententia. Dicendum itaque, quod quamvis Paternitas et essentia sese mutuo implicite importent, non tamen explicite; et ideo quia virtualiter distinguuntur penes conceptus explicitos, et implicitos, et in eminentia Divinitatis identificantur salvis suis naturis communicabilitatis, et incommunicabilitatis, potest essentia communicari Filio quoad omnia absoluta essentialia, quae explicat, et sunt communicabilia, non communicato relativo, quod implicat propter oppositionem ad terminum, cui essentia communicatur. Neque inde sequitur partem dumtaxat essentiae communicari Filio, est enim essentia indivisibilis; sed sequitur tantum, quod licet det totam essentiam Filio, non tamen dat totum, quod est sua essentia, seu quod non communicet essentiam sub omni formalitate, quam ipsa essentia habet. Habet autem essentia rationem paternitatis, quatenus est in Patre, et ideo non communicat Filio paternitatem, quia est relatio realiter opposita filiationi, quamvis comparata ad essentiam sit eadem cum illa. Uno verbo Pater communicat Filio essentiam quoad omnia, in quibus non obviat relativa oppositio, quia unum relativum non potest communicari suo correlativo, cui opponitur. Relationes vero sibi mutuo oppositas, scilicet paternitatem, filiationem et spirationem activam respective ad passivam, realiter inter se distingui, patet ex ipsa sui oppositione, et ex his, quae hucusque diximus, maxime in Dissert. prooemiali de distinctione et pluralitate personarum, quae istis relationibus constituuntur.

Quomodo autem, supposita perfecta identitate illarum cum essentia, possint

nihilominus realiter inter se distingui, et verificari illud principium: *quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, jam explicavimus.

Articulus II.

Utrum Relationes divinae habeant existentias relativas realiter inter se, et ab existentia essentiae distinctas.

Suppono ut quid communiter receptum contra paucos, essentiam divinam, ut praeintellectam relationibus, existere per propriam, et absolutam existentiam, quia ut praeintellecta relationibus, est actus purissimus. Ergo actu existens; est ens increatum, ergo a se existens; est operans intelligendo, et volendo, ergo existens. Denique in ipsa notione divinitatis ipsa existentia includitur, est enim ens a se existens juxta illud Exod. 3. *Ego sum, qui sum.*

Dico (*S. Th.* 3. *p. q.* 17. *a.* 2. *ad* 3. *et q.* 8. *de Potent. a.* 2. *ad* 11.) Relationes seu Personae divinae non habent existentias proprias relativas, sed existunt una absoluta existentia essentiae. Prob. 1. Absoluta non moltiplicantur in Divinis, quia non sunt sibi relative opposita, omnia autem sunt unum in Deo, ubi non obviat relativa oppositio; unde licet sint tres Personae, non est tamen triplex intelligere, triplex velle, et triplex posse. Atqui existentia relationis, seu Personae, quam abusive vocant relativam, est quid absolutum: Ergo Prob. min. 1. Existentia relationis non consistit in ordine ad terminum, sed in ordine ad subjectum, in quo est, nihil enim est aliud existentia relationis in creatis, quam *inesse*, in divinis *esse per se*. Ergo est aliquid absolutum, et non relativum. 2. Existentia non convenit relationi secundum conceptum *Ad*, sed secundum conceptum *In*, tum quia conceptus *Ad* abstrahit ab existentia, ut infra dicetur, tum quia quod tribuit existentiam debet exercere circa illam aliquam causalitatem; purus autem terminus habet solum terminare, non aliquid active causare. Ergo:

Prob. 2. Relationes, seu Personae divinae existunt per existentiam absolutam essentiae: Ergo existentiae relativae superfluunt, imo implicant. Ant. et conseq. sunt probandae. Prob. Ant. Existentia in Deo identificatur essentialiter cum essentia, est enim ens per se existens; Essentia communicatur relationibus, seu Personis, consequenter et ejus existentia; Atqui non potest existentia alicui communicari, nisi reddat ipsum existens, sicut sapientia, vel albedo non potest homini communicari, nisi reddat sapientem, vel album, effectus enim formalis formae est ipsa forma communicata. Ergo relationes, seu Personae divinae existunt per existentiam absolutam essentiae. Prob. conseq. quoad primam partem. Quod semel existit non indiget alia existentia, per primam enim est extra nihil, et extra causas omnes; ergo superfluunt existentiae relativae. Prob. eadem conseq. quoad secundam partem: Primo implicat, quod id, quod semel est extra nihil, et extra omnes causas (quod est effectus formalis existentiae) iterum ponatur extra omnes causas; 2. implicat esse duas ultimas actualitates, seu duos terminos ultimos ejusdem ordinis, et rationis, quia tunc neuter foret ultimus. Atqui existentia est ultima actualitas, et ultimus terminus rei. Ergo.

Articulus III.

Utrum relationes divinae praeter perfectionem absolutam essentiae afferant aliam relativam.

Dico Relationes divinae praeter perfectionem absolutam essentiae, quam implicite important, non afferunt vi conceptus relativi aliam perfectionem relati-

vam, ab absoluta virtualiter distinctam. Ita Thomistae contra Thomistas. Prob. 1. Intantum aliquid est bonum, et perfectum, inquantum vel est in actu existentiae, vel dicit ordinem ad illam. Atqui relationes divinae vi conceptus *Ad*, et ut sunt puri respectus ad terminum, neque existunt, neque dicunt ordinem ad existentiam, sed solum vi conceptus *In*, seu ratione divinae essentiae, quam includunt. Ergo. Major est D. Thom. 1. p. q. 5., et patet, quia voluntas non fertur in aliquid, nisi sub ordine ad existentiam, id autem solum est bonum, et perfectum, quod voluntas appetit. Minor est etiam S. Doctoris q. 2. de pot. a. 5. ubi dicit *Quod relatio*, in *quantum est relatio non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid.* Patet insuper ratione, quia relatio, secundum sibi propria, et in quantum est purus respectus, nihil respicit, nisi ordinando ad terminum, quia totum ejus esse est ad aliud se habere; atqui non potest ordinare existentiam suam ad terminum, quia existentia relationis non est ad terminum, sed ad subjectum; Ergo ratione sui, et vi conceptus *Ad* non dicit ordinem ad existentiam, sed ab ea abstrahit.

Pr. 2. Ratio perfectionis debet sumi per ordinem ad subjectum inspectum ratione sui, et in illo sistendo; atqui relatio vi proprii conceptus nullum respicit subjectum ratione sui in illo sistendo, sed ratione termini. Ergo. Minor est D. Thom. hic a. 2., ubi ponit discrimen inter relationem, et alia genera, quod in aliis generibus a relatione, ut quantitate, et qualitate, etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subjectum ratione sui, et ad se, sic quantitas dicitur mensura substantiae, qualitas dispositio substantiae; sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad subjectum ratione sui, et in eo sistendo, sed per comparationem ad aliquid extra, scilicet terminum. Patet etiam ratione, quia hoc ipso, quo conceptus aliquis est relativus, licet subjectum respiciat, illud tamen respicit ordinando ad terminum, et ratione termini, quia totum ejus esse est ad aliud se habere. Major autem prob. Perfectio debet respicere subjectum perfectibile per commensurationem cum illo. Atqui si non respiciat subjectum ratione sui, sed ratione termini, non commensurabitur cum illo, sed cum termino, qui est ratio respiciendi subjectum. Ergo.

Pr. 3. ab inconvenientibus. Si relationes in divinis afferant, et multiplicent perfectionem relativam sequitur 1. quod erunt tres magnitudines, tres bonitates, tres perfectiones, consequenter tres magni, tres boni, tres perfecti substantive contr. August. l. 5. de Trin. c. 8. Sequitur 2. quod omnes tres Personae erunt quid perfectius saltem extensive, quam una contr. eumd. August. l. 6. de Trin. c. 8, et l. 8. c. 1., et sermon. 38. de tempore, ubi ait *Tantus est solus Pater, quantus est simul Pater, et Filius, et Spiritus S.* Sequitur 3°. quod nulla habebit omnem omnino perfectionem; Patri namque deerit Filiatio, et perfectio relativa filiationis, sicut Filio deerit Paternitas, et perfectio relativa paternitatis; sicut enim inter relationes intercedit oppositio relativa, ita inter perfectiones relativas. Ergo Pater non erit formaliter infinite perfectus, neque similiter Filius. Sequitur 4°. tolli aequalitatem inter Divinas Personas. Prob. 1. Hoc ipso, quo paternitas est perfectio relativa distincta a filiatione, debet ab ea distingui specie, seu quasi specie, et essentialiter, tum quia paternitas, et filiatio non differunt solo numero, ut duae paternitates, aut duae filiationes, tum quia distinctio mere numerica petitur a potentialitate, et materia, quae non est in Deo; unde quidquid differt in Deo, specie, et essentialiter differt; atqui quod specie, et essentialiter differt ab alio, est necessario perfectionis inaequalis cum illo, quia species sunt sicut numeri, quorum unus vel excedit, vel exceditur semper ab altero. Prob. 2. In hypothesi Pater, et Filius essent perfectiores Spiritu S., quia Pater ultra perfectionem paternitatis, et Filius ultra perfectionem filiationis haberent perfectionem spirationis activae; Spiritus S. autem haberet unam perfectionem scilicet spirationis passivae. Ergo.

DISSERTATIO IV.

De Personis divinis in communi, earum pluralitate, modo loquendi de illis, earumque notionibus. *D. Th. a. q.* 29. *ad* 38.

Articulus I.

Quid sit Persona? An sit idem cum hypostasi et subsistentia? an proprie sit in divinis, et quid significet?

Quaeritur 1. quid sit persona? R. Persona recte definitur a Boetio lib. de duabus naturis, *Rationalis naturae individua substantia.* Hanc definitionem hic defendit S. Th. et cum eo communiter Theologi. Pro quo nota, quod judicium de nomine non debet esse secundum id, a quo imponitur, sed secundum id, ad quod significandum imponitur; hinc quamvis nomen personae a personando, et repraesentando etymologiam derivet, inde tamen communi usu tractum est ad significandos ipsos homines substantialiter in se, qui usus frequens est in jure civili, et etiam in Scriptura, ut patet Sap. 6., Act. 10. et alibi. Explicatur definitio; dicitur *substantia*, quae tenet locum generis, et supponit pro substantia completa, unde non solum accidentia, sed etiam partes sive integrales sive essentiales, imo et anima rationalis etiam in statu separationis excluduntur a ratione personae. Ponitur *individua* loco differentiae, id est ita singularis, ut etiam sit incommunicabilis; quapropter Richardus a S. Vict. hanc particulam *incommunicabilis* definitioni personae majoris explicationis gratia addit.

Porro juxta S. Thomam ad Hannib. ad 5. q. unic. a. 3. Persona excludit triplicem communicabilitatem, scilicet universalis ad inferiora, quia est singularis; partis ad totum, quia est substantia completa; naturae ad suppositum, quia est ultimo terminata. Hinc a ratione Personae excluditur humanitas Christi, quia licet sit singularis prout singulare opponitur universali, non est tamen incommunicabilis supposito. Item essentia divina, ut praeintellecta Personis, quia licet subsistat subsistentia absoluta, est tamen illis communicabilis. Subsistentiae vero relativae in Deo sunt vere Personae, quia licet natura sub illis sit communicabilis, ipsa autem Persona, seu ipsa natura reduplicative ut personata non est communicabilis. Etenim Persona Patris, aut natura ut in Patre, non est communicabilis Filio, et hoc sufficit in divinis ad rationem Personae, licet forte non sufficeret in humanis.

Dicitur; *naturae rationalis seu intellectualis*: quia licet alia composita substantialia naturarum irrationalium habeant suam subsistentiam, et sint suppositа, non tamen sunt, nec dicuntur personae; dicitur enim suppositum leonis aut lapidis, non persona, quia scilicet, ut diximus, nomen personae prae se fert aliquam dignitatem, et ideo solis suppositis intellectualibus appropriatur. Unde infers hypostasim, et subsistentiam magis late patere quam personam; quod enim hypostasis, et subsistentia significant in toto genere substantiarum, hoc nomen Personae significat in genere rationalium substantiarum.

Quaeritur 2. utrum personae divinae possint dici tres substantiae, sicut dicuntur tres hypostases, seu tres personae? Ratio dubitandi est, quia definitur persona per substantiam. Ante responsionem adverte substantiam secundum etymologiam dici dupliciter, vel a substentando, vel a subsistendo, seu per se existendo. Quo posito R. Si sumatur 1. sensu recte dixit Aug. l. 7. de Trinit. c. 5. Deum abusive vocari substantiam, quia scilicet nullis accidentibus substat, si sumatur 2. modo, equidem maxime Deo convenit, quia est ens a se, maxime per se subsistens et ab omni alio independens.

Haec de substantia secundum id, a quo nomen est impositum; si autem consideretur secundum id, ad quod significandum est impositum, secundum diversas nationes diversa fuit significatio, atque adeo aequivocatio. Graeci usurpabant illud pro persona et hypostasi; unde dicebant in Deo tres substantias, ut testatur Aug. l. 5. de Trinit. c. 8. his verbis: *Plerique nostri, qui hoc graeco tractant eloquio, dicere convenerunt unam essentiam, tres substantias*: Latini vero usurpabant illud vocabulum pro essentia, ut testatur idem Aug. ibid. c. 9. his verbis. *Sed quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam tres substantias; sed unam essentiam vel substantiam.* Quapropter ut tollatur aequivocatio, et occasio erroris, et quia versamur inter Latinos, apud quos substantia primo importat essentiam; non debemus dicere in Deo simpliciter tres substantias, sed cum addito tollente aequivocationem, v. gr. tres substantias individuas, hoc enim non est aliud dicere, quam tria supposita incommunicabilia.

Quaeritur 3. utrum ratio personae proprie reperiatur in divinis? R. Affirmative. Est de fide definitum in Concilio Tolet. 2. et Lateran. cap. *firmiter* receptum ab universali Ecclesia cantante ex Symbolo Athanasii, *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Et patet ex his omnibus, quae diximus de veritate hujus mysterii in Dissert. prooemiali. Adstipulatur ratio. Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, quatenus importat et naturam intellectualem, quae est omnium naturarum perfectissima, et modum existendi per se, qui est omnium dignissimus. Quidquid autem perfectionis est, proprie reperitur in Deo: ergo.

Quaeritur 4. Quid significet in divinis hoc nomen Personae? R. Persona in communi non significat relationem, sed substantiam; est enim Persona in communi rationalis naturae individua substantia. In divinis autem significat relationem, non tamen ut est formaliter, et explicite relatio, seu respectus ad terminum, sed ut est substantialiter subsistens, quia persona in divinis constituitur per relationem ut subsistentem, ut dicemus modo. Ex quo sequitur, quod hoc nomen personae etiam dictum de divinis, non sit nomen relativum, sed absolutum, quia licet significet relationem, non tamen significat ut est formaliter relatio, seu per modum relativi, sed per modum subsistentis.

Articulus II.

Utrum Personae divinae constituantur relationibus.

Nota 1°. Relationem duplicem importare conceptum scilicet conceptum *in*, et conceptum *ad*. Primus est communis omnibus accidentibus, et in divinis omnibus relationibus, cum hac differentia, quod in relationibus creatis importat inhaerentiam, quia est accidens, in divinis subsistentiam, quia est substantia, identificata scilicet cum natura divina, unde fundamentum relationis divinae quatenus realis, non est aliquid reale distinctum, ut in creatis, sed ipsa identificatio cum natura divina. Conceptus *ad* est relationi specificus, eoque distinguitur ab aliis accidentibus, et distinguuntur diversae relationes inter se, quatenus dicunt respectus ad diversos terminos.

Nota 2°. in ipso conceptu *ad* posse iterum distingui duplicem rationem; primam quatenus est entitas relativa in se, seu in actu signato, et afficiens ut quo subjectum; secundam quatenus ipsum exercite, et actu refert ut quod ad terminum. Prius enim est concipere relationem in se entitative afficientem ut quo subjectum, quam ipsum actu referre ad terminum, licet sint semel, et simul tempore.

Neque tamen conceptus *ad* afficiens ut quo subjectum, coincidit cum conceptu *in*. Hic enim non solum pertinet ad lineam entis relativi, sed etiam absoluti, quia non importat tantum inhaerentiam, vel subsistentiam ipsius *ad*, sed etiam praedicata intrinseca entis creati, vel increati. Ita ut si sit relatio creata, et accidentalis, importet non solum inhaerentiam, sed etiam rationem entis limitati, dependentis, omnisque perfectionis, et imperfectionis talis accidentis; Si sit relatio increata conceptus *in* importat non solum esse subsistens et reale, sed etiam ipsam entitatem divinam cum omnibus attributis et perfectionibus, quae in *Ly divina* includuntur, cum hoc tamen discrimine, quod ea quae perfectionis sunt, et pertinent ad rationem essendi, et existendi, non transeant ad conceptum *ad* nec in ejus ratione multiplicentur, quia totum, quod est divinitatis et perfectionis manet unum, et commune tribus Personis neque in eo opponuntur relationes. At vero esse subsistens, et reale transeunt ad ipsum *ad*, et in ejus ratione formali multiplicantur, quia in ratione subsistentiae, et realitatis multiplicantur relationes. In ratione quidem subsistentiae, quia ad subsistentiam pertinet terminatio incommunicabilis, incommunicabilitas autem habetur per oppositionem, et per consequens per ipsum *ad* ut *ad*. In ratione realitatis, quia terminus realiter respicitur, et non solum per rationem, ad differentiam relationis rationis. Uno verbo quidquid ad perfectionem, et ad esse pertinet in relationibus divinis, tenet se ex parte *in*, et non multiplicatur in relationibus, sed identice invenitur in illis. Quidquid autem est oppositionis, ut relatio, subsistentia, Personalitas, etiamsi reale sit, pertinet ad ipsum *ad*, ut distinguitur implicite ab *in*, et in illo conceptu *ad* formaliter invenitur; sic tamen quod ipsa realitas oriatur ex ipso *in*, sicut in relationibus creatis oritur ex fundamento; sed in divinis esse, seu realitas relationis non pendet a fundamento, sed ex identificatione cum essentia divina, fundamentum autem, puta generatio activa requiritur solum ad exercitium relationis in respiciendo, et attingendo terminum. A Joanne a S. Thoma haec pauca hausimus ad intelligentiam hujus difficilis quaestionis.

Dico. Personae divinae constituuntur relationibus non sub conceptu formae exercitae referentis, sed sub conceptu entitatis, seu formae afficientis subjectum, et hypostatice subsistentis. Prob. ratione, qua simul confutantur variae sententiae. Personae divinae constituuntur per aliquid reale; sed illud reale in divinis non potest esse aliud, quam relatio: ergo. Major constat; personae enim divinae sunt reales, et realiter inter se distinguuntur independenter ab intellectu, eo autem constituuntur quo sunt, et distinguuntur. Prob. min. Omne reale, quod possumus concipere in divinis personis, vel sunt ipsae personae secundum se totas spectatae, vel aliquid absolutum commune omnibus, vel aliquid notionale cuilibet proprium, et istud notionale est triplex, nempe origo, innascibilitas respectu personae Patris, de quo est potissimum difficultas, et relatio: atqui ex his omnibus rationibus nulla praeter relationem potest constituere divinam personam: ergo. Singulae minoris partes sunt probandae.

Prob. prima pars min. contra Praepositivum, et Gregorium Ariminensem. Eo personae divinae constituuntur in ratione talis personae, quo ab invicem distinguuntur: atqui personae divinae non distinguuntur inter se, se totis, alias differrent per essentiam et in essentia, in qua tamen conveniunt: ergo. Hinc in Concil. Lateran. cap. *firmiter* dicitur: *Sanctissima Trinitas secundum communem essentiam est indivisa, secundum vero personales proprietates discreta.* Et in Concil. Flor. sess. 1. asseritur *Personas divinas per suas proprietates differre.* Unde haec sententia Praepositivi, cujus meminit S. Th. infra q. 32. a. 2. communiter a Theologis rejicitur, et variis censuris notatur. Prob. secunda pars min. Quod est commune tribus personis, non potest specialem constituere

personam ab aliis discretam ; atqui omnia absoluta in Deo sunt tribus personis communia , ut fatentur omnes Theologi : Ergo. Unde haec sententia , quae tribuitur Joanni de Ripis , Licheto , et paucis veteribus , jam ex scholis exulavit , ut ad minus erronea et temeraria. Prob. tertia pars min. et 1. Quod persona Patris non constituatur per innascibilitatem contra Vasquez et Alarcon : quia innascibilitas sumitur vel formaliter, vel fundamentaliter. Si formaliter, tunc nihil ponit, sed dicit solam negationem principii, persona autem Patris realis est, et per aliquid reale constituitur : si sumatur fundamentaliter , id est pro fundamento talis negationis , vel illud fundamentum est absolutum , adeoque personam constituere incapax , ut diximus , vel relativum , quod non potest esse aliud , quam relatio paternitatis.

Prob. iterum tertia pars min. scilicet personas non constitui per origines activas et passivas , quae sententia communiter tribuitur S. Bonaventurae.

1. Contra rationem originis est , quod constituat personam: Ergo. Prob. ant. Origo activa supponit personam , a qua egreditur , actiones enim sunt suppositorum , et prius est personam esse , quam personam operari : Ergo eam non constituit ; passiva vero praesupponitur ad personae constitutionem , quia est via ad illam constituendam , unde non potest dici illam constituere formaliter , sed vialiter tantum et causaliter : sicut Petrus constituitur formaliter homo per humanitatem , vialiter tantum et causaliter per nativitatem ; quaeritur autem hic de constitutivo formali : ergo.

Superest igitur , ut sola relatio sit divinarum personarum constitutivum , quia sola est illarum ad invicem distinctivum ; sola autem distinguit , quia sola adfert oppositionem et incommunicabilitatem , omnia enim absoluta sunt tribus personis communia. Unde illud celebre Boetii : *Substantia praebet unitatem , relatio multiplicat Trinitatem* : et istud vulgatum Anselmi : *Omnia in divinis sunt unum et idem , ubi non obviat relationis oppositio.* Et in Conc. Tolet. 2. in confessione fidei habetur sic : *In relatione personarum numerus cernitur* : et infra : *hoc solo numerum insinuant , quod ad invicem sunt.*

Relatione , inquam , constituuntur personae , non quidem relatione in actu exercito , seu concepta ut forma actu et exercite respiciente , seu quasi deosculante *ut quod* terminum , ut sic enim supponit personam , et sequitur ad generationem , sed relatione in actu signato concepta *ut quo* secundum quidditatem quatenus afficientem subjectum et quidem substantialiter , utpote identificatum cum natura divina , sub quo conceptu habet rationem formae hypostaticae et subsistentis. Haec diligenter adverte ad solutionem difficilium objectionum.

Articulus III.

Utrum in Deo , secundum se considerato et personis praeintellecto , sit aliqua subsistentia absoluta et praeter illam sint insuper tres subsistentiae relativae.

Subsistentia quatuor importat : 1. singularitatem , res enim in universali non subsistunt. 2. Modum existendi per se independenter ab alio sustentante , qui dicitur perseitas independentiae. 3. Modum existendi incommunicabiliter seu incommunicabilitatem naturae ut suppositae et terminatae , alteri termino et supposito , quae dicitur perseitas incommunicabilitatis. 4. Ipsum concretum naturae per modum habentis ipsam et principii *quod* operationum.

Dico 1. In Deo secundum se considerato et relationibus ac personis praeintellecto datur subsistentia absoluta , qua existit per se independenter ab alio sustentante , et constituitur principium *quod* operandi. Ita Aug. 7. de Trinitate cap.

4., Hieron. Epist. 57. ad Damasum Cyrillus Alex. et alii, sed maxime S. Th. Prob. Deus secundum se consideratus, et relationibus ac personis praeintellectus est revera subsistens: atqui non subsistentia relativa et personali: ergo subsistentia essentiali et absoluta. Minor patet. Maj. in qua est difficultas, prob. multipliciter. 1. Deus secundum se consideratus, et ut personis praeintellectus creat et operatur *ad extra*, alias non forent indivisa opera Trinitatis *ad extra*, item intelligitur intelligens et volens in illo priori: ergo et subsistens. Patet conseq. quia cum subsistentia sit actus substantialis, prius natura convenit, quam operatio, quae ex communi conceptu non est actus substantialis: unde dicit S. Th. infra q. 75. a. 2. *Nihil potest per se operari, nisi quod per se subsistit*, et illud comune axioma: *Actiones sunt subsistentium.*

2. Subsistere dicit maximam perfectionem, dicit enim modum essendi perfectissimum, atqui Deo secundum se considerato et personis praeintellecto, cum sit actus purus et infinitus, convenit omnis perfectio: ergo.

3. Deo antecedenter ad personas convenit esse seu existere per se: ergo et subsistere. Patet conseq. quia per subsistentiam absolutam nihil aliud intelligimus, quam perseitatem independentiae seu existere per se, et existentia per se supponit subsistentiam, existere enim per se est actus subsistentis.

Caeterum observandum est quod sicut non dicimus simpliciter tres substantias, ne detur occasio erroris, sed cum addito v. g. tres substantias individuas, seu relativas, ita similiter ut auferatur aequivocatio, non dicimus simpliciter unam subsistentiam, sed unam subsistentiam absolutam, seu cum alio simili addito, denotante nos loqui de subsistentia absoluta.

Insuper pro solut. Obj. advertendum quod in natura creata potest ab eadem forma praestari, quod perfectionis est, scilicet perseitatem independentiae, et quod est merae incommunicabilitatis. In Deo autem quod perfectionis est non potest praestari nisi ab essentia, et quod est incommunicabilitatis non potest oriri nisi a Relationibus, tum quia Relationes nullam dicunt perfectionem; tum quia etsi dicerent, Essentiam divinam tamen in linea absoluta perfecto modo existentem supponunt, adeoque et subsistentem. Et quamvis divina natura petat existere in Relationibus, non tamen ex indigentia ut per se existat, id enim habet ratione sui, sed ex infinita sua foecunditate, ratione cujus petit existere in tribus Personis.

Dico 2. Praeter subsistentiam absolutam dantur in Deo tres subsistentiae relativae, et personales: Est contra Durandum et quosdam alios. Ita S. Th. hic q. 29. a. 2. ad a. ubi ait: *Sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres personas et tres subsistentias, ita Graeci dicunt tres hypostases.* Et infra q. 40. a. 3. ad 2. *Paternitate Pater non solum est Pater, sed etiam persona, et est quis, sive hypostasis.*

Prima ratio a priori. Juxta fidem catholicam in Deo sunt tres personae, tres hypostases, tria supposita: atqui persona, hypostasis, suppositum constituuntur formaliter subsistentia: Ergo in divinis sunt tres subsistentiae. Probatur consequens: ad multiplicationem nominis substantivi, quale est suppositum, et persona, requiritur multiplicatio formae: unde si unica daretur in Deo subsistentia, etsi tribus relationibus modificata, sicut datur unica natura tribus relationibus modificata, non magis possemus dicere in divinis tres personas, quam tres Deos, sed teneremur unicam personam agnoscere propter unitatem subsistentiae. Imo non possemus dicere tres subsistentes etiam adjective, sicut dicimus modo tres divinos, quia nomina adjectiva non multiplicantur, nisi multiplicato supposito, v. g. idem homo habens plures artes non dicitur plures artifices, non multiplicata autem subsistentia non multiplicaretur suppositum, quod subsistentia formaliter constituitur, ut dicebamus modo.

Secunda ratio a priori. De ratione subsistentiae ut sic, prout abstrahit a

communicabili, et incommunicabili, est reddere naturam ut habentem esse per modum totius subsistentis, et principii *quod* agendi, actiones enim sunt subsistentium, et hac ratione admittimus in Deo Personis praeintellecto, subsistentiam absolutam, qua constituatur principium *quod* actionum essentialium, et communium. Atqui in Deo non solum sunt operationes essentiales, et communes toti Trinitati, sed etiam notionales, et propriae divinis Personis, ut generare Patri, spirare Filio, spirari Spiritui S. Ergo debent dari non solum diversi modi incommunicabilitatis, sed verae, et distinctae subsistentiae relativae, quibus constituantur diversa principia *quod* harum actionum notionalium, scilicet Pater principium *quod* generationis activae, Filius principium *quod* spirationis activae, imo et Spiritus S. terminus *qui* hujus spirationis, quia sicut principium *quod*, ita et terminus *qui* hujus actionis debet esse subsistens; sicut enim actiones, ita et passiones, seu quasi passiones sunt subsistentium.

Tertia ratio a posteriori desumpta ex Mysterio Incarnationis. Natura humana unita fuit Verbo non in aliquo sibi, et aliis Personis communi, alias tres Personae essent incarnatae, sed in aliquo sibi proprio. Atqui unita est in ejus subsistentia personali, supplente vices subsistentiae creatae. Ergo datur in Filio subsistentia personalis, virtualiter distincta ab absoluta; si in Filio pari ratione in Patre, et Spiritu S.

Ex dictis patet differentia inter divinam existentiam, et subsistentiam. Hoc ipso enim quod Personae ponuntur semel extra omnes causas et extra nihil per existentiam absolutam, non possunt poni per alias existentias, quae sunt superfluae, imo et impossibiles. At subsistentia non solum habet dare perseitatem independentiae, et constituere principium *quod* actionum essentialium, sed etiam dare perseitatem incommunicabilitatis, et constituere principium *quod* actionum notionalium. Cum itaque subsistentia absoluta hoc utrumque ultimum conferre non possit, repetendum est a subsistentia respectiva.

Articulus IV.

De pertinentibus ad unitatem vel pluralitatem in divinis quoad modum loquendi. D. Th. q. 31.

Dico, et pro regula generali sic statuo cum nostro Bapt. Gonet. Quae conveniunt personis ratione solius essentiae, singulariter tantum dicuntur; quae conveniunt eis solum ratione relationum, dicuntur tantum pluraliter: quae tandem eis conveniunt ratione essentiae et relationum, dicuntur singulariter et pluraliter. Ratio hujus regulae patet; quia relatio multiplicatur in divinis, essentia autem manet una immultiplicata; ergo quae conveniunt personis ratione essentiae, unitatem retinent, et singulariter praedicantur; quae conveniunt ratione relationum multiplicantur, et pluraliter praedicantur; quae ratione utriusque conveniunt, dicuntur singulariter quatenus conveniunt ratione essentiae, pluraliter quatenus conveniunt ratione relationum. Ita etiam statuit Conc. Toletanum 2. in professione fidei his paucis verbis: *Hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt.*

Ex hac regula generali sequitur 1. dici tres personas in divinis, non unam personam, quia ratio personae sumitur pro relatione subsistente. Idem dic de hypostasi, quae communi sensu Ecclesiae nunc sumitur pro persona. Secus de hoc vocabulo *Individuum*, quia in individuis natura dividitur, non in personis. Persona enim pro significato formali importat personalitatem, et pro materiali naturam; e contra individuum pro formali naturam, et pro materiali personalitatem. Possunt tamen dici tres divini, tres aeterni, tres omnipotentes, tres

boni etc. si hi termini sumantur adjective, ut sumuntur in Concil. Lateran. 4. c. *Firmiter* et alibi. Secus autem si sumantur substantive, ut sumpsit Athanasius in Symbolo dicens: *Non tamen tres aeterni, sed unus aeternus*; quia ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio formae et suppositi.

Sequitur 2. subsistentiam dici unam et plures, quia subsistentia sumpta pro perseitate independentiae convenit ratione naturae; sumpta pro perseitate incommunicabilitatis convenit ratione relationis. E contra existentia dicitur singulariter tantum, quia convenit personis ratione essentiae, ut probavimus.

Sequitur 3. entitatem, rem, realitatem singulariter et pluraliter dici, scilicet una res, quae est essentia, plures res seu realitates, quae sunt relationes, eo quod entitas, res et realitas sumantur pro esse non ficto sed rato, similiter ens concrete, si sumatur prout idem est ac habens entitatem, et opponitur nihilo, multiplicatur etiam substantive, quia revera relationes sunt tria entia, tres entitates reales, et non fictae. Si vero sumatur ens concrete, prout idem est ac habens essentiam vel existentiam non multiplicatur substantive, quia unica est essentia, vel existentia in tribus personis, sed tantum adjective, quatenus sunt tres habentes essentiam, vel existentiam.

Sequitur 4. Deum posse dici trinum, non triplicem, seu in Deo esse Trinitatem, non triplicitatem. Trinus autem seu Trinitas denotat praecise numerum ternarium seu trium, qui revera reperitur in divinis. Potest tamen dici triplex persona, duplex processio, quia addendo *persona*, seu *processio* sufficienter excluditur multiplicitas naturae.

Sequitur 5. quod Filius possit dici unum cum Patre, non unus, et e contra quod possit dici alius a Patre, non aliud, quia nomina neutra appropriantur naturae, et masculina suppositis seu personis. Hinc etiam inferas in divinis non multiplicari τὸ *aliquid*, quia idem est ac *aliud quid*. Tamen provide monet S. Doctor ad evitandum errorem Arii nos non debere usurpare haec vocabula *diversum*, *dispar*, *differens*, *alienum*, *discrepans*, *divisum*, *separatum*, quia important diversitatem in natura. Possumus autem uti nomine *distinctionis* et *distincti*, quia haec vocabula sunt maxime generalia et communia, et significant tantum in communi aliquam distinctionem. Unde ubi in quibusdam Patribus legis *diversum*, benigne interpretare *distinctum*. Ad vitandum errorem Sabellii vitanda sunt haec vocabula, *singularis*, *unicus*, *confusus*, *solitarius*; quia distinctionem et ordinem personarum tollere videntur, eoque sensu intelligebant, et usurpabant Sabelliani. Ubi tamen nullum esset erroris periculum, non foret culpandus, qui quaedam ex recensitis vocabulis usurparet intendens unitatem non personae, sed naturae significare; unde legimus in actione 11. sextae Synodi *singularitatem Deitatis*.

Sequitur 6. hanc particulam exclusivam *solus*, si sumatur prout applicat suum significatum, nempe solitudinem, subjecto, ita ut idem sit ac solitarius ac sine consortio, non habere locum in divinis. Unde hae propositiones sunt falsae, *Deus est solus*, *Pater est solus*, quia neque Deus, neque Pater est sine comitatu seu consortio. Si vero ly *solus* sumatur quod non applicet significatum suum subjecto, sed denotet ordinem praedicati ad subjectum, et sit praecise exclusiva, habet locum in divinis; ut si dicas, solus Deus est aeternus, sensus est, quod aeternitas non conveniat aliis a Deo.

Advertendum tamen, quod dum conjungitur termino personali, excludantur aliae personae quantum ad ea solum, in quibus habent oppositionem relativam, per quam solam distinguuntur, non vero quantum ad ea, in quibus non habent talem oppositionem, cum in eis sint unum et idem. Unde cum dicitur solus Pater generat, excluditur Filius et Spiritus S., quia in generatione Pater habet oppositionem relativam immediate cum Filio, ut dictum est, et mediate cum Spi-

ritu S., ut dicemus infra. Dum autem dicitur, solus Pater cognoscit Filium, seu ut dicitur Matt. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater*; non excluditur propterea Filius, vel Spiritus S. quia in hujusmodi notitia non habent oppositionem, sed talis notitia una et eadem est in omnibus.

Articulus V.

De Notionibus Divinis.

Notio in divinis nihil est aliud, quam *propria ratio cognoscendi divinam Personam*, seu *ratio objectiva notificans Personam*, unde concipitur veluti nota, qua una Persona ab aliis distinguitur, ut sicut dicimus Deum essentia, vel Deitate esse unum, sic Patrem paternitate constitui, et a Filio distingui.

Tria requiruntur ad veram rationem notionis divinarum Personarum 1. quod ad originem pertineat, quia Personae constituuntur, et distinguuntur solis relationibus in origine fundatis. 2. Quod pertineat ad dignitatem, vel saltem dignitatem denotet, quia Persona est nomen dignitatis. 3. Quod sit aliquid speciale, et ratio discernendi unam Personam ab alia.

Notio, relatio, et proprietas in Divinis sunt una, et eadem res, id tamen est discriminis inter illas, quod relatio huic rei, seu formalitati competat per respectum ad correlativum; proprietas per respectum ad Personam, cujus est proprietas; notio per respectum ad intellectum, cui manifestat Personam.

Dico: Sunt in divinis quinque notiones non plures, nec pauciores, scilicet Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et Spiratio passiva; seu processio. Prob. Quinque assignatis non pluribus, nec paucioribus conveniunt tres conditiones requisitae ad veram notionem. Ergo. Pr. Ant. Quamvis innascibilitas prae se ferat negationem, denotat tamen, et circumloquitur magnam dignitatem, nempe esse a nullo, sed esse a se, et caput, ac fontem divinarum emanationum. Insuper est Patri propria, quia per innascibilitatem non intelligimus tantum negationem generationis, sed omnis omnino processionis ab alio, quod soli Patri convenit, tandem pertinet ad originem negative, eo modo scilicet, quo negatio reductive pertinet ad genus affirmationis, ut non homo ad genus Hominis. De Paternitate res patet; Est enim propria Patri, significat ejus dignitatem, et pertinet ad originem. De Filiatione similiter, importat enim perfectionem propriam Filio, fundatam in origine, per quam constituitur, et ab aliis Personis secernitur. Idem de spiratione passiva, seu Processione respectu Spiritus S. Spiratio autem activa licet sit perfectio communis Patri, et Filio, est tamen ipsis propria respectu Spiritus S. Ergo.

Obj. Ratio Imaginis, et Verbi respectu Filii, ratio doni, et amoris respectu Spiritus S. sunt rationes ipsis propriae quibus dignoscuntur. Ergo et notiones R. D. Cons. Ergo et notiones indistinctae a Filiatione, et Processione C. distinctae N. Fateor haec nomina convenire respective Filio, et Spiritui S. non tamen constituere diversas notiones, quia includuntur in adaequata ratione Filii, et Spiritus S., quae indiget pluribus nominibus, ut explicetur. Sic Filius ut ostendatur consubstantialis dicitur Filius, ut ostendatur omnino similis dicitur Imago; ut coaeternus dicitur splendor, ut immaterialiter genitus dicitur Verbum. Non potuit autem unum nomen inveniri, per quod ista omnia designarentur. Idem dic proportionaliter de Spiritu S.

Corollarium

De proprietatibus, potentiis, et actibus notionalibus.

Ex dictis colliges quod licet notiones sint eaedem formalitates cum relationibus et proprietatibus, non omnem tamen notionem esse proprietatem, aut relationem, etenim spiratio activa, licet sit notio Patris et Filii non est proprietas saltem simpliciter, cum sit communis duabus Personis; et innascibilitas non est relatio, et licet sit simpliciter proprietas Patris seu Personae, non est tamen proprietas personalis, quia non est ejus constitutiva in ratione Personae, quod intelligimus per proprietatem personalem. Unde habes, quod licet sint quinque notiones assignatae, sunt tamen quatuor tantum proprietates, nempe Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, et Processio, tres proprietates Personales, Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva, seu Processio, et quatuor relationes Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, et passiva.

Petes 1. quot sunt actus notionales? R. esse duos, scilicet generationem, et spirationem activam, quibus respondet duplex potentia notionalis, intellectiva scilicet, et spirativa.

Petes 2. Quot sunt nomina notionalia? R. Esse tria cuilibet Personae propria. Primae *Pater Ingenitus*, seu *innascibilis*, *et principium*. Secundae *Filius*, *Imago*, *Verbum*. Tertiae *Spiritus*, *Donum*, *et Amor*.

DISSERTATIO V.

De Personis Divinis in particulari
S. Th. a. q. 33. *ad* 38.

Articulus I.

De Persona Patris

Quaeritur utrum Patri competat esse principium. Nota quamvis Graeci utantur in Divinis indifferenter nomine causae, et principii, quia non sumunt causam stricte prout efficit, et habet diversitatem aliquam essentialem ab effectu, sed prout significat id, a quo aliquid est, quovis modo sit; Latini tamen utuntur communiter nomine principii, tum quia apud ipsos causae respondet effectus, nulla autem Persona divina est facta; tum quia apud Gentiles Philosophos nomen causae, dictum de Deo, designat ipsius habitudinem ad creaturas, dicunt enim Deum esse primam Causam, et Creaturas esse ejus causata. Nomen autem principii dupliciter sumunt in Divinis, vel essentialiter respective ad Creaturas, vel notionaliter, prout tribuitur uni Personae respective ad aliam. Licet vero dicant Patrem principium propter tamen haeresim Arianorum non dicunt Filium principiatum, quia esse principiatum videtur importare aliquam inferioritatem, et minorationem. His notatis.

Resp. Si nomen principii sumatur notionaliter, specialiter convenit Patri. Prob. Licet hoc nomen *principium*, quantum ad id a quo imponitur, videatur a prioritate sumptum, non tamen imponitur ad significandam prioritatem, sed originem, unde licet Pater non sit prior Filio, est tamen ejus principium. At cum Pater sit id, a quo procedunt Filius et Spiritus S. et ipse a nullo procedat; consequens est, quod sit principium sine principio. Filius autem licet ab illo procedat Spiritus S. ipse tamen procedit a Patre, unde est principium cum principio. Ergo.

Quaeritur 2. Utrum hoc nomen *Pater* sit proprium primae personae divinae? R. affirmative. Patet 1. ex illo Ps. 88. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu.* Patet 2: ratione: quia nomen proprium cujuslibet personae significat id, per quod illa persona ab aliis distinguitur. Atqui id, per quod prima persona divina ab aliis distinguitur, est paternitas. Ergo hoc nomen *Pater* est illi proprium.

Quaeritur 3. Utrum esse *ingenitum* sit proprium Patri? R. Affirmative, quia nomine *Ingeniti* hic non intelligimus, quod non est ab alio per generationem, sic enim conveniret etiam Spiritui S.; sed intelligimus, quod omnino non est ab alio, sive per generationem, sive alio quocumque modo, seu quod est omnino improducibile; sic autem *ingenitum* est proprium Patri, quippe qui est principium sine principio, Filius principium cum principio, Spiritus S. principium ab utroque.

Articulus II.

De Persona Filii. D. Th. q. 34. 35.

Quaeritur 1. Quae sunt varia nomina quibus insignitur secunda Trinitatis Persona? R. Tria sunt praecipua, scilicet *Filii*, *Verbi*, et *Imaginis.* Quamvis haec tria sint omnino unum et idem absque virtuali distinctione, distinguuntur tamen penes modum significandi, et ordinem ad diversa connotata extrinseca. Filius dicitur respective ad Patrem. Verbum respective ad intellectum, cui manifestat res cognitas. Imago respective ad principium, quod imitatur: quae jam dicta sunt supra dum de processionibus, et a D. Th. loc. cit.

Quaeritur. 2. Ex quarum rerum cognitione Verbum per se procedat a Patre? R. 1. Verbum procedit per se ex cognitione non solum essentiae et attributorum, sed relationum, et creaturarum possibilium. Prob. 1. Ex SS. August. et Thom. S. August. enim l. 15. de Trinit. c. 14. de Patre dicit: *Novit omnia Deus Pater*; Et de Verbo; *De scientia Patris natum est.* S. Th. hic q. 34. a. 1. ad 4. *Pater intelligendo et Filium et Spiritum S. et omnia alia, quae in ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur et etiam omnis creatura.* Intellige de scientia naturali et necessaria, quae est tantum possibilium, ut dicam secunda responsione, et patet ex illo alio testimonio S. Th. ibid. a. 3. o. *Deus* inquit, *cognoscendo se cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repraesentativum omnis ejus, quod actu intelligit, unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva: ita Verbum Dei, ejus, quod in Deo Patre est, est expressivum tantum, creaturarum vero est expressivum*, et operativum. Vides S. Doctorem non dicere *faciens* aut *facturum*, sed factivum et operativum, ideoque non loqui de scientia libera, qua res futurae sunt aut fiunt, sed de scientia necessaria, qua res fieri possunt.

R. 2. Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarum futurarum, sed concomitanter tantum et per accidens. Quia cognitio, ex qua per se procedit Verbum, debet prius origine convenire Patri quam Verbo: atqui cognitio futurorum non convenit Patri prius origine quam Verbo, quia supponit decretum, quod est commune tribus personis, nec prius origine convenit uni quam alteri: Ergo.

Obj. Ex hac sententia sequitur necessario Verbum esse prius seipso, et Spiritus S. esse priorem, et posteriorem Verbo. Verbum est prius seipso, quia cognoscitur intuitive ut existens antequam procedat; Spiritus S. est prior Verbo,

quia cognoscitur intuitive existens, antequam procedat Verbum, et est posterior Verbo, quia ex illo procedit. Ergo. R. Corrigendus est hic imperfectus noster intelligendi modus ortus ex imbecillitate mentis nostrae, quae divinarum Processionum rationem attingere non valet. Prioritas inter divinas Personas est tantum prioritas originis, et a quo, seu ordinis, et rationis; nullatenus prioritas durationis, et in quo; simul namque existunt in eodem nunc aeternitatis, ita ut prioritas ordinis, et rationis nostrae nullo modo officiat earum coexistentiae, nec consequenter cognitioni intuitivae. Si tamen vis ludere in prioritate ordinis et rationis distingue sic: Verbum est seipso prius, Spiritus S. est prior, et posterior Verbo sub eadem ratione N. sub diversa ratione C. Verbum ut cognitum est prius seipso ut procedente; Spiritus ut cognitus est prior Verbo, ut procedens est posterior: Sed istae prioritates sunt figmenta rationis nostrae. Etenim a parte rei semel, et simul ab aeterno Verbum, et Spiritus S. cognoscuntur, et procedunt.

Articulus III.

De Persona Spiritus Sancti.

§. I. *Utrum Spiritus S. procedat a Filio?* D. Th. q. 36.

Spiritum Sanctum a Patre procedere communis est et certa fides, quam expresse tradit Scriptura Joan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*: et quam adversus Arianos et Macedonianos, qui cum Filium et Spiritum Sanctum in ordinem creaturarum redigerent, dicebant Filium a solo Patre, et Spiritum sanctum a solo Filio esse factum, Concilium Constantinopolitanum primum decretorie definivit, addendo Symbolo Nicaeno has particulas de Spiritu Sancto, *qui ex Patre procedit.*

At ipsum a Filio procedere negant Graeci, non tamen negant omnem in eo respectum ad Filium; concedunt namque Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, et esse a Patre per Filium, imo quod sit a Filio, quod effluat, scaturiat, emanet, spiretur a Filio, non tamen quod procedat ab illo, quia existimant id importare duo principia, nec Patrem et Filium esse unicum illius processionis principium, eo quod *procedere* apud ipsos designet processionem ex principio, quod ab alio non procedit: unde videtur quaestio quasi de nomine, nata ex ignorantia vel protervia.

Dico (*hic, et cont. Gen. c. 24.*) Spiritus Sanctus a Filio procedit. Prob. 1. auctoritate Scripturae. Tria asserit Scriptura, quae stare non possunt si Spiritus Sanctus non procedat a Filio. Primum, quod Spiritus Sanctus accipiat de Filio: Secundum, quod Filius mittat Spiritum Sanctum: Tertium, quod Spiritus S. sit Spiritus Filii. Igitur 1. Spiritus Sanctus accipit a Filio: Joan. 16. *Non loquetur a semetipso; sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*: atqui in divinis una persona non accipit ab alia, nisi quia procedit ex illa: ergo. Prob. min. Quod quis accipit ab alio, vel est quid accidentale vel quid substantiale, atqui Spiritus Sanctus non accipit a Filio aliquid accidentale, uterque enim est expers accidentis: ergo quid substantiale et ipsam substantiam per actionem substantialem, quod est procedere in substantia a Filio. Item Spiritus Sanctus accipit a Filio scientiam, ab illo enim audiet, quaecumque annuntiabit: atqui scire illi est esse, ut ait Aug. Tract. 99. in Joan. Et patet, quia scientia in Deo non distinguitur ab essentia ut dictum est in Tract. de Deo.

2. Filius (*Opusc. cont. Error. Graec. c.* 32. §. *Similiter*) mittit Spiritum San-

etum, Joan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Et cap. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Atqui Spiritum Sanctum mitti a Filio est ab illo procedere: ergo. Prob. min. Missio unius ab alio fit, vel tamquam a superiore per imperium, vel tamquam a sapientiore per consilium, vel per processionem seu originem tamquam a principio: atqui Spiritus Sanctus non mittitur a Filio tamquam a superiore per imperium, neque tamquam a sapientiore per consilium: ergo tamquam a principio per processionem seu originem.

3. Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii: Act. 16. *Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bythiniam, et non permisit eos Spiritus Jesu* Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*; et alibi, ex quibus sic argumentor. Eo modo Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, quo dicitur Spiritus Patris, Matth. 20. *Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Atqui in tantum dicitur Spiritus Patris in quantum procedit a Patre: ergo. Item Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii, vel quia procedit a Filio, vel quia Filius procedit ab ipso; non secundum: ergo primum. Prob. maj. Spiritus Sanctus non dicitur Spiritus Filii ratione subjectionis aut servitutis, sed ut persona coaequalis: ergo ratione originis, quia nempe procedit a Filio, aut Filius ab ipso, nihil enim est aliud assignabile.

Prob. 2. ex Patribus Graecis, qui ante schisma floruerunt, et ex Conciliis generalibus. S. Athanas. orat. 3. cont. Arian. *Quaecumque*, inquit, *Spiritus habet, haec a Verbo habet*: et in Symbolo, quod ejus nomine inscribitur: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec genitus, sed procedens.* S. Basilius l. 5. cont. Eunom. probat Spiritum Sanctum esse ordine tertium in SS. Trinitate et secundum a Filio, *ut qui ab isto esse habeat.* S. Epiphanius in Anchorato n. 8. *Spiritus Patris et Spiritus Filii ..... ex Patre et Filio procedens.* S. Cyrillus Alex. cum Synodo Alex. in Epist. ad Nestorium n. 10. *Etsi Spiritus in se propria persona subsistat, eatenusque in se ipso consideretur, quatenus est, et non Filius, non est tamen ab eo alienus, quandoquidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit.* Porro haec Epistola S. Cyrilli lecta et probata fuit in quinque Conciliis generalibus 3. 4. 5. 6. et 8. Eamdem veritatem praesentibus et consentientibus Graecis postea definierunt Concil. Lat. IV. sub Innoc. III., Lugdun. II. sub Greg. X., et Flor. sub Eug. IV.

Pr. 3. Omnia in divinis sunt communia, ubi non obviat relationis oppositio, ut fert axioma communiter receptum: atqui inter Patrem et Filium non est oppositio relativa ratione spirationis activae: ergo haec est utrique communis. 2. Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, Filius non haberet totam essentiam Patris, proindeque non esset Filius, nec coaequalis Patri: ergo. Prob. Ant. non haberet eamdem voluntatem cum Patre, nam si haberet, produceret per illam Spiritum Sanctum, sicut Pater producit: ergo. 3. Si Spiritus S. a Filio non procederet non distingueretur ab illo. Personae enim in divinis non distinguuntur nisi per relationes oppositas, quae fundantur in origine, seu processione unius ab alio. Ergo. Hac potissimum ratione Concilium Florent. probat contra Graecos Spiritum S. a Filio procedere. *Est vero* (inquit Joannes Theol. sess. 18) *secundum Doctores tam Graecos, quam Latinos sola relatio, quae multiplicat Personas in divinis productionibus quae vocatur originis.*

Eamdem rationem impugnant nihilominus Scotistae, qui non negant Filium distingui a Spiritu S. per Spirationem activam, sed volunt, quod distinguatur etiam per Filiationem, ita ut ablata per impossibile spiratione activa adhuc distingueretur.

In argumento autem allato negant Ant. et ad probat. dicunt, vulgatum prin-

cipium intelligendum esse de oppositione relationis, vel relativa, vel disparata. Oppositio relationis relativa, inquit doctissimus P. Henno *disp.* 1. *q.* 10. est repugnantia, quae reperitur inter duas relationes, quae sese invicem respiciunt, ut inter Paternitatem, et Filiationem, Spirationem activam, et passivam. Disparata vero est repugnantia inter duas relationes, quarum una sua relatione formali non est realiter altera, licet non se respiciant, nisi praecise in quantum unum distinctum respicit aliud, a quo distinguitur, et tales sunt Filiatio, et Spiratio passiva. Et licet Paternitas et Spiratio activa, item Filiatio, et Spiratio activa non sint incompossibiles in eodem supposito, attamen Filiatio, et Spiratio passiva sunt incompossibiles, quia, inquit, implicat idem produci per duas productiones totales, quod tamen fieret, si unica Persona haberet Filiationem, et Spirationem passivam, quandoquidem esset terminus generationis, et spirationis. Non implicat tamen eidem supposito duplex actio totalis duorum effectuum, adeoque nec Patri generare Filium, et spirare Spiritum S. Ita laudatus Theologus, et in hoc vertitur cardo difficultatis.

Haec Scotistarum responsio non salvat Doctrinam SS. Patrum, et Theologorum, et Concilii Florent. cit., qui unanimiter dicunt Personas distingui non per disparationem, ut ita dicam, sed per oppositionem: fingere autem oppositionem disparatam est abuti terminis contra sensum communem, et rerum notiones confundere. Disparata enim dicuntur, quae non sunt opposita, et quia non sunt opposita: sic album, et calidum dicuntur disparata, quia non sunt opposita, album, et nigrum non dicuntur disparata, quia sunt opposita.

R. directe contra fundamentum Scotistarum. Cum dicunt Scotistae, quod si Spiritus S. non procederet a Filio, forent nihilominus Personae realiter distinctae, quia forent duae productiones totales realiter distinctae, implicat autem eamdem Personam produci per duas productiones totales, petunt principium, et probant idem per idem; quia non sunt duae productiones totales realiter distinctae, nisi quatenus sunt duo termini, seu duae Personae realiter distinctae, productio enim Personae est Persona in fieri. Igitur probare esse duas Personas realiter distinctas, quia sunt duae productiones totales realiter distinctae, est probare esse duas Personas, quia sunt duae Personae, quod est petere principium, et probare idem per idem. Incumbit ergo Scotistis probare esse duas Personas realiter distinctas aliunde, quam ex distinctione duplicis productionis totalis, quam nos negamus. Non probant autem, et ut puto non probabunt. Interim dicimus nos, quod in hac hypothesi generatio, et spiratio foret una, et eadem productio totalis formaliter eminenter generativa, et spirativa, solum virtualiter, et ratione distincta. Et sicut in Patre intellectus et voluntas est eadem entitas virtualiter distincta, item generatio, et spiratio activa eadem entitas virtualiter distincta; ita Filius, et Spiritus S. foret eadem Persona, quae quatenus procederet per intellectum diceretur Filius, quatenus per voluntatem diceretur Spiritus S.; sicut nunc una, et eadem persona, quatenus producit per intellectum dicitur Pater, quatenus per voluntatem, Spirator. Qui plura voluerit, requirat in S. Thoma q. 10. de potent. a. 5.

Petes. 1. Utrum recte dicatur Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. R. affirmative: sic enim locuti sunt Patres Graeci, et inter Latinos S. Hilarius lib. 12. de Trinitate. Ratio est, quia Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus Sanctus: ergo potest dici, quod Pater per Filium spirat Spiritum Sanctum, sive quod idem est, quod Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium; quo etiam sensu dicitur de operationibus ad extra: Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

Petes 2. Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti? R. affirmative. Prob. 1. ex Patribus. Aug. 5. de Trinitate c. 15. *Fatendum est*, inquit, *Pa-*

trem et Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Idem Basilius lib. 2. contra Eumon. Ansel. lib. de processione Spiritus Sancti. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Lugdunense II. *Damnamus*, inquit, *qui temerario ausu asserere praesumpserint, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio tamquam ex duobus principiis, et non tamquam ex uno procedit.*
Refertur cap. *Fideli* de summa Trinitate in 6. et Concil. Florent. in litteris unionis. *Definimus, quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio . . . aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.*

Prob. 3. rationibus. 1. Pater et Filius in omnibus sunt unum, in quibus non distinguit eos relationis oppositio; atqui in hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti non opponuntur relative; ergo. 2. Quia in Patre et Filio una est virtus spirativa; unde sicut, quia in tribus personis est una Deitas, non dicuntur tres Dii, ita quia in Patre, et Filio est una virtus spirativa, non sunt duo principia, sed unum principium Spiritus Sancti.

Ex quo colliges etiam esse unum spiratorem, quia *spirator* est etiam nomen substantivum, licet sunt plures spirantes, quia spirans est nomen adjectivum: Et quamvis S. Doctor in 1. *d.* 11. *art.* 4. *et d.* 12. *a.* 3. dixerit esse plures spiratores, sicut sunt plures spirantes, sumendo spiratorem adjective, tamen melius est, inquit, hic dicere unum spiratorem, quia in rigore loquendo, spirator debet substantive accipi, sicut creator, genitor et similes, et ideo ibidem explicat S. Hilarium dicentem, quod *Spiritus S. est a Patre et Filio Auctoribus*, quod posuit substantivum pro adjectivo.

Petes 3. Utrum haec particula *Filioque* jure sit addita Symbolo Nicaeno Constantinopolitano? Contra Graecos contendentes hanc additionem fieri non potuisse, id vetante Concilio Ephesino. Resp. affirmative. Quia haec additio facta fuit ex legitima auctoritate, scilicet Ecclesiae, et ex causa necessaria, nempe ut efficacius reprimeretur error tunc latius grassans inter eos contra Processionem Spiritus S. a Filio. Unde ipsi Graeci in Lugdun. II. approbaverunt hanc additionem, Symbolumque, ter hanc additionem repetendo, cantaverunt cum Latinis inter missarum solemnia. Et Concil. Florent. post causam diligentissime discussam in definitionibus Fidei cui subscripserunt cum Latinis omnes Graeci, excepto Marco Ephesino, sic dicit. *Definimus insuper explicationem verborum illorum Filioque, veritatis dicendae gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.* Ergo.

§. II. *De variis nominibus Spiritus Sancti.*

Quaeritur 1. Utrum hoc nomen *Spiritus Sanctus* sit proprium tertiae Personae? R. quod si hoc nomen *Spiritus Sanctus* sumatur complexe, et vi duarum dictionum est commune singulis Personis Trinitatis; Pater enim est Spiritus et sanctus, similiter Filius est Spiritus et sanctus. At si sumatur incomplexe et in vi unius dictionis, ex usu Scripturae et Ecclesiae consuetudine accommodatur ad significandam tertiam Personam. Et hujus accommodationis est duplex convenientia. Prima est, quia nomen *Spiritus S.* est commune Patri et Filio, ut dictum est, propterea conveniens est, ut qui procedit ab utroque et est utriusque nexus appelletur proprie nomine, quod habent ambo communiter. Secunda, quia nomen *Spiritus* in rebus corporeis impulsionem quamdam, et motionem significare videtur, nam flatum et ventum *Spiritum* nominamus; est autem proprium amoris, quod moveat et impellat voluntatem amantis in amatum: sanctitas autem iis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur; quia igitur tertia Persona procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter *Spiritus Sanctus* nominatur.

Quaeritur 2. Utrum *amor* sit proprium nomen Spiritus Sancti. R. Si *amor* sumatur essentialiter, prout importat tantum habitudinem amantis ad rem amatam, est nomen commune toti Trinitati. Si autem sumatur personaliter, prout importat habitudinem rei, quae procedit per modum amoris ad suum principium, est nomen proprium Spiritui Sancto, quia Spiritus Sanctus procedit ex mutuo amore Patris et Filii ut quaedam impressio, seu impulsus in rem amatam.

Quaeritur 3. ex quarum rerum amore procedat Spiritus Sanctus? R. Spiritus S. per se procedit ex amore omnium, quae sunt formaliter in Deo, scilicet ex amore essentiae, attributorum, et personarum: per accidens et concomitanter ex amore creaturarum futurarum, nullo modo ex amore creaturarum possibilium. Haec patent partim ex his, quae diximus de cognitione, ex qua procedit verbum, partim ex dictis de amore Dei circa res creatas in Tract. praeced.

Quaeritur 4. Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto? R. Si *diligere* accipiatur essentialiter, (1. *p. q.* 37. *art.* 1. *o.*) Pater et Filius non diligunt se Spiritu S. sed sua essentia, quia Spiritus S. non est amor essentialis, sed notionalis. Si vero *diligere* sumatur notionaliter, Pater et Filius diligunt se Spiritu S., quia *diligere* notionaliter nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere Verbum, et florere est producere flores; sicut ergo dicitur arbor florere floribus, et Pater dicere Verbo se et creaturas, ita Pater et Filius dicuntur se et nos diligere Spiritu Sancto, seu amore procedente.

Quaeritur 5. utrum *donum* sit proprium nomen Spiritus Sancti? Ante responsionem nota *donum* posse sumi essentialiter, notionaliter, et personaliter. Essentialiter quatenus solum consideratur ut res, quae gratuito dari potest, et sic convenit toti Trinitati, et singulis personis, quippe quae se nobis gratuito communicare, et dare possunt. Notionaliter prout dicit originem passivam a donante, convenitque tantum aliquibus personis et non omnibus, et sic est proprium Filio, et Spiritui Sancto non Patri, quia Filius et Spiritus Sanctus habent originem a Patre, Pater a nullo. Personaliter prout convenit tantum uni personae. Unde R. *Donum* personaliter sumptum est nomen proprium Spiritus S., quia donum proprie importat gratuitam donationem. Ratio autem gratuitae donationis est amor, ideo enim damus gratis alicui, quia volumus ei bonum: primum ergo, quod damus ei, est amor, quo volumus ei bonum, et sic amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Ergo cum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione primi doni, consequenter *donum* est nomen ei proprium.

Inter (4. *cont. gent. c.* 22.) varia alia nomina, quae Spiritui S. appropriantur, singulare est nomen *Paracleti* seu Consolatoris. Hujus autem appropriationis ratio est, quia proprium amicitiae est, quod aliquis in praesentia amici delectetur, ac in eo consolationem contra omnes anxietates inveniat, unde in tristitiis maxime ad amicos consolationis causa confugimus. Quia igitur Spiritus S. Dei amicos nos constituit, et eum in nobis habitare facit, et nos in ipso, appropriatur enim illi sanctificatio animarum, consequens est, ut per Spiritum S. gaudium de Deo et consolationem habeamus contra omnes mundi infirmitates, et impugnationes: unde in Ps. 50. dicitur: *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.* Quidam addunt etiam dici *Paracletum*, quia post ascensionem Christi, in Apostolos moestos, tristemque Ecclesiam tamquam consolator dilapsus sit.

DISSERTATIO VI.

De comparatione personarum ad essentiam, ad proprietates personales, ad se invicem, et ad creaturas.

Articulus I.

De personarum comparatione ad essentiam, et ad relationes, et ad actus notionales.

Quaeritur 1. Utrum nomina essentialia, id est quae essentiam, seu essentiam spectantia nude significant absque insinuatione personarum, praedicentur singulariter de tribus Personis. R. Si nomina essentialia significent essentiam substantive, praedicantur de tribus Personis singulariter et non pluraliter: si vero significent essentiam adjective, praedicantur de tribus Personis in plurali. Ratio est, quia nomina substantiva significant aliquid per modum substantiae; substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem vel pluralitatem. Unde unitas vel pluralitas nominis substantivi atttenditur, non solum secundum suppositum, sed etiam secundum formam significatam per nomen. Nomina vero adjectiva significant aliquid per modum accidentis, quod inhaeret subjecto. Unde accidentia, sicut habent esse in, et ex subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem, vel pluralitatem, et ideo in adjectivis attenditur singularitas, vel pluralitas secundum supposita seu subjecta. Quapropter ad multiplicationem nominis substantivi requiritur multiplicatio formae et suppositi; ad multiplicationem autem nominis adjectivi, sufficit multiplicatio solius suppositi seu subjecti. Et ideo in humanis Petrum, Paulum, Marcum dicimus tres homines, et in divinis Patrem, Filium et Spiritum S. non dicimus tres Deos, sed unum Deum; quia in tribus suppositis naturae humanae sunt tres humanitates; in tribus autem Personis divinis est una divina essentia. E contra vero dicimus tres existentes, tres sapientes, tres aeternos, tres increatos, si adjective sumantur, ut sumpsit Athanasius in Symbolo dicens: *Totae tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales.* Si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, unum immensum, unum aeternum, etc. ut sumpsit idem Athanasius dicens: *Non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus.*

Quaeritur 2. Utrum nomina essentialia convenienter approprientur Personis? Appropriatio est attributio alicujus proprietatis essentialis, tribus Personis communis, facta tamen uni Personae ad ejus manifestationem. Unde aliud est proprium, aliud appropriatum. Illud dicitur proprium, quod ita tribuitur uni Personae, ut non possit tribui alteri. Appropriatum vero id, quod est commune toti Trinitati, sed causa majoris manifestationis tribuitur uni Personae. Hoc notato: ad quaestionem R. Affirmative. Prob. Quamvis Trinitas Personarum demonstrative probari non possit, convenit tamen, ut per aliqua magis manifesta declaretur. Atqui essentialia attributa sunt nobis magis manifesta per rationem, quam Personarum proprietates; quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus devenire in certam cognitionem attributorum essentialium, non autem in certam cognitionem proprietatum personalium. Ergo.

Dupliciter potest fieri appropriatio vel manifestatio. Uno modo per viam similitudinis, sicut ea, quae pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per intellectum: alio modo per viam dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, ut dicit Aug., quia apud nos patres solent esse infirmi propter senectutem, ne tale quid suspicemur in Deo.

Usus appropriationis admodum frequens est in Scripturis, et SS. Patribus secundum varias Dei considerationes. Deus namque potest considerari quadrupliciter, 1. Ut est ens. 2. Ut est unus. 3. Ut inest ei virtus ad operandum 4. Ut habet habitudinem ad suos effectus, et secundum varias istas considerationes fiunt appropriationes a Scripturis et SS. Patribus.

Secundum primam considerationem *aeternitas* juxta SS. Hilarium, et Aug. appropriatur Patri, *species* Filio, *usus* Spiritui S. *Aeternitas* enim in quantum significat non esse principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium de non principio. *Species* sive pulchritudo habet similitudinem cum proprio Filii. Ad pulchritudinem enim tria concurrunt, integritas, proportio, et claritas coloris: Filius autem habet integre naturam Patris, est perfecta illius imago, et est lux et splendor intellectus. *Usus* vero habet similitudinem cum proprio Spiritus S. accipiendo usum lato modo, prout comprehendit sub se frui. Usus ergo, quo Pater et Filius se invicem fruuntur, convenit cum proprio Spiritus S., qui est amor. Diligunt enim se Pater et Filius Spiritu S. ut dictum est.

Secundum quod Deus consideratur ut unus, appropriatur ab Aug. l. 1. de Doctrin. Christiana c. 5. unitas Patri, aequalitas Filio, concordia seu connexio Spiritui S.: quae tria important unitatem, sed differenter. Nam unitas absolute dicitur, non praesupponens aliquid, et sic appropriatur Patri, qui non supponit aliquam personam, cum sit principium de non principio. Aequalitas importat unitatem cum respectu ad alterum, nam aequale est, quod habet unam quantitatem cum altero, et ideo aequalitas appropriatur Filio, qui est principium de principio: connexio autem importat unitatem aliquorum duorum; unde appropriatur Spiritui S., in quantum est a duobus.

Secundum tertiam considerationem, qua in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum, appropriatur potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spitui S.. Et haec appropriatio fit et secundum rationem similitudinis, si consideretur, quod in divinis personis est; secundum rationem dissimilitudinis, si consideretur, quod in creaturis est, ne quid tale suspicemur in divinis Personis. Nam potentia habet rationem principii, unde habet similitudinem cum Patre coelesti, qui est principium totius divinitatis: deficit autem in Patre terreno propter senectutem. Sapientia similitudinem habet cum Filio coelesti in quantum est Verbum, quod nihil est aliud, quam conceptio sapientiae; deficit autem interdum Filio terreno propter temporis paucitatem. Bonitas, cum sit ratio et objectum amoris, habet similitudinem cum Spiritu divino, qui est amor, sed repugnantiam videtur habere ad Spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quamdam. Consequenter operationes, in quibus praecipue relucet potentia, ut est creatio mundi, appropriantur Patri. Operationes, in quibus maxime manifestatur sapientia, ut est reparatio et redemptio mundi, appropriantur Filio. Et operationes, in quibus singulariter relucet bonitas, ut est collatio gratiarum, Spiritui S.

Secundum 4. considerationem prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus sumitur illa appropriatio, *Ex quo*, *per quem*, *et in quo*. Haec enim praepositio *Ex* importat habitudinem quamdam causae efficientis, quae competit Deo ratione suae potentiae, unde appropriatur Patri, sicut potentia. Haec vero praepositio *Per*, quatenus designat habitudinem formae, per quam agens agit, sicut dicimus, quod artifex agit per suam artem, appropriatur Filio sicut sapientia et ars. Haec tandem praepositio *In* denotat habitudinem continentis; Deus vero res continet non solum secundum earum similitudines, secundum quam continentiam appropriatur Filio, sed etiam quatenus Deus sua bonitate res conservat, et gubernat ad finem convenientem adducendo: et hoc modo ly *In quo* appro-

priatur Spiritui S. sicut bonitas. Variae adhuc appropriationes praeter recensitas reperiuntur in Scripturis et Patribus.

Quaeritur 3. Utrum in divinis relatio sit idem, quod persona? R. Affirmative. In Deo sunt quatuor relationes reales, ut dixi Dissert. 3. a. 1. scilicet Paternitas, Filiatio et Spiratio activa, et passiva. Tres scilicet Paternitas, Filiatio, et spiratio passiva dicuntur proprietates personales, quia iis constituuntur Personae. Quarta, scilicet Spiratio activa, dicitur proprietas, quia non omnibus personis convenit, sed non personalis, quia non constituit personam. Hae autem quatuor relationes tam personales, quam non personales, sunt idem cum persona, sed diverso modo.

Ad cujus intelligentiam considerandum est, quod propter divinam simplicitatem sit in divinis duplex realis identitas eorum, quae differunt in rebus creatis: quia cum divina simplicitas excludat compositionem formae, et materiae, sequitur, quod in divinis idem est abstractum et concretum, ut Deitas et Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subjecti et accidentis, sequitur, quod quidquid attribuitur Deo est ejus essentia, et propter hoc sapientia et virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secundum hanc duplicem rationem identitatis, proprietas, seu relatio in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipsae personae subsistentes, ut Paternitas est ipse Pater, et Filiatio Filius, et Processio Spiritus Sanctus. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis secundum aliam rationem identitatis qua ratione illud, quod attribuitur Deo, est ejus essentia: sic igitur communis Spiratio activa est idem cum persona Patris, et cum persona Filii, non quod sit una persona per se subsistens, sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas. Ex quo habes, quod Relatio Paternitatis, et Relatio spirationis activae in Patre sint idem secundum rem cum sola distinctione virtuali. Similiter Relatio filiationis et relatio spirationis activae in Filio. Pro quo vide Dissert. 3. a 1. concl. 2.

Quaeritur 4. Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus, seu relationibus secundum nostrum modum intelligendi? Actus notionales sunt ipsae origines tam activae quam passivae, scilicet generatio activa, et passiva, spiratio activa et passiva. Hoc notato R. Origines passivae sumptae simpliciter praecedunt secundum nostrum modum intelligendi relationes, seu proprietates Personarum procedentium; quia origo passive significata significatur ut via ad Personam, et ad ejus proprietates. Origines vero, seu actus notionales active sumpti praecedunt secundum intellectum proprietatem personalem, seu relationem *praecise ut est relatio*, seu ut dicit purum respectum sic enim fundatur super actum. Secundum autem quod Relatio seu proprietas personalis est *constitutiva* Personae, sic praeintelligitur ad originem activam, quia Persona agens praeintelligitur actioni. Hinc

Inferes 4. utrumque vere dici: *Quia generat, est Pater, et quia est Pater generat.* Si enim per nomen Patris intelligatur praecise relatio ut purus respectus vere dicitur: *Quia generat est Pater.* Si vero intelligatur relatio ut subsistens et constituens, vere dicitur *Quia est Pater generat.* Persona enim prius intelligitur esse, quam operari. 2. Quod Relatio, seu proprietas non personalis, ut est Spiratio activa in Patre, et Filio, cum non possit considerari ut constituens Personam, sed tantum secundam purum respectum, sit posterior secundum intellectum origine activa.

Petes 5. utrum actus notionales sint voluntarii? Ante responsionem nota aliquid esse voluntarium posse intelligi dupliciter: Uno modo voluntate concomitante sicut possum dicere: Ego sum homo mea voluntate, quia scilicet mihi

placet esse homo. 2. Voluntate antecedente et principiante, seu habente se ut principium rei, quae dicitur voluntarie fieri, sicut artifex dicitur operari voluntate, quae est principium sui operis. Rursus haec voluntas antecedens consideratur 1. *ut natura*, quatenus est alicujus rei principium naturale, et necessarium, ut Homo vult beatitudinem 2. *ut voluntas* quatenus est principium libere, et cum indifferentia agens.

R. 1. Actus notionales sunt voluntarii voluntate concomitante, quia sicut hac voluntate Deus vult se esse Deum, ita Pater vult se generare Filium, Pater, et Filius volunt se spirare Spiritum S. Non enim Pater invitus, aut coactus generat Filium, neque Pater et Filius inviti et coacti producunt Spiritum S.

R. 2. actus notionales non sunt voluntarii voluntate antecedente, considerata, ut est Voluntas, seu principium agendi libere. Pr. Quod est a voluntate antecedente ut voluntas est, et libera, potest non esse; atqui actus notionales non possunt non esse, neque enim Pater potuit non generare Filium, neque Pater, et Filius potuerunt non spirare Spiritum S., alioquin Filius et Spiritus S. possent non esse. Ergo. Hanc rationem vide in D. Thoma de poten. a. 2. ad 4.

R. 3. Productio Spiritus S. est a voluntate antecedente, ut *natura* est; non sic Filius, quia Spiritus S. procedit ut amor, consequenter per voluntatem; Filius procedit ut Verbum, consequenter per intellectum; et sic Spiritus procedit ut terminus illius voluntatis, qua Pater, et Filius se naturaliter, et necessario diligunt; Filius ut terminus intellectionis, seu dictionis paternae.

Pro solut. obj. nota aliud esse procedere per modum naturae, aliud procedere a voluntate, ut natura est. Procedere per modum naturae dicitur quod procedit sicut ea, quae a Creaturis in natura procedunt, et non a voluntate; Quod autem procedit a natura non supponit aliam actionem nisi per accidens, inquantum scilicet unum agens naturale dependet ab alio; quod autem procedit a voluntate ut natura, per se et semper supponit aliam processionem, quia voluntas non tendit in aliquid, nisi praeexistente productione intellectus aliquid concipientis. Unde Spiritus S. procedens ut amor necessarius, procedit a voluntate antecedente ut est natura, sive procedit per modum voluntatis, non tamen procedit per modum naturae.

Articulus II.

De comparatione Personarum ad invicem. D. Th. q. 42.

Quaeritur 1. Utrum Personae divinae sint sibi coaequales? R. Personae divinae sunt sibi coaequales. Est de fide. Ad Philipp. 2. de Christo dicit Apostolus: *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Item in Symbolo Athan., et cap. *Firmiter* de summa Trinit. Ratio est: aequale dicitur per negationem majoris et minoris: atqui in Deo non est majus et minus. Etenim inaequalium non potest esse una quantitas numero, quantitas autem in Deo non est aliud quam ejus essentia: ergo si esset aliqua inaequalitas in divinis personis, non esset in eis una essentia, et sic tres personae non essent unus Deus, quod est impossibile: ergo

Hinc inferes 1. Personas esse aequales in magnitudine, et potentia, Magnitudo Dei est perfectio naturae, est autem in omnibus eadem numero natura, et aliunde virtus generativa Patris non est defectiva, nec Filius successive ad perfectionem pervenit. In potentia quia potentia agendi consequitur perfectionem naturae, quae est eadem in omnibus. 2. Tres Personas esse coaeternas, quia procedunt ab agente, cujus virtus agendi est semper perfecta et instantanea. 3. Tres Personas etiam esse sibi similes, quia ubi attenditur aequalitas secundum

quantitatem virtutis, aequalitas includit in se similitudinem, et aliquid plus quia excludit excessum. Quia vero omnia aequalia secundum quantitatem virtutis sunt similia, sed non omnia similia sunt aequalia, possunt enim inaequaliter participare eamdem formam, hinc vox similis rejecta fuit tempore Arianorum.

Quaeritur 2. Utrum in divinis Personis sit ordo naturae? R: affirmative. Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium: unde sicut dicitur principium vel secundum situm, ut punctum; vel secundum intellectum, ut principium demonstrationis; vel secundum causas singulas, ita etiam dicitur ordo: atqui in divinis est principium secundum originem absque prioritate: ergo est ordo secundum originem absque prioritate et posterioritate etiam naturae: quod enim altero natura posterius est, debet ejus natura ab alterius natura dependere, quod non potest dici de divinis personis, quarum una est natura. Quapropter hic ordo vocatur ab Aug. l. 3. cont. Maximum c. 14. ordo naturae, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

Quaeritur 3. Utrum admittenda sit divinarum Personarum circuminsessio? Circuminsessio est mutua divinarum Personarum coexistentia in se invicem, ita ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu Sancto et Spiritus Sanctus in utroque. R. affirmative. Est de fide. Christus Joan. 14. dicit: *Non creditis, quia ego in Patre et Pater in me est.* Et passim SS. Patres; Tertul. cont. Prax. c. 25., Hilarius 8. de Trinit., Cyrillus Alexand. l. 9. in Joan. c. 39., Ambros l. 10. in Luc. ad c. 20., Hieron. in c. 3. Ezechiel., Aug 6. de Trinit. c. ult. et alii. (*l. 4. cont. gent. c. 9. et 1. p. q. 42. art. 5. o.*) Ratio est, quia plures personae a se invicem distinctae, ita tamen quod una numero sit illarum natura indivisibilis, quacum identificantur, necessario in se invicem existunt: atqui tres Personae divinae sunt a se invicem distinctae, ita tamen quod una numero sit earum natura cum illis identificata: ergo necessario una est in alia, et e converso.

Vides ad circuminsessionem duo requiri. Primum, distinctionem suppositorum: idem enim suppositum non dicitur esse in seipso, nisi improprie ratione partium, quod non habet locum in divinis. Secundum, unitatem numericam essentiae: si enim diversa esset essentia, plus perfectionis esset in omnibus, quam in uno, et minus in uno quam in omnibus, quod etiam non convenit divinis personis:

Articulus III.

De missione divinarum Personarum D. Th. q. 43.

Quaeritur 1. utrum alicui divinae personae conveniat mitti? R. affirmative. Joan. c. 3. dicitur. *Misit Deus Filium suum in mundum* cap. 6. Christus de se ipso; *Misit me vivens Pater.* Cap. 8. *Non sum ego solus, sed ego et qui misit me Pater*: De Spiritu S. ibid. c. 14. *Spiritus S., quem Pater mittet nomine meo*, Et c. 15. *Paracletus, quem ego mittam vobis.* Ratio est: in ratione missionis duo importantur, quorum unum est habitudo ad eum, a quo mittitur: aliud est habitudo missi ad terminum, ad quem mittitur: per hoc enim quod aliquis mittitur, ostenditur processio quaedam missi a mittente, vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium et suasionem, ut si consiliarius dicatur mittere Regem ad bellandum, aut medicus ad balnea; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore, splendor a sole. Item ostenditur habitudo ad terminum, ad quem mittitur, vel ut ibi esse incipiat, ubi prius non erat; vel ut incipiat esse aliquo novo modo, quo prius non erat; atqui licet missio convenire non possit divinae personae secundum imperium aut consilium, potest

tamen convenire secundum quod importat processionem originis a mittente. Item licet ex parte termini non possit convenire secundum quod importat esse, ubi prius non erat, potest tamen convenire secundum quod importat novum modum existendi in alio; sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum secundum quod incoepit in mundo esse novo modo per carnem assumptam, et tamen ante erat in mundo, ut dicitur Joan. 1. Ergo.

Hinc inferes 1. missionem divinarum Personarum posse definiri sic; processio originis unius Personae ab altera cum novo modo existendi in alio. 2. Patrem non mitti, quia a nullo procedit: potest tamen dari, quia quamvis nemo se mittere possit, potest tamen se dare. 3. non quamlibet personam mittere, si sumatur missio proprie et adaequate, sed solam illam, cui convenit esse principium illius, quae mittitur; quia ut dictum est, missio proprie et adaequate sumpta duo importat, scilicet originem personae missae a mittente, et habitudinem ad terminum ad quem mittitur, et sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus S. a Patre, et Filio. Si autem sumatur missio improprie et inadaequate pro sola habitudine missi ad terminum seu effectum ad quem mittitur, praecisa habitudine missi ad eum a quo mittitur, tunc dici potest, quod tota Trinitas mittat, quia tota Trinitas hunc effectum operatur. Et secundum hunc sensum intelligendus est Aug. 2. de Trinit. c. 5. ubi istud Isaiae 48. *Misit me Dominus Deus et Spiritus ejus*, interpretatur de Persona Verbi, quam dicit fuisse missam a Spiritu S. ut incarnaretur. Plures tamen interpretantur de humana Christi natura, secundum quam missus est a Spiritu S. ad praedicandum.

Quaeritur 2. utrum missio dicenda sit aeterna, an temporalis? R. Dicendum esse temporalem tantum: quia praeter habitudinem ad principium aeternum, dicit habitudinem ad terminum temporalem, per quem completur in ratione missionis. Ergo dicenda est temporalis tantum, sicut creatio, quamvis ejus principium sit aeternum, quia tamen effectus, quem connotat, est temporalis, non dicitur aeterna, sed temporalis.

Quaeritur 3. utrum missio invisibilis divinarum Personarum sit solum secundum donum gratiae sanctificantis? Nota ante responsionem, missionem ex parte termini seu effectus temporalis, quem connotat, dividi in visibilem et in invisibilem. Visibilis est, quae fit in aliquo effectu vel signo sensibili manifestante personam missam, ut quando Verbum missum est ut incarnaretur, quando Spiritus S. missus est in Apostolos sub specie ignis. Missio invisibilis est, quae fit in aliquo effectu spirituali et invisibili, qualis fit in justificatione peccatoris per donum gratiae. Differunt autem istae missiones: 1. quod in missione visibili mittatur una persona et manifestetur sine altera: in missione vero invisibili duae personae procedentes mittantur, et quamvis Pater non mittatur, venit tamen et se communicat animae cum aliis, juxta illud Christi Joan. 14. *Si quis diligit me..... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* 2. Quod missio visibilis possit fieri per quamlibet rem visibilem, invisibilis autem per solum donum supernaturale in anima productum; et cum sint varia dona supernaturalia, ut gratia gratum faciens, auxilium actuale, gratia gratis data, donum fidei, ec. quaestio est, an solum secundum donum gratiae gratum facientis, seu sanctificantis sit missio invisibilis; sive an solum per gratiam sanctificantem anima disponatur et perficiatur, ut sit idoneum templum et habitaculum divinae personae missae; non enim in missione solae gratiae mittuntur, aut dantur, ut dicam modo, sed ipsae Personae divinae. His notatis ad quaestionem

R. Affirmative: quia tunc Persona divina mittitur, quando novo modo existit in alio: atqui per solam gratiam sanctificantem Persona divina novo modo existit in homine. Ergo. Major patet definitione missionis. Prob. Min. Communis modus, quo Deus est in omnibus creaturis, est per immensitatem, scilicet per essentiam,

praesentiam et potentiam, ut diximus alibi: praeter autem istum modum communem est unus specialis, qui convenit naturae rationali, quo Deus dicitur esse in illa, ut cognitum in cognoscente, et amatum in amante, quando scilicet creatura rationalis habet Deum invisibiliter sibi praesentem per gratiam et charitatem, et efficitur templum Dei atque ejus habitaculum. Atqui id non fit nisi per gratiam sanctificantem et charitatem, qua homo sic habet Deum, ut illo tamquam amico possesso uti et frui libere possit. Ergo.

Dices. Deus novo modo existit: 1. in peccatoribus fidelibus per fidem et dilectionem naturalem. 2. in peccatoribus poenitentibus per gratias actuales moventes illos ad actus contritionis, 3. in summo Pontifice et Conciliis per assistentiam specialem in rebus fidei definiendis. Ergo. R. Hos tres modos non recedere a modo communi existendi in alio per immensitatem, nisi secundum quid et imperfecte; neque attingere novum illum et specialem modum existendi in alio tanquam in habitaculo et templo, et quo res existens ita habetur et possidetur ab alio, ut iste alius illa uti et frui libere valeat: hoc quippe non habetur nisi per charitatem et perfectam amicitiam. Per fidem autem et dilectionem naturalem, etsi Deus sit in anima ut cognitum in cognoscente et amatum in amante, non tamen cognitione et amore ex charitate et perfecta amicitia procedentibus, qua amans ita habet et possidet amatum, ut illo frui libere possit. Per gratias actuales, quibus Spiritus S. movet poenitentes ad actus contritionis, nondum habitat in illis, ut dicit Trident. sess. 14. c. 14. sed dumtaxat stat ad ostium, et pulsat. Similiter per illam assistentiam specialem, quae datur SS. Pontifici et Conciliis in definiendis rebus fidei, movet quidem Spiritus, et dirigit intellectum, ne erret, sed non inhabitat, unde, ut dixi, isti modi non recedunt nisi secundum quid et imperfecte a praesentia generali, quo Deus est in omnibus per operationem.

Ex his colliges triplicem fieri in homine missionem invisibilem divinarum personarum: Primam, in prima hominis justificatione; Secundam, in quolibet augmento gratiae: Tertiam, in beatitudine, in qua Deus novo et speciali modo erit in anima per unionem suae essentiae in ratione speciei intelligibilis.

Quaeritur 4. Utrum per missionem invisibilem, Personae divinae fiant substantialiter praesentes animae, ita ut si per impossibile non essent substantialiter praesentes per immensitatem, forent nihilominus ratione doni gratiae sanctificantis? R. Affirmative. Prob. 1. Ex Scriptura. Ad Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est Nobis* ubi distinguitur inter charitatem datam, et Spiritum datum: frustra autem Scriptura inter utrumque distingueret, si Spiritus non esset substantialiter praesens, sed tantum in dono charitatis.

2. Propter hujusmodi praesentiam ratione doni gratiae sanctificantis, justus dicitur templum Dei 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis vos.* Hoc autem verificari non potest de donis gratiae, quibus non consecratur templum, sed solis divinis Personis.

TRACTATUS

DE ANGELIS

D. Th. a. q. 50. ad q. 64. et a q. 106. ad q. 114.

DISSERTATIO UNICA

COMPLECTENS OMNIA, QUAE SPECTANT PRAESENTEM TRACTATUM.

Articulus I.

De existentia quidditate et numero Angelorum.

D. Th. qq. 50. 51. et 61.

Angelus est vox graeca, idem significans, quod latine *Nuntius*. Unde si vis vocabuli attendatur, est nomen officii, non naturae: et ideo quandoque tribuitur in Scripturis cuicumque, qui Dei voluntatem aut legem nuntiat. Sic de Joanne Baptista Malach. 3., et Matth. 11. dicitur; *Ecce ego mittam Angelum meum*. Et Apost. 1. Cor. 11. praecipit velari capita mulierum *propter Angelos*, idest Sacerdotes. Attamen, quia ministerium nuntiandi communiter committitur a Deo spiritibus coelestibus, usu receptum est, ut hoc nomen usurpetur ad significandas illas spirituales substantias hominibus superiores; et cum inter illos, sint diversi ordines, quandoque significat eos, qui sunt in infimo ordine, quandoque generaliter omnes, qui continentur in novem ordinibus: et hoc modo hic sumimus.

Petes 1. Utrum sint Angeli? R. Affirmative. Est de fide contra Sadducaeos. Act. 23. Prob. Nomine Angeli intelligimus substantiam spiritualem, intellectualem, creatam, hominibus superiorem: atqui certo constat ex Scripturis dari hujusmodi substantiam. Ergo. Quod detur substantia spiritualis creata, probatur ex Psalm. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Item Heb. 1. Apocal. 1. Coloss. 1. Si autem spiritualis, ergo intellectualis: Item sunt hominibus superiores. Psal. 8. Propheta loquens de homine dicit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*. Et Pet. 2. c. 2. *Angeli cum fortitudine et virtute sunt majores*. Augustinus in illud Psal. 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, dicit: *Esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, nec inde dubitare fas nobis est: spiritus autem Angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt Angeli, cum vero mittuntur, fiunt Angeli. Angelus enim nomen officii est, non naturae: Quaeris nomen hujus naturae? Spiritus est. Quaeris officium? Angelus est*. S. Greg. Mag. Hom. 34 in Evang. *Angelos et Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginae testantur*. Unde Concil. Lateran. sub Innocentio III. cap. *firmiter*, de summa Trinitate sic definit: *Firmiter credimus . . . quod Deus . . . ab initio temporis, simul utramque de nihilo condidit creaturam; spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam*.

Prob. ratione. Homines arreptitii, rustici, et mulierculae loquuntur variis idio-

matibus, quae prorsus ignorant, secreta hominum etiam longe distantium pandunt, et alia mirabilia patrant, quae superant vires humanas. Atqui haec non sunt a Deo miraculose movente, cum quandoque sint mala; non ab animabus separatis, non enim est ratio cur possent plus extra corpus quam unitae corpori, cum in corpore habeant suam perfectionem; non ab aliqua alia causa naturali, quae assignari non potest. Ergo.

Petes 2. Quando creati sunt Angeli? Suppono Angelos a Deo non fuisse productos ab aeterno. Fides enim catholica tenet solum Deum esse aeternum, et omne contrarium ut haereticum rejicit.

R. Probabilius videtur Angelos simul cum Creatura corporea esse creatos. Sunt enim quaedam pars universi. Atqui nulla pars est perfecta a suo toto separata. Ergo non est probabile, quod Deus cujus opera sunt perfecta, creaturam angelicam seorsim ante alias Creaturas creaverit. Sed praecipue probat assumptum definitio Concilii Later. citati, qua decernitur Deum simul ab initio temporis condidisse Creaturam Angelicam, et mundanam; Nec eorum creationem fuisse a Moyse praetermissam in narratione creationis Mundi censet August. 11. de Civit. c. 33, sed significatam fuisse nomine Coeli, aut lucis. Attamen S. Thomas excusat ab errore Patres Graecos, qui eos ante Mundum creatos asserunt. Caeterum vix effugeret temeritatis notam, qui nunc vellet defendere sententiam Graecorum 1. Quia nullo satis solido fundamento nititur 2. Quia in contrarium ponderat unanimis sententia Latinorum 3. Quia haec sententia congruentior est locutioni cit. Decretalis, et Scripturae S.

Petes 3. Ubi creati sint Angeli? R. Probabilius in supremo Coelorum, quod dicitur Empyreum. Angeli enim ut spirituales substantiae corporeas creaturas dignitate excedunt, et tamquam superiores toti naturae praesident. Ergo conveniens fuit ut in supremo Coelorum crearentur. Favet Scriptura quae Ezech. 28. loquens de primo Angelo sub figura Principis Tyri dicit: *In deliciis Paradisi Dei fuisti . . . Tu Cherub extentus et protegens, posui te in Monte sancto Dei.* Et infra: *Et ejeci te de Monte Dei, et perdidi te, ó Cherub protegens.* Paradisus autem, seu mons Dei est Coelum Empyreum, in quo erunt omnes Sancti.

Petes 4. Quanta sit multitudo Angelorum? R. Juxta scripturam esse maximam, et stupendam Angelorum multitudinem. Dicitur Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Quibus loquendi modis innuitur prope innumerabilis multitudo, quae juxta S. Thom. post Dionysium c. 14 de coeles. Hierarch. excedit incomparabiliter multitudinem substantiarum materialium. Intellige secundum probabiliorem interpretationem Ferrar; et Cajet: et communius aliorum, de substantiis materialibus quoad species tantum, et non quoad individua. Quantum autem Angeli excedant numerum specierum materialium, et utrum excedant numerum hominum qui fuerunt, sunt, et erunt, nobis videtur incertum, nec satis fundatum arbitramur quod a quibusdam pro, aut contra adfertur.

Petes 5. Ad quid sunt creati Angeli? R. Esse creatos 1. Sicut Homines ad consequendam aeternam beatitudinem. 2. Ad concentum divinarum laudum. 3. Ut creaturae corporali praesint; Creaturam autem rationalem adjuvent, et custodiant.

Petes 6. Utrum Angeli componantur ex forma, et materia saltem spirituali, sicut sensisse olim plures SS. Patres refert Petavius tom. 3. Theol. Dogm. c. 2.? R. Negative cum D. Th. hic qu. 50. a 2. Pr. Operatio cujuscumque rei est secundum modum ejus substantiae. Atqui operatio propria angeli est intelligere, quae est omnino immaterialis, cum immaterialitas sit ratio intellectualitatis. Ergo. Hinc S. Dionysius c. 4. de div. nomin. dicit quod primae Creaturae sunt incorporales, ita et immateriales intelliguntur. Materia autem spiritualis est figmentum involven-

contradictionem. Quid enim est materia nisi potentia? quid spiritualitas nisi actus? fingere ergo materiam spiritualem est fingere potentiam esse actum quod est implicantia rerum notiones confundens.

Verum quamvis Angelus non componatur ex materia, et forma, componitur tamen ex genere et differentia, item ex potentia, et actu. Quia quamvis genus desumatur a materia et differentia a forma in iis, quae componuntur ex materia, et forma; in puris tamen immaterialibus desumuntur ab uno, et eodem realiter, secundum diversam rationem considerato; ita ut genus desumatur ab essentia, inquantum ipsa consideratur ut quoddam commune, differentia ab eadem in quantum consideratur, ut ad certam speciem determinata. Unde spiritualitas Angeli considerata ut sic est genus; considerata ut determinata ad hanc vel illam speciem spiritualitatis est differentia. Gradus namque metaphysici non differunt re, sed ratione tantum, et virtualiter. Item Angelus componitur ex potentia et actu, quia non est sicut Deus, actus purus, et suum esse, seu existere, sed illud habet a Deo, et sic essentia ejus est in potentia ad actum existendi. Et hoc est quod a quibusdam dicitur quod Angelus est compositus ex quo est, et quod est.

Petes 7. Utrum Angeli habeant corpora tenuia, et subtilia sibi naturaliter unita? R. negative. Prob. ex Decret. cit. Conc. Lateran. ubi distinguit Concilium naturam angelicam a corporali, et constituit naturam humanam, quod constet corpore et spiritu inter Angelicam, et pure corpoream. Ergo aperte censet naturam angelicam nullatenus esse corpoream, siquidem in hoc casu constaret corpore, et spiritu sicut humana.

Huic si jungantur testimonia Scripturarum, quae vocant Angelos spiritus simpliciter, et absolute, sicut vocant Deum Spiritum, item SS. Patres Dionys. c. 1. et 2. de coel. Hier., et c. 4. cit. de divin. Nomin.; Gregor Nazianz. orat. 34. Gregor. Nyss. lib. 12. contr. Eunom.; Theodor. qu. 20 in Genes., Damasc. l. 2. de Fide c. 3., S. Leo epist. ad Turribium, Greg. Mag. 4. Dial. c. 29. et alii, qui diserte asserunt Angelos esse incorporeos, tandem unanimis scholarum consensus, videtur quod esset plusquam temerarium nunc contrarium asserere.

Quantum ad SS. Patres qui dixerunt Angelos esse corporeos; vel corpus dicebant quod est reale, et subsistit, atque opponitur nihilo: vel comparative ad Deum, quia substantiae incorporeae mediae sunt inter Deum, et creaturas corporeas, medium autem comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum; vel tandem corpus dicebant quidquid certo loco definitur, et non est ubique, aut etiam quod est potentiale, et limitatum, quamvis esset purus Spiritus.

Petes 8. Utrum Angeli aliquando assumant corpora? R. affirmative; ita ut apparitiones illorum non semper contingant secundum imaginationem. Quia quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis, neque videtur constanter, eodem modo, et indifferenter ab omnibus, ut patet in somniantibus, et phreneticis: atqui scriptura sic introducit Angelos apparentes, ut constanter, eodem modo, et indifferenter ab omnibus viderentur. Sic Angeli apparentes Abrahae visi sunt constanter, et eodem modo ab eo, et tota ejus familia, et a Loth, et a civibus Sodomorum. Similiter Angelus Tobiae ab omnibus constanter et eodem modo videbatur.

Tunc (*hic*, *et* 9. 6. *de pot. a.* 7) autem Angelus assumit corpus, quando illi secundum substantiam unitur ut motor mobili, ad representandum se, vel suas, aut Dei, cujus est legatus, proprietates, utens eo corpore tamquam proprio. Illudque corpus potest sibi formare ex quibusvis elementis aut mixtis. Secus autem dicendum de animabus separatis, quia anima non habet virtutem naturalem movendi corpus, nisi quod vivificat. Nullum autem corpus vivificatur ab Anima separata. Dum igitur leguntur animae apparuisse, vel sunt Angeli sive boni, sive

mali, qui apparuerunt, vel quidem ipsae Animae, sed per specialem Dei virtutem, et dispensationem.

Petes 9. Utrum Angeli in assumptis corporibus exerceant vere opera vitae sensitivae? R. negative, quia non vivunt in illis vita sensitiva: neque habent organa sensibilia et proprie et vitaliter, sed tantum eorum similitudinem, sicque eorum actiones sunt tantum similitudinarie vitales. Unde dicebat Raphael Tob. 22.: *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

Petes 10. Utrum sint plures Angeli solo numero distincti intra eamdem speciem? R. Nec sunt, nec esse possunt plures Angeli solo numero distincti intra eamdem speciem. Est communis contra Scotum et Scotistas. Prob. Implicat multiplicatio numerica intra eandem speciem, cui repugnat materia signata quantitate, aut ordo ad illam: atqui Angelis, substantiis immaterialibus completis, repugnat materia aut ordo ad illam: ergo. Min. constat ex dictis. Prob. maj. Implicat multiplicatio numerica intra eamdem speciem, cui repugnat principium multiplicationis hujusmodi: atqui sola materia signata quantitate, aut ordo ad illam est principium multiplicationis numericae intra eamdem speciem: ergo. Difficultas est in minore.

Prob. min. Principium multiplicationis numericae intra eamdem speciem duo necessario importat. Primum, quod sit intrinsecum et substantiale, quia duo individua, v. g. Petrus et Paulus differunt substantialiter; sunt enim duae substantiae ejusdem speciei realiter distinctae. Secundum, quod ita multiplicet substantiam, ut tamen non multiplicet speciem, sed unam et eamdem specifice conservet in pluribus individuis: atqui implicat id praestari, nisi a materia signata quantitate, aut sine ordine ad illam: ergo. Prob. min. et 1. quod id praestetur a materia signata quantitate: materia est quid intrinsecum et substantiale, et ratione quantitatis habitae vel connotatae, cujus est immediate susceptiva et non forma, habet partes ejusdem rationis: ergo haec potest facere multiplicationem numericam servata unitate specifica. Prob. jam id non posse praestari nisi a materia sola: non praestari a forma: 1. quia proprium formae est constituere speciem, seu praebere praedicata essentialia: ergo ex se non facit differre solo numero, sed etiam specie, cum enim sit idem constitutivum et distinctivum, quod constituit essentialiter, facit differre essentialiter. 2. Principium individuationis debet esse principium incommunicabilitatis ad plura inferiora, individuum enim non est ulterius communicabile ad alia individua inferiora: atqui forma cum sit principium gradus specifici, qui de se est communicabilis multis individuis, non potest esse principium hujusmodi incommunicabilitatis. Ergo.

Obj. Datur individuatio in Angelo sine materia. Ergo R. D. Ant. Datur individuatio unica in Angelo C. Ant. Individuatio multiplicata. N. Non ergo intendimus materiam esse principium individuationis praecise, et generaliter loquendo, sed individuationis multiplicatae intra eamdem speciem. Forma enim quae non est receptibilis in materia, sed est forma completa per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio, sic enim fit incommunicabilis, et de uno solo praedicabilis, quod est ipsamet ratio individuationis; At vero ad individuationem multiplicabilem numerice non sufficit incommunicabilitas naturae, sed requiritur principium fundans divisionem substantiae sine divisione, seu distinctione formali speciei, quod non potest esse aliud, quam materia signata quantitate.

Articulus II.

De loco et motu locali Angelorum. D. Th. qq. 52. et 53.

Petes 1. Utrum Angeli sint in loco? R. esse aliquo modo in loco constat ex Scriptura, quae refert Angelos circa nos operari immediate, se movere de loco in locum, et esse in certis locis. Vide Genes. 18. et 19. Iudic. 2. Tob. Luc. 2. Matth. 28. Apocal. 22.

Petes 2. Quomodo Angeli sint in loco? R. Certum est Angelos non esse ubique, id namque est proprium Deo: neque sunt *sacramentaliter*, quia iste modus existendi est proprius Christo vi consecrationis: neque sunt in loco *circumscriptive*, quia cum sint puri spiritus, carent quantitate molis, quae est ratio locandi *circumscriptive*. Restat ergo eos esse in loco *definitive*.

Petes 3. Per quid Angeli sint in loco? Quaestio haec est non parum controversa, pro cujus solutione observandum est; ad hoc ut aliquid sit in loco quatuor concurrere 1. Subjectum quod ponitur in loco. 2. Ratio, per quam tangit locum, et in eo ponitur. 3. Praesentia, seu ubi, quod est modus resultans in subjecto locato ex ejus conjunctione cum loco. 4. Relatio mensurae ad mensuratum in loco circumscriptivo, vel agentis ad passum, motoris ad mobile in loco definitivo. Quaestio est igitur quae sit ratio, per quam Angeli tangunt locum, et sunt in illo.

R. cum S. Thoma, et omnibus Thomistis Angelos esse in loco saltem connaturali per operationem virtualiter transeuntem, quae in Angelo est duplex, scilicet intellectio, et volitio, quae sunt secundum se formaliter immanentes, sed virtualiter transeuntes, qualiter aliquos effectus producunt ad extra. Prob. Per id Angelus est in loco, per quod realiter tangit locum; atqui non tangit realiter locum nisi per operationem virtualiter transeuntem: ergo. Major est certa, tum ab exemplo corporum; corpus enim dicitur esse in loco per quantitatem, quia per illam tangit locum: tum ratione, quia esse in loco, est esse physice praesens et indistans, consequenter realiter ipsum tangere. Prob. min. Duplex est contactus, unus proprie dictus, qui est quantitatis dimensivae, et hic non competit Angelo, alter improprie dictus, qui est quantitatis virtutis, nempe ejus actus, seu operatio virtualiter transiens, qua corpus seu locum sibi subjicit, et facit a se dependere: ergo.

Dixi: *in loco saltem connaturali*. Dicitur locus connaturalis ille, ad quem Angelus per liberam voluntatem se applicat, quemque proinde sibi subjicit; violentus e contra, cui invitus alligatur, et inde impeditur, ne alibi operetur, et existat, in quo non est per operationem sed per passionem. Quamvis plures existiment Angelos etiam in loco violento, ut daemones in inferno, operari plus aut minus, secundum quod plus, aut minus alligantur, et prohibentur, ne hic aut illic operentur, si enim ii, qui sunt in aere, et torquentur igne inferni, permittuntur nihilominus operari, quidni existentes in inferno? Quid autem illic agant? agunt in alios se invicem excruciando, agunt in animas reproborum, eas torquendo, ut instrumenta divinae justitiae.

Pro solutione object. adverte quod licet esse simpliciter sit prius quam operari impliciter, non tamen sequitur, quod esse in loco sit prius quam operari in loco, quando nempe operatio est ratio locandi, ut in Angelis. Sic licet sit prius esse corpus quam tactus, non tamen est prius esse corpus in loco, quam tangere, sed e contra prius est tangere locum, quam esse in loco, quia est in loco per tactum. Intellige tamen de prioritate virtuali, et a quo, non reali et in quo quia eodem instanti temporis quo corpus tangit locum, est in loco; simi-

liter eodem instanti, quo Angelus operatur, est in loco. Nec magnum absurdum reputas quod si Angelus cessaret ab omni operatione virtualiter transeunte, et vellet solum contemplari, nullibi esset. Sic enim respondet S. Thomas *in* 1. dist. 37. q. 3. a. 1. ad 4: *Ad quartum dicendum, quod hoc non reputo inconveniens, quod Angelus sine loco non possit esse, et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet, nec est inconveniens ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur, sed hoc tamen non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit.*

Ex dictis colliges 1. Angelum posse existere in loco extenso, et divisibili majori, vel minori quia potest producere effectum in loco estenso majori vel minori pro libitu intra sphoeram suae activitatis. Est enim virtus Angelica secundum se formaliter indivisibilis, sed virtualiter divisibilis 2. Unum Angelum non posse naturaliter esse simul in duobus locis adaequatis, locus enim ille est adaequatus Angeli, qui totam ejus virtutem operantem adaequat, et exhaurit. 3°. Angelum posse esse simul in pluribus locis inadaequatis etiam distantibus intra sphoeram suae activitatis non existendo in medio v. g. in quatuor angulis unius aulae non existendo in medio, quia potest operari in quatuor angulis non operando in medio.

Colliges 2. quod, si stricte loquamur, Angelus non sit proprie in loco, sed improprie tantum; quia stricte et philosophice loquendo, ille solus locus est proprie dictus, qui circumscriptive continet locatum, quod non competit Angelis, qui sunt in loco potius continendo et sibi subjiciendo locum per operationem, quam contineantur ab eo. Si tamen loquamur generaliter de loco, ita ut id dicatur esse in loco, quod est realiter et substantialiter praesens loco, sic vere, et proprie Angeli sunt in loco. Unde recte observavit Auctor esse in loco dici aequivoce de Angelo et de corpore.

Petes 4. Utrum Angeli possint moveri localiter? Resp. Si loquamur generaliter de motu locali prout moveri localiter est idem, ac mutare locum, sic Angelus proprie movetur localiter, quia revera potest diversa loca successive contingere, operando modo in uno, modo in alio. Idque aperte tradit scriptura Matt. 18: *Angelus Domini descendit de Coelo* Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.* Job. 1. et 2. *Circuivi terram, et perambulavi eam*, et alibi pluries.

Hinc sequitur quod Angelus, qui est in loco per operationem liberam, possit localiter moveri motu continuo deserendo terminum *a quo* successive per partes et desinendo successive operari in partibus, et sic pariter terminum ad quem acquirendo. Et etiam motu discreto deserendo simul totum locum, et desinendo simul totaliter in eo operari, et statim applicando virtutem ad terminum *ad quem.* Imo potest transire motu discreto ab uno extremo ad aliud non transeundo per medium, potest enim operari in uno loco puta in extremitate hujus aulae, et statim operari in extremitate opposita non operando in medio, et sic transire ab una extremitate ad aliam non transeundo per medium.

Petes 5. Utrum motus Angeli, proprie dictus, fiat in instanti? R. Negative. Patet de motu continuo, quo Angelus deserit terminum *a quo* successive per partes, quod constat fieri non posse in instanti. Motus quoque discretus duo extrema positiva importat, unum quod derelinquitur, aliud quod acquiritur. Ergo requirit duas operationes, alteram, qua Angelus prius sit in loco, qui relinquitur, alteram qua sit posterius in loco qui acquiritur. Ergo duo instantia prius et posterius temporis Angelici sibi immediate succedentia. Quamvis vero motus discretus Angelorum uno instanti non perficiatur, duo tamen instantia sufficiunt, unde velocissime moventur, qua de causa communiter pinguntur alati.

In hac autem quaestione de motu locali Angelorum habenda est prae oculis

eorum superioritas ad locum, et independentia a commensuratione loci, in qua omnes Spiritus conveniunt, et consequenter quod possit Angelus ad quamcumque distantiam transire secundum determinationem suae voluntatis, hoc ipso enim, quod mobile non pendet a medio, nec ejus resistentiam vincere tenetur, ut acquirat terminum, eadem est ratio magnae et parvae distantiae.

Articulus III.

De pertinentibus ad intellectum, et voluntatem Angelorum. D. Th. a. q. 54. ad 61.

Suppono Angelos, cum sint immateriales esse intelligentes; Potentiam tamen intelligendi in eis distingui ab illorum substantia, cum nulla substantia creata sit immediate operativa, et a fortiori quod earum actualis intellectio non sit earum substantia. Itaque.

Petes 1. Utrum Angeli indigeant speciebus ad se, et alia a se cognoscendum. R. 1. Angelus ad se cognoscendum non indiget *specie impressa*, sed se ipsum cognoscit per suam substantiam gerentem vices *speciei impressae*, non *expressae*. Prob. prima pars. Species *impressa* objecti vicaria, non est necessaria, nisi ut objectum, quod est extra intellectum, fiat illi intime praesens, et id, quod est materiale, fiat immateriale immaterialitate ejusdem ordinis cum intellectu intelligente; si namque objectum ex se sit intime praesens intellectui in esse intelligibili, superflua est species, ut late dixi in Tract. De Deo, Dissert. 4. a. 4. atqui substantia Angeli est intime praesens suo intellectui, et immaterialis immaterialitate ejusdem ordinis cum illo, ut patet: ergo. Prob. (L. 4. *con Gent. c.* 11.) secunda pars. Quia quamvis substantia Angeli sit secundum se intelligibilis, quia immaterialis; non est tamen in tanto gradu immaterialitatis, ut sit actu intellecta, sicut diximus de Essentia Dei in Tract. de Deo, Dissert. 4. Unde ad hoc requiritur species *expressa*.

R. 2. Angelus non cognoscit alia a se per suam substantiam, sed ad hoc indiget speciebus *impressis*. Prob. Ad cognitionem alicujus objecti requiritur, ut jam dictum est, quod objectum sit intime praesens intellectui in esse intelligibili; sive per se, sive per speciem illius repraesentativam, juxta illud Augustini communiter receptum: *ex objecto et potentia paritur notitia*: atqui entia creata non possunt esse intime praesentia intellectui angelico per se, seu in sua entitate, ut per se patet: neque substantia Angeli potest esse species repraesentativa illorum; non enim est illorum similitudo, neque effectus, neque causa saltem adaequata; licet enim Angeli ad aliquas formas concurrant, non tamen immediate nec adaequate, sed tantum per motum localem applicando activa passivis; quamtumvis ergo suam substantiam penetrent, non possunt in ea ut in causa distincte cognoscere alia entia, quippe quae cum in illa adaequate et distincte non contineantur, ita nec in illa relucere possunt.

Petes 2. Utrum species, quibus Angelus alia a se cognoscit, sint a rebus acceptae, an congenitae et connaturales? R. (2. *con Gen. c.* 96.) Species Angelorum non sunt a rebus acceptae, sed a Deo in sui creatione inditae, et ideo connaturales et congenitae. Prob. 1. auctoritate. Ezech. 28 de Lucifero dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore . . . in die qua conditus es.* Dionys: de div. nom. c. 7. *Angeli non congregant divinam cognitionem a rebus visibilibus aut sensibilibus.* Et Aug. 2. sup. Genes. ad litt. c. 8. *Caetera, quae infra* (Angelos) *sunt, ita creantur, ut prius fiant in cogitatione rationalis creaturae, ac deinde in genere suo.* Quod intelligi non potest, nisi de creatione in esse intelligibili, quod habent per species.

Prob. 2. ratione. Objectum materiale exterius non potest naturaliter agere immediate in potentiam pure spiritualem, ipsam movendo et immittendo ei suam speciem: neque dici potest, quod objectum materiale exterius non ageret in Angelum, sed quod Angelus ageret in illud abstrahendo ab illo species, quia si Angelus non praehabeat species illorum objectorum materialium, erunt illi incognita, proindeque non poterit illis applicare suam virtutem, nec operari in illa, ut ab eis abstrahat species. Item Angeli saepe cognoscunt objecta extra sphaeram suae activitatis, in quae ideo operari non possunt. Tandem si Angelus suam perfectionem a corporibus haberet, sicut anima nostra, ab illis dependeret, quod dici non potest.

Argumentum, quod opponitur de cognitione futurorum, solvetur infra.

Petes 3. Utrum species quibus Angeli intelligunt, sint universales et eo universaliores, quo Angeli sunt superiores. Per species universales intelligimus, quae multa repraesentant, et eo universaliores, quo plura repraesentant, non solum in communi, sed in particulari et distincte. R. affirmative. Quia quanto ens creatum est propinquius et similius Deo in ordine intellectuali, tanto per species pauciores intelligit: atqui Angeli sunt Deo propinquiores et similiores in ordine intellectuali, quam homines, et Angeli superiores quam inferiores: ergo. Minor est certa. Prob. maj. Quanto ens creatum est propinquius et similius Deo in ordine intellectuali, tanto magis participat perfectiones divinas in illo ordine: atqui Dei perfectio est, quod intelligat omnia per unum medium, nempe per suam essentiam, quae est illi loco speciei: ergo.

Ad majorem explicationem, et ad solut. obj. nota cum Cajetano quasdam perfectiones divinas esse communicabiles quoad rationem formalem, ut sapientia, bonitas. Alias esse incommunicabiles formaliter, ut esse actus purus, infinitus. Hinc fit, quod perfectiones primi generis participentur per accessum ad illas, tanto enim quis est sapientior, quanto magis participat rationem formalem sapientiae divinae. At perfectiones secundi generis participantur per recessum ab opposito, sic tanto magis Creatura assimilatur actui puro, non quanto magis attingit rationem formalem actus puri, quam nunquam attingere potest sed quanto magis recedit a potentialitate, cum ergo cognoscere omnia per unicam speciem sit perfectio hujus secundi generis, participatur per recessum ab opposito, quod est pluralitas specierum, et sic tanto magis participatur ab Angelo, quanto magis per pauciores, et universaliores species intelligit. Nec implicat quod una numero species naturas sive numero, sive specie distinctas repraesentet. Species enim desumit unitatem ab objecto in ratione objecti, non in ratione entis.

Petes 4. Utrum Angeli cognoscant materialia, et singularia? D. Thom. 99. 56. et 57. Quantum enim ad immaterialia constat ex dictis Angelum seipsum cognoscere per suam substantiam, imo et Deum. Si enim homo per naturalia assurgit ad cognitionem Dei, quanto magis Angelus? Constat etiam Angelum cognoscere alterum Angelum, non per suam cognoscentis substantiam, neque per substantiam Angeli cogniti quia illud quo Angelus intelligit, est intrinsecum ejus intellectui, solus autem Deus illabitur mente; sed sicut alia caetera per speciem a Deo in sui creatione immissam. Quaestio est igitur de materialibus. Unde.

R. Affirmative. Est de fide. Prob. ex Scriptura 1. Nullus potest custodire, quod non cognoscit, sed Angeli custodiunt homines singulares juxta illud Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* 2. Juxta fidem haec inferiora administrantur per Angelos, secundum illud Heb. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus*: atqui si singularium notitiam non haberent, nullam providentiam habere possent de his, quae in hoc mundo aguntur, cum actus sint singularium: ergo.

Ratio autem petitur ex principio Augustini communiter recepto, scilicet Deum

ab aeterno formasse ideas rerum producendarum, deinde illas menti angelicae impressisse, ac tandem ad extra producere, ita ut species angelicae sint derivatae et exemplatae ab ideis divinis: quo posito sic dico cum Auctore. *hic, et q. 8. de verit. a.* 11. Rationes ideales in Deo existentes sunt effectivae rerum, non solum quantum ad formam, sed etiam quantum ad materiam, et ideo sunt similitudines rerum quantum ad utrumque, et propter hoc cognoscuntur res a Deo, non solum in universali natura ex parte formae, sed etiam in sua singularitate ex parte materiae; sicut autem ab intellectu divino effluunt res naturales secundum materiam et formam, ut sint ex utroque, ita effluunt formae seu species intellectus angelici ad cognoscendum utrumque: et ideo per formas seu species innatas cognoscunt res in sua singularitate et universalitate, in quantum sunt similes formis activis, scilicet ideis in mente divina existentibus, quamvis ipsae non sint rerum factivae.

Petes 5. Utrum Angeli lumine naturali cognoscant certo futura mere contingentia, ut sunt actus liberi hominis? R. Negative. Prob. 1. auctor. Script. Id quod est proprium signum divinitatis, non convenit Angelis: atqui cognoscere futura contingentia est proprium signum divinitatis: ergo. Prob. min. ex Script. Isa. 41. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.*

Prob. 2. ratione: Futura contingentia non possunt certo cognosci ab Angelis neque in suis causis, neque in se ipsis: non in suis causis creatis, quia sunt contingentes et indifferentes ad utrumlibet, neque in causa increata, libero scilicet Dei decreto, quod est omni intellectui creato naturaliter impervium: non in se ipsis, ideo enim Deus illa certo in se ipsis cognoscit, quia videt omnia in sua aeternitate, quae cum sit simplex, adest toti tempori, et ipsum concludit: unde unus ejus intuitus fertur in omnia, quae aguntur per totum tempus sicut in praesentia, videtque omnia, ut in se ipsis sunt, ut diximus de scientia Dei ad q. 14. Angelicus autem intellectus, et quilibet intellectus creatus deficit ab aeternitate divina: ergo.

Obj. Angeli habent species futurorum antequam fiant. Atqui posita specie, et intellectu expedito ponuntur sufficientia principia ad intelligendum objectum. Ergo. R. cum D. Th. hic q. 57. a. 3. ad 3. Species Angelicas esse quidem repraesentativas in actu primo omnium singularium, non tamen ea repraesentare in actu secundo, nisi dum existunt: 1°. quia tunc solam habent naturam per quam assimilantur speciebus, quae sunt in mente Angeli: dum autem sunt futurae, nondum habent naturam, per quam illis assimilantur. 2°. quia species angelica non repraesentat actu, neque Angelus cognoscit naturaliter actu, nisi quae de facto pertinent ad hoc universum; est enim finita cognitio Angeli; non potest autem congruentior terminus illi assignari, quam latitudo hujus universi. Insuper extra hoc universum non est aliqua causa nisi Deus, nulli autem intellectui creato connaturale est cognoscere res in Deo. Porro futura nondum pertinent ad ordinem hujus universi, sed pertinebunt quando existent.

Verum haec radicantur in altiori principio S. Augustini, nimirum species non repraesentare naturas rerum quomodocumque, sed prout ipsae naturae descendunt, et derivantur ab ideis divinis, a quibus etiam ipsae species derivantur, et exemplantur. Unde species angelicae habent in repraesentando, quod ideae divinae habent in causando; Ideae autem divinae causant naturas in individuis successive. Ergo ipsae species accipiunt vim repraesentandi naturas in individuis successive, scilicet quando sunt in universo productae ab ipsis Ideis divinis. Nec tamen sequitur species Angelicas mutari intrinsece, et acquirere novam perfectionem dum repraesentant actu. Id enim negant rigidiores Thomistae, et dicunt totam mutationem se tenere ex parte objecti, quod de futuro fit praesens, id-

que sufficere, ut quod implicite continebatur in specie, explicite repraesentetur; Unde quod ista species futurum non explicaret, non erat ex defectu sui, sed defectu complementi, seu conditionis extrinsecae scilicet existentiae objecti. Et haec videtur expressa sententia S. Thom. hic et q. 16. de malo a. 7. ad 13. et quodl. 7. a. 3. ad 2. ubi ait: *Quando aliquid incipit esse praesens, Angelus de novo cognoscit illud, non facta aliqua innovatione in ipso Angelo, sed in re cognoscibili, in qua est aliquid, quod prius non fuit.* Et nititur haec responsio eodem semper principio, quod species angelicae deriventur ab ideis divinis, et quod habeant in repraesentando, quod habent ideae divinae in causando.

Petes 6. Utrum Angeli cognoscant naturaliter cogitationes cordium? Per cogitationes cordium intelligimus hic actus immanentes liberos tam intellectus, quam voluntatis, qui neque aliquo effectu seu signo exteriori, neque ipsa cogitantis voluntate manifestantur. R. negative. Prob. ab auctoritate. Quod est proprium Dei non convenit Angelis. Atqui cognoscere cogitationes cordium est proprium Dei. Ergo. Pr. Min. 1. ex Script. 2. Paral. 6. dicitur. *Tu enim solus nosti corda Filiorum hominum.* 3. Reg. 8. *Ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus, quia tu nosti solus cor omnium.* Jer. 17. *Pravum est cor omnium et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam.* 2. SS. Patres probant Christum esse verum Deum ex hoc quod cognosceret aliorum cogitationes praesentes quidem, sed occultas. Chrysost. hom. 30. in Matt., Ambros. l. 5. in Luc. c. 3. Hieron. in c. 9. Matt. ad haec verba *Sciens Jesus cogitationes eorum* dicit: *Dominus videns cogitationes eorum, ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere.* Similiter Cyrill. l. 2. in Jo. c. 19., August in Psal. 7. et alii.

3. Ratione. Quae a sola voluntate libera, et a Deo dependent, seclusa quavis dependentia a causis naturalibus, aut connexione cum illis, haec ab Angelo non sunt naturaliter cognoscibilia, sed solum ab ipso volente, et a Deo, cui subjacet voluntas. Atqui actus liberi voluntatis et intellectus pendent a sola voluntate, et a solo Deo, seclusa quavis dependentia a causis naturalibus, seu connexione cum illis. Ergo. Minor est certa nulla enim causa creata, sed solus Deus, qui est primum, et universale principium, ac ultimus finis voluntatis nostrae, potest in eam illabi, et agere, atque eam determinare; et patet, quia ipsa habet plenum dominium, ab omni Creatura absolutum, et plenam indifferentiam in suos actus, ut eos ponat, vel non ponat, ut positos revocet, aut continuet. Pr. Maj. Angelus non habet vim naturalem intelligendi quodcumque intelligibile, sed tantum illud, quod pertinet ad ordinem hujus universi, vel tamquam pars illius, vel cum eo connexionem habens. Atqui actus internus liber non pertinet ad ordinem hujus universi, nec cum eo connexionem habet. Ergo. Major patet ex dictis. Pr. Min. Ordo universi consistit in subordinatione, et connexione causarum naturalium, qua particularia per universalia, corporalia per spiritualia, inferiora per superiora aguntur, et reguntur, unde ut aliquid pertineat ad ordinem universi, debet esse vel causa superior nata movere inferiores, vel ab illis dependere. Atqui actus internus liber est extra totum ordinem causarum naturalium, ita ut a nulla dependeat, sed a sola voluntate libere, et indifferenter agente, et a solo Deo determinante. Ergo. Hinc sequitur quod quamvis cogitationes cordium sint quid creatum, et ordinis naturalis hoc sensu, quod non sint ordinis supernaturalis, non tamen sunt ordinis naturalis hoc sensu, quod contineantur intra ordinem causarum, et effectuum naturalium, sed sunt supra hunc ordinem, et improportionatae cognitioni angelicae. Consensus vero cogitantis quamvis nihil addat, aut minuat directe in cognoscibilitate cogitationis suae, bene tamen indirecte quatenus facit cogitationem suam quodammo-

do pertinere ad alterum, ad quem illam dirigit. Angelus autem cognoscit quidquid ad seipsum pertinet.

Petes 7. Utrum actus phantasiae, et appetitus sensitivi sint etiam naturaliter ignoti Angelis? R. Ilos actus prout sunt ex impulsione alicujus causae corporalis, ab Angelis posse cognosci, quia sic pertinent ad ordinem universi, secus prout oriuntur ex motione libera voluntatis propter oppositam rationem.

Potes. 8. Utrum Angeli cognoscant naturaliter mysteria gratiae? R. negative. Patet ex responsione praecedenti: si enim Angelus non potest cognoscere cogitationes alterius ex ejus voluntate dependentes, multo minus potest cognoscere ea, quae ex sola Dei voluntate dependent: et ita argumentatur Apostolus 1. Cor. 2. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? et ita quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.*

Petes. 9. Utrum Angelus sit proprie et formaliter discursivus? R. negative. Prob. Discurrere proprie et formaliter est ex uno magis noto aliud minus notum cognoscere distinctis cognitionibus, ita quod una prior cognitio sit causa alterius, sive quod ex priori cognitione unius pariatur cognitio alterius, sicut contingit in nobis, qui ob debilitatem intellectualis luminis, non possumus simul et semel principia et conclusiones in eis inclusas cognoscere: atqui non sic cognoscunt Angeli, sed ob plenitudinem intellectualis luminis, et universalitatem specierum statim primo et uno aspectu attingunt principiorum totam virtutem, et consequenter quae in eis continentur, atque ex eis deduci possunt: et ideo dicuntur *intelligentiae*; ergo.

Petes 10. Utrum Angelus sit semper intelligens actu? R. Angelum necessario se ipsum semper actu intelligere. Nam cum substantia propria sit ejus intellectui semper intime praesens, eam semper necessario actu intelligit.

Hinc inferes Angelum etiam necessario semper cognoscere actu Deum cognitione naturali, quia non potest se continuo cognoscere, nisi continuo cognoscat dependentiam, quam habet a suo Auctore. Item Angeli motores Coelorum, semper eos cognoscunt, quia semper efficacia suae intellectionis ipsos movent. Similiter semper cognoscunt suos Clientes, quibus semper invigilant, non tamen ex necessitate, qua se, et Deum cognoscunt.

Petes 11. Utrum in intellectu Angeli possit esse falsitas. R. in intellectu Angeli mali potest esse falsitas, non in intellectu Angeli boni. Quia, quamvis Angeli tam boni, quam mali statim simul videant, quando volunt, omnium rerum naturas et quae cum illis sunt necessario connexa, et ideo circa haec non fallantur, non vident tamen quae Deus in illis, et ex illis facere potest supernaturaliter. Et circa haec decipi possunt mali Angeli, quatenus ex pravitate suae voluntatis, divinam sapientiam non attendentes praecipiti judicio quandoque judicant aliter ac res, ut subditur divinae dispositioni, sit, aut futura sit, non quidem componendo, aut dividendo formaliter, sed virtualiter, sicut si videntes Christum hominem, judicent non esse Deum, si videntes in causis naturalibus pestem, judicent certo futuram, non attendentes Deum posse aliter disponere. Id non accidit bonis Angelis qui cum divinam sapientiam in omnibus attendant neque de rebus naturalibus prout subsunt divinae dispositioni neque de supernaturalibus nisi rectas habeant revelationes, certo, et absolute judicant ita esse vel non esse, fore, vel non fore, sed ex signis probabilibus probabiliter tantum conjiciunt id esse probabile et posse evenire.

Petes 12. Utrum Angelus inferior comprehendat superiorem? Suppono ut certum Angelum se, et Angelos inferiores, caeteraque inferiora, sive materialia, sive immaterialia, quae pertinent ad hoc universum comprehendere. Quia vis intellectiva Angeli adaequat sui intelligibilitatem; sunt enim ejusdem immaterialitatis a qua originatur vis intellectiva, et intelligibilitas; Unde excedit intel-

ligibilitatem eorum, quae sunt inferiora sibi in immaterialitate. Ergo R. Videri probabilius, et S. Thomae conformius Angelum inferiorem vi propria, et naturali non comprehendere superiorem. Prob. Objectum comprehenditur quando cognoscitur quantum est cognoscibile ex propriis meritis non solum extensive, sed etiam intensive. Atqui Angelus inferior non cognoscit superiorem quantum est cognoscibilis saltem intensive. Ergo. Maj. patet, ex definitione comprehensionis, quam fuse explicatam vid. in tract. de Deo diss. 5. act. 8., et ex D. Thom. q. 12. a. 7. Pr. Min. ex eodem S. Thoma, qui l. 2. contra Gent. c. 9. dicit: *Substantia separata inferior cognoscit superiorem secundum modum substantiae cognoscentis non secundum modum substantiae cognitae, sed inferiori modo.* Et de Causis lut. 8. loquens de intelligentia dicit: *Superiora cognoscit per modum substantiae quae inferiori modo, quam res sit in seipsa.* Ergo ex S. Thoma Angelus inferior non cognoscit superiorem quantum est cognoscibilis, sed inferiori modo, non solum ex parte cognoscentis, sed etiam rei cognitae, ut significant verba *inferiori modo quam res sit in seipsa.* Non sufficit ergo ad comprehensionem quod intellectus, et intelligens conveniant in gradu generico immaterialitatis, sicut conveniunt omnes Angeli; Nam hoc ipso, quo intelligibile excedit intellectivum in gradu specifico immaterialitatis, cognoscibilitas intelligibilis excedit vim intellectivi, ut non possit cognosci quantum cognoscibilis est saltem intensive. Nec praeterea sufficit illuminatio Angeli superioris ad roborandum intellectum inferioris, ita ut superiorem comprehendat. Quamvis enim ista illuminatio aliqualiter elevet intellectum Angeli inferioris, ut perfectius cognoscat superiorem, non videtur tamen, quod elevet usque ad aequalitatem, nam cognitio Angeli illuminati est semper imperfectior cognitione Angeli illuminantis.

Petes 3. Utrum Angelus se, et Deum necessario diligat quoad exercitium? Ante responsionem suppono. 1. In Angelis esse voluntatem, quae est inclinatio ad bonum cum cognitione, qua cognoscitur non solum hoc bonum particulare, sed ipsa ratio boni ut sic, quod est proprium intellectus. Suppono 2. esse in Angelos liberum arbitrium, seu facultatem electivam unius prae alio. Suppono 3°. Angelum se, et Deum diligere dilectioni naturali, et necessaria saltem quoad specificationem, quia nihil in se, et in Deo considerare potest, quo moveatur ad odium sui, vel Dei. Itaque.

R. 1. Probabile videtur Angelum se necessario diligere quoad exercitium Prob. Angelus se cognoscit necessario quoad exercitium. Ergo vult necessario se cognoscere, quamvis enim haec cognitio sit necessaria, est tamen voluntaria; subsumo. Atqui velle se cognoscere est se amare, est enim velle sibi bonum, quia bonum est Angelo, quod se cognoscat. Ergo.

Ad solut. Obj. nota nos non eruere hanc necessariam dilectionem ex substantia Angeli tamquam ex objecto, quod possit implere capacitatem voluntatis angelicae, et illam necessario rapere, quale est Deus clare visus, sed eruimus ex ipsa Angeli substantia tamquam a principio, a quo dimanat ut proprietas.

R. 2. Angelus diligit Deum dilectione necessaria quoad exercitium. Sequitur ex praecedenti, quia impossibile est, quod Angelus diligat se dilectione necessaria quoad exercitium, quin simul eadem necessitate diligat auctorem, et conservatorem sui tamquam bonum sibi proprium.

Sed statim exurgit difficultas; Angelus se diligit post peccatum eadem ipsa necessitate, qua se diligit ante peccatum; ergo ex dictis Angelus post peccatum, et in actuali peccato diligit Deum dilectione necessaria quoad exercitium. At quomodo stare potest actualis amor Dei cum ejus odio actuali, actualis conversio ad ipsum cum actuali aversione ab ipso? Neque dicas, quod in peccato sit actualis aversio a Deo ut auctore supernaturali tantum, quae stare potest

cum conversione actuali ad Deum ut auctorem naturalem, nam contra est, quod, dum Angelus peccat directe contra Deum ut Auctorem supernaturalem, peccet indirecte contra eum ut auctorem naturalem, ut dicemus infra : est ergo actualiter aversus per peccatum a Deo, ut auctore naturali, et simul conversus per dilectionem necessariam ad Deum ut auctorem naturalem. R. breviter : Daemones odio habere Deum ut auctorem supernaturalem et justum sui criminis vindicem, illum autem diligere ut auctorem naturalem, et esse conversos ad Deum ut auctorem naturalem physice et necessario per naturam, esse autem ab eo aversos moraliter et libere per peccatum, in quibus nulla est implicantia, quia non sunt de eodem sub eadem ratione et eodem modo.

Articulus IV.

De gratia et gloria Angelorum. D. Th. q. 62.

Petes 1. Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati? R. 1. Angeli fuerunt creati in beatitudine naturali : quia beatitudo naturalis, quae non est beatitudo simpliciter, sed secundum *quid* tantum, consistit in perfecta cognitione et dilectione Dei ut auctoris naturalis : utramque autem habuerunt Angeli initio suae creationis.

R. 2. Angeli non fuerunt creati in beatitudine supernaturali : quia beatitudo supernaturalis, non est aliquid naturae, sed naturae finis : atqui finis non statim habetur ab initio : ergo. Confirmatur ; de ratione beatitudinis perfectae et supernaturalis est stabilitas, seu inamissibilitas et confirmatio in bono : atqui Angeli non statim ut creati sunt, fuerunt stabiles et confirmati in bono, quod casus quorumdam ostendit : ergo.

Advertendum est ex prima responsione non sequi, quod Daemones sint etiam nunc beati beatitudine naturali, quod quidam non refugiunt admittere, quia ista beatitudo naturalis non est beatitudo simpliciter, sed secundum quid, et *quodam modo* ut dicit S. Thomas. Nam idem S. Doctor hic q. 62. a 1. ad 1. loquens de beatitudine naturali dicit *Beatitudo ibi* (idest in argumento cui respondet) *accipitur pro illa perfectione naturali, quam Angelus habuit in statu innocentiae.* Quibus verbis aperte innuit talem beatitudinem non permanere in statu peccati ; quia ista cognitio, et dilectio Dei ut Auctoris naturae, non est dicenda beatitudo etiam secundum quid, nisi inquantum servat perfectam subordinationem Deo ut Auctori naturae, secus vero si patiatur, vel involvat deordinationem ab illo.

Petes 2. Utrum Angelus indiguerit gratia actuali ad hoc, ut se converteret ad Deum ut objectum supernaturalis beatitudinis? R. affirmative : quia nulla voluntas potest ferri in id, quod est supra suam naturam et naturae vires, nisi sit adjuta ab aliquo alio principio supernaturali, quod dicitur auxilium gratiae ; quia naturalis inclinatio voluntatis non est nisi ad id, quod est conveniens secundum suam naturam : atqui Deus ut est objectum beatitudinis supernaturalis, est supra omnem naturam creatam, et naturae vires : ergo. Hanc autem gratiam fuisse per se efficacem et non tantum sufficientem probabimus in tractatu *de gratia.*

Petes 3. Utrum Angeli fuerint creati in gratia sanctificante? R. 1. Certum videtur omnes Angelos habuisse gratiam sanctificantem, antequam pervenirent ad terminum beatitudinis vel damnationis. Prob. Boni meruerunt beatitudinem : principium autem meriti est gratia sanctificans : *Mali non steterunt in veritate.* Joan. 8. Stare autem in veritate est permanere in justitia et sanctitate, ut interpretantur Chrysost. Hom. 53 in Joan. : et S. Leo serm. 10. de Quadrag. Item non servaverunt *suum principatum* in Epist. Judae ; nomine autem *prin-*

cipatus intelligitur excellentia gratiae: Hinc Hieronym. in cap. 3. Oseae dicit; *Daemones lapsi de propria dignitate et nihil antiquae gratiae possidentes, avidi sunt.* Conf. Non debet denegari Angelo, quod primo homini concessum est: atqui primus homo, antequam peccaret, erat donatus gratia sanctificante, ut definit Trid. sess. 5. can. 1.

R. 2. Probabilius est Angelos gratiam sanctificantem accepisse in sua creatione. Prob. 1. Ex Patribus. Aug. 12. de civit. c. 9. *Bonam voluntatem*, inquit, *quis fecit in Angelis, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam et largiens gratiam?* Basil. in Ps. 31. *In prima constitutione, ac velut massa substantiae ipsorum una insitam habuere sanctitatem.*

Prob. 2. ratione congrua. Juxta Aug. lib. 8. super Genes. ad litt. c. 3. Deus in creatione corporalis naturae indidit omnibus seminales rationes suorum effectuum naturalium, ut patet in animalibus, plantis, etc. Ergo verisimile est, quod etiam Angelis ad ordinem supernaturalem elevatis indiderit in sua creatione rationes seminales suorum effectuum supernaturalium. Subsumo; atqui gratia gratumfaciens est semen omnium actuum et donorum supernaturalium, etiam ipsius beatitudinis, unde vocatur Joan. 3. *semen Dei*: ergo.

Petes 4. Utrum Angeli consecuti sint gratiam et gloriam secundum quantitam suorum naturalium. R. Angeli supernaturalia dona gratiae et gloriae receperunt secundum quantitatem suarum perfectionum naturalium, ita ut quo fuerunt natura perfectiores et superiores, eo plus gratiae et gloriae receperint: non sic tamen quasi naturales Angelorum perfectiones fuerint dispositiones ad gratiam et gloriam; id Pelagianum est: sed quod Deus gratuito et ex mero beneplacito voluerit servare quamdam proportionem inter naturalia Angelorum et sua dona supernaturalia, majorem gratiam tribuens perfectioribus in naturalibus, minorem minus perfectis: quod in homine non servavit.

Cum Auctore in hac parte censent communiter Theologi et ante illos SS. Patres, Basilius de Spirit. S. c. 16. dicit: *Coelorum virtutes juxta portionem, qua se invicem superant, a Spiritu Sancto habent sanctificationis mensuram.* Damasc. l. 2. de fide c. 1. *Per verbum Angeli omnes creati sunt, ac per Spiritus Sancti sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt, tamen ut pro sua quisque dignitate et classe luminis gratiaeque participes sint.* Id quidem nulla ratione demonstrari potest, cum pendeat ex sola Dei voluntate cui sic placuit disponere circa Angelos, et non circa homines. Ratio tamen congrua est, quod Deus per suam sapientiam diversos gradus in natura angelica constituit; sicut autem ipsam naturam ad gratiam et beatitudinem naturalem consequendam ordinavit, sic verisimile est, quod diversos gradus naturae angelicae ad diversos gradus gratiae et gloriae ordinaverit, sicut si aedificator lapides polit ad construendam domum, ex hoc ipso quod aliquos pulchrius et lucentius aptat, videtur eos ad honoratiorem partem domus ordinare. Ergo sic videtur, quod Deus Angelos, quos altioris et perfectioris naturae fecit, ad majora gratiarum dona, et amplioremm beatitudinem ordinaverit.

Petes 5. Utrum Angeli meruerint suam beatitudinem supernaturalem? R. affirmative. Quia beatitudo est praemium virtutis, quae conferri debet propter opera virtuosa, quae sunt merita. Adde quod nobilius sit eam sic habere per merita quam titulo gratuito.

Petes 6. Quomodo Angeli meruerint suam beatitudinem supernaturalem? an per opera eam subsequentia an per concomitantia, an per praecedentia? R. meruisse per opera eam tempore praecedentia: quia ille modus merendi gloriam est omnium connaturalissimus; meritum enim se habet ad praemium, ut via ad terminum et causa ad effectum; ergo Angelis est tribuendus.

Petes 7. Utrum Angelus statim post unum actum perfecte meritorium beatitudinem habuerit ? R. affirmative. Pro hujus responsionis explicatione et probatione observandum est actum charitatis, quem elicuerunt Angeli in instanti suae creationis, non fuisse liberum quoad specificationem, sed quoad exercitium tantum ; quia ad illum non se movebant, cum ante non erant in actu, sed a Deo specialiter movente movebantur, ideoque sub ratione boni tantum ; aliter enim Deus non movet specialiter. Postquam autem per hunc actum priorem fuerunt in actu, et exinde potuerunt se movere ex propria et plena deliberatione in objectum sub indifferentia, ita ut bonum vel malum eligere possent, et sic haberent libertatem etiam quoad specificationem ; mali proruperunt in peccatum, boni in bono steterunt cum perfecta libertate, et quoad specificationem et quoad exercitium.

Dicimus itaque post hunc actum plene meritorium, et non post primum, statim Angelos beatitudinem recepisse. Quia, quamvis libertas quoad specificationem respectu boni et mali non requiratur absolute ad meritum, et ideo fateamur, quod per actum necessarium quoad specificationem Angeli meruerint beatitudinem, rationabiliter tamen in natura peccabili differtur collatio mercedis, donec praecesserit meritum perfectum, et ex propria deliberatione, et perfecta libertate, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, ut sic praemietur, et coronetur, qui potuit facere malum, et non fecit. Et de hoc actu plene libero intelligitur responsio.

Petes 8. Quot instantibus completa fuerit via Angelorum ? Pro resolutione hujus quaestionis nota, quod cum Angelus sit super tempus rerum corporalium, instantia diversa in his, quae ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successionem in eorum actibus, ita ut tot sint instantia temporis angelici, quot sunt eorum operationes diversae, sive secundum substantiam, sive secundum modum intrinsecum, non coexistentes, sed sibi succedentes ; quia si simul existerent quantumvis diversae, non constituerent tempus, de cujus ratione est prius et posterius, sed unico instanti mensurarentur : unde etiam fieri potest, quod unum instans angelicum correspondeat pluribus instantibus nostri temporis, si nempe eamdem operationem aliquandiu continuet.

Quaerere ergo quot instantibus completa fuerit via Angelorum, est quaerere, quot actiones intrinsece diversas successive elicuerint a primo instanti suae creationis usque ad terminum damnationis vel glorificationis inclusive, idest comprehendendo etiam instans, in quo fuerunt vel damnati val glorificati.

R. 1. Via malorum Angelorum fuit completa tribus instantibus. Est communis. Prob- Tot sunt instantia in Angelis, quot sunt in eis operationes distinctae sibi succedentes : atqui tribus operationibus distinctis sibi succedentibus mali Angeli compleverunt viam 1. Meruerunt sicut boni Angeli per conversionem ad Deum 2. Peccaverunt. 3. Poenam peccati contra voluntatem receperunt. Hanc autem ultimam operationem esse distinctam a secunda, et cum ea simul esse non posse patet, quia nemo potest simul affici summa delectatione, et summa tristitia, neque esse simul in via et extra viam : atqui Angelus in instanti peccati summa delectatione et complacentia in sua perfectione afficiebatur, et erat in via ; in instanti damnationis summa tristitia afficiebatur, et erat extra viam ; ergo.

R. 2. Quantum ad viam bonorum Angelorum divisi sunt Theologi etiam Thomistae. Quidam censent eam fuisse completam tribus instantibus sicut viam malorum, quia in illis sicut in istis tres fuerunt operationes distinctae sibi succedentes usque ad terminum glorificationis inclusive, scilicet 1. in instanti creationis fuit in ipsis actus charitatis liber quoad exercitium, non quoad specificationem, communis bonis et malis : 2. postea fuit actus charitatis perfecte liber quoad specificationem et quoad exercitium 3. tandem adeptio gloriae. Alii con

sent completam fuisse duobus instantibus, quia volunt actum secundum non distingui a primo, sed esse primum continuatum. Utrumque est probabile, sed quaestio non est tanti momenti, ut nos diu detineat.

Petes 9. quamdiu duraverit quodlibet ex his instantibus per correspondentiam ad nostrum tempus? R. 1. Primum instans, in quo boni, et mali Angeli imperfecte meruerunt duravit unico instanti nostri temporis. Colligitur. ex S. Thoma hic *q.* 63. *a.* 6. dicente quod *sit probabilius, et dictis Sanctorum magis consonum, quod statim post primum instans creationis Diabolus peccaverit*: Angelus enim post primum actum perfecte liberum, et ex propria motione elicitum, ex conditione naturae angelicae est inflexibilis, ut dicetur, si igitur post primum instans non peccasset, talis actus vel perseverans, vel de novo elicitus fuisset perfecte liber, et plene meritorius.

R. 2. Secundum instans, in quo boni Angeli perfecte meruerunt, et mali peccaverunt, correspondet parti nostri temporis. Quia in tempore nostro post instans sequitur pars. Quamdiu autem istud tempus duraverit incertum est. Solum constat malos Angelos damnatos fuisse ante lapsum Adae, siquidem unus ex ipsis sub figura serpentis Evam tentaverit.

R. 3. Instans quo primo boni glorificati sunt, et mali damnati coexistit instanti nostri temporis, quia actiones Dei non pendent a tempore, sed sunt instantaneae. Quantum vero ad permanentia, utramque tam glorificatio, quam damnatio mensurantur aeternitate participata.

Articulus V.

De culpa Angelorum. D. Th. q. 63.

Petes 1. Quomodo Angeli peccaverint? Angelos peccasse, fide constat; dicitur enim Job. 4. *In Angelis suis reperit pravitatem.* Sed difficultas est, quomodo Angelus peccaverit, aut potuerit peccare? R. Angelum peccasse ex ignorantia, seu errore, non specialiter et stricte sumpto pro assensu, quo quis assentitur falso tamquam vero, vel pro judicio speculativo, quo quis judicat malum bonum; sed ex errore, seu ignorantia generaliter sumpta, pro actuali inconsideratione, qua quis non attendit, neque considerat practice actu, quae posset, et deberet considerare. Non ergo erravit Angelus judicando aliquid bonum, quod bonum non est, sed non considerando bonum superius, ad quod bonum proprium erat referendum. Proposuit namque intellectus angelicus voluntati propriam excellentiam ut bonam, et amandam, et in hoc non erat error; at non proposuit, ut poterat, et debebat, ut amandam cum subjectione ad divinam regulam, et cum ordine ad Deum, ut auctorem et finem supernaturalem, in quo est defectus actualis considerationis practicae, ideo ignorantia, seu error, qui dicitur pravae electionis; hanc autem excellentiam sic propositam sine subjectione et ordine ad Deum, ut finem supernaturalem, dum amavit Angelus, peccavit.

Neque inde sequitur aliquem defectum, seu ignorantiam fuisse in Angelo, antequam peccaret, quia cum ista inconsideratio esset interpretative voluntaria jam tunc peccabat Angelus, quando regulam, quam considerare debebat, non considerabat practice, unde ista inconsideratio non erat causa, sed pars peccati. Peccat enim Creatura intellectualis inchoative, dum non considerat, quae potest, et debet considerare, consumative, dum intellectu non considerante voluntas se applicat ad opus. Est autem, ut dixi, haec inconsideratio interpretative voluntaria, quatenus, dum intellectu proponente objectum sine debita attentione ad regulam, voluntas se applicat ad agendum, convincitur velle sal-

tem interpretative istam inconsiderationem, et sic est unum peccatum integratum ex illa inconsideratione indirecte, et interpretative voluntaria, et ex mala electione directe, et expresse voluntaria; sicut universaliter unum est peccatum integratum ex defectu rationis in dirigendo, et defectu voluntatis in eligendo. Sic autem contingit in Angelo. Cognoscebat per fidem se esse elevatum ad ordinem, et finem supernaturalem, consequendum auxilio divino. Facto et interpretative despexit superbus hanc elevationem, et legem supernaturalem, dum in sua beatitudine naturali absque consideratione practica legis, et finis supernaturalis, et subjectione ad illam sibi proposita, maluit sistere, quam habere beatitudinem supernaturalem quasi precario ex beneficio gratuito alterius scilicet Dei; ex quo manifeste patet hanc inconsiderationem practicam finis supernaturalis fuisse facto, et interpretative ipsi voluntariam, imo quodammodo affectatam ex superbia, et malitia.

Petes 2. Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum? R. fuisse superbiam. Prob. ex Scriptura. Tob. 3. dicitur: *In ipsa* (superbia) *initium sumpsit omnis perditio.* Eccl. 10. *Initium omnis peccati superbia.* Isa. 14. dicitur de diabolo sub figura Regis Babylonis. *Quomodo cecidisti de coelo Lucifer . . . , qui dicebas in corde tuo, in coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Et Ezech. 28. sub figura Regis Tyri de eodem Lucifero dicitur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Patebit ulterius ex responsione sequenti.

Quantum vero ad peccata, quibus Angeli nunc peccant, dicendum est quod secundum reatum culpae omnia peccata in Daemonibus esse contingit, dum Homines ad omnia peccata inducunt; Secundum affectum vero illa solum peccata, ad quae contingit affici spiritualem naturam; unde in Daemonibus non possunt esse secundum affectum peccata luxuriae, gulae, avaritiae et similia, sed maxime superbia, et invidia, et etiam ea omnia, quae, et quatenus ex superbia, et invidia derivantur, ut sunt peccata idololatriae, infidelitatis, odii, blasphemiae, desperationis, etiam homicidii, et furti, non ut ipsi ditescant, sed vel ut aliis noceant ex invidia, vel ut suis cultoribus donent ex superbia. Quantum ad iram secundum suum materiale, quod est accensio sanguinis circa cor, non potest esse nisi metaphorice in Daemonibus; secundum vero suum formale, quod est appetitus vindictae cum tristitia de malo illato, potest esse in Daemonibus, qui sunt capaces tristitiae, et possunt appetere vindictam de injuria, quam apprehendunt sibi esse illatam.

Petes 3. Circa quod objectum primo superbierit Angelus? Suppono 1. ut certum, Angelum peccasse appetendo esse ut Deus, seu aliquam aequalitatem cum Deo. Isaj. 14. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus Ego sum:* Job. 41. dicitur. *Ipse est Rex super universos Filios superbiae.* Superbia autem Antichristi erit ut *ostendat se tamquam sit Deus.* Ergo. Sed difficultas est, qualem aequalitatem cum Deo appetierit? An in natura, an secundum similitudinem tantum.

Suppono 2. Angelum non appetiisse aequalitatem cum Deo in natura. Non potuit enim appetere quod cognoscebat esse omnino impossibile, quia appetitus non fertur nisi ad sibi conveniens, quod nullo modo est id, quod est absolute impossibile. Angelus autem ante lapsum apprime cognoscebat, et comprehendebat se esse ens creatum, et a Deo participatum. Quae opponi possunt ex Patribus, qui videntur asserere Angelum appetivisse aequalitatem cum Deo, intelligenda sunt de aequalitate secundum similitudinem aliquam proportionalem in Beatitudine.

Suppono 3. Primum peccatum Angeli non fuisse appetitum Principatus in alias Creaturas inferiores, quia talis appetitus pertinet ad ambitionem, quae sequitur superbiam, cujus est Filia.

Res est magis incerta quoad unionem hypostatricem, quam Angeli sibi

appetierint, dedignando quod naturae humanae esset communicata, et communius negatur, quia unio hypostatica non est finis neque naturalis, neque supernaturalis Angeli. Attamen probat Joannes a S. Thoma non repugnare, quod cum Angelis in via revelatum esset mysterium Incarnationis saltem quoad substantiam, inter objecta materialia, circa quae eorum superbia in primo peccato se explicuit, unum fuerit unio hypostatica inordinate appetita naturae angelicae, idest solum ratione propriae excellentiae, indigne ferens eum honorem naturae humanae sibi inferiori concedi, quod totum pertinet ad superbiam. Quamvis enim in superbia formalis ratio sit propria excellentia, tamen materia, in qua exercetur, est multiplex et varia. Sic quidam in nobilitate generis, alii in virtute militari, alii in scientia, aliqui in his omnibus, vel pluribus simul, excellentiam quaerunt. Ita, inquit, verisimile est, quod Angelus quaerens in primo peccato superbire in propria excellentia, non solum proprium decorem inordinate appetierit, sed etiam unionem hypostaticam, ratione cujusdam excellentiae, qua nullum alium nisi se existimaverit dignum, ita ut ipse fuerit finis *cui*, unio hypostatica finis *qui*, idest res volita tamquam materia propriae excellentiae, et sic respondet rationi contrariae. Utrum tamen ita de facto contigerit, fatetur rem esse incertam.

R. cum S. Thoma. Objectum, circa quod primo superbiit Angelus, fuit utraque beatitudo tam naturalis quam supernaturalis, quatenus appetiit remanere in beatitudine naturali, in ea complacendo, tamquam in perfectione, et excellentia sibi naturaliter debita, et qua aliis creaturis singulariter praeemineret, et recusando beatitudinem supernaturalem, quatenus erat obtinenda per gratiam Dei specialem, et debebat esse communis hominibus sibi inferioribus: ac in hoc appetiit similitudinem cum Deo, quaerens habere in proprio fundo beatitudinem singularem sibi connaturaliter debitam, et non ex gratia et quasi precario, quod est proprium Dei.

Observandum autem, quod non sint hic distinguendi duo actus superbiae, unus circa beatitudinem naturalem, alter circa beatitudinem supernaturalem, sed est unus actus, et una superbia, eligens potius sistere in propria et privata beatitudine, quia singularis erat, et sibi jure creationis connaturaliter debita, quam habere supernaturalem communem aliis sibi inferioribus, et ex gratia Dei quasi precario, quam tamen non recusaret, si posset habere virtute naturae sine gratia, et sibi propriam non aliis communicandam: quod totum est superbiae et proprium superbis, qui malunt in inferiori gradu permanere, quam ad altiorem, aliorum ope, elevari.

Prob. responsio ex Patribus. Greg. 34. moral. c. 17. dicit *Angelos perdidisse participatam celsitudinem, quia privatam desideraverunt.* Aug. 12. de civit. c. 1. *Mali Angeli sua potestate delectati, veluti bonum suum sibi ipsi essent, a superiori bono ad propria deflexerunt.* Bernardus serm. 17. in Cant. loquens de Angelo malo; *Molitus est habere subjectos* (scilicet homines) *socios dedignatus: infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura, non decet esse concives, nec aequales in gloria.* Idem expresse docet S. Th. 1. p. q. 63. a 3.o. Adde non posse assignari congruentius objectum primae superbiae Angelorum, quam eorum ultimum finem, tam naturalem, quam supernaturalem inordinate appetitum.

Petes 4. Utrum Angelus potuerit peccare in istanti suae creationis. R. negative quia primus actus voluntatis in Angelis, licet fuerit a voluntate eliciente, fuit tamen a Deo specialiter movente et applicante: ergo non potuit esse peccaminosus; Deus enim non est principium defectuosum, et alias peccatum in ipsum refunderetur. Prob. ant. Operatio, quae incipit cum esse rei, et est principium caeterarum, qualis est primus actus voluntatis in Angelis, est

ab eo, a quo est natura; sic motus cordis in animali, moveri sursum in igne, sunt a generante: atqui natura Angeli est a Deo: ergo.

Neque obstat, quod in primo instanti suae creationis potuerit mereri, et re ipsa meruerit; quia ad meritum sufficit libertas contradictionis, qua pollebat, ut patet in Christo et in confirmatis in gratia; ad peccatum autem requiritur libertas contrarietatis, ut quis scilicet possit facere malum, et non faciat, qua tunc carebat Angelus.

Petes 5. Utrum supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes? R. Probabilius affirmative, quia peccatum Angelorum fuit superbia, cujus motivum est excellentia propria, quae fuit major in Angelo supremo, et ideo Gregor. hom. 34. in Evang. dicit quod ille, qui peccavit, fecit superior inter omnes. Quod si Ezech. 28 Lucifer dicitur Cherubim, non Seraphim, ideo sic denominatur, quia Cherubim interpretatur plenitudo scientiae, quae potest esse cum peccato mortali. Seraphim vero interpretatur ardens ab ardore charitatis, quae cum peccato mortali esse non potest.

Petes 6. Utrum tot Angeli peccaverint quot remanserunt? R. Plures remansisse, quam peccasse. 4. Reg. c. 6 dicitur *Plures nobiscum sunt, quam cum illis*, quod exponitur de bonis Angelis, qui sunt nobiscum in auxilium, et de malis, qui nobis adversantur. Ratio congrua est, quia peccatum est contra naturalem inclinationem, ea vero quae contra naturam sunt, ut in paucioribus accidunt, natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel ut in pluribus.

Articulus VI.

De poena Daemonum. D. Th. q. 64.

Petes 1. utrum Daemones sint obcaecati. Obcaecatio est privatio cognitionis veritatis. R. naturalis cognitio speculativa Daemonum in esse physico non est ablata, nec diminuta, quia consequitur ipsam naturam Angeli, qui secundum naturam est intellectus vel mens: unde communiter dicitur ex Dionysio c. 4. de Divin. nomin. quod *dona naturalia in eis integra manent.* Cognitio supernaturalis speculativa non est in eis totaliter ablata, sed diminuta, quia de decretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus bonis Angelis, vel per aliqua temporalia divinae virtutis effecta. Cognitione vero supernaturali affectiva et effectiva producente amorem Dei, sunt totaliter privati, sicut et charitate, quia nullum habent bonum affectum ad Deum, aut ad quidquam in ordine ad Deum.

Petes 2. Utrum Daemones sint obstinati in malo. R. affirmative. Constat ex Scriptura. Psalm. 73. dicitur: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Si semper ascendat, numquam cessat. Psalm. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi.* Eccl. 9. *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos.* Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

Petes 3. Unde proveniat haec obstinatio Daemonum in malo? Nota 1. Obstinatio est firmitas in peccato per quam quis ad bonum reverti non potest. Nota 2. Est certum de Fide contra Origenem, quod Daemones ita sunt obstinati in malo, ut ad bonum reverti non possunt, nec a sua malitia converti. Id constat ex Scriptura attestante continuationem eorum culpae, et perpetuitatem poenae, quae non posset esse perpetua, si a culpa posset damnatus resipiscere. Revera habetur in cit. Psalm. 6. *in inferno autem quis confitebitur tibi?* et ad Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Matt. 5. *Ite maledicti in ignem ae-*

ternum ; et ita definitum est ab Innocentio III. in Concil. generali Lateranensi IV., et refertur cap. *firmiter* de summa Trinitate.

R. (9. 24. *de verit. a.* 10. *et q.* 15. *de mal. a* 5.) duplicem causam assignari : unam extrinsecam ex parte Dei denegantis gratiam, alteram intrinsecam ex parte voluntatis creatae immobiliter adhaerentis peccato. Ratio primae causae petitur ex statu damnationis, prout est communis Angelis et hominibus ; est enim status ultimi termini, status summae miseriae, et status retributionis secundum rigorem justitiae. Quatenus est status ultimi termini, exigit carere auxilio dirigente ad terminum. Quatenus est status summae miseriae, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, Job. 10., et ubi *nec opus, nec ratio, nec scientia erunt.* Eccl. 9. exigit carere omni auxilio ordinante ad bonum et rationem. Quatenus tandem est status rigorosae justitiae, exigit, ut qui in via abjecit gratiam, qua se ordinaret ad debitum finem, positus in termino, illa privetur. De hoc conveniunt omnes Theologi.

Occurrit tamen difficultas : quomodo damnati peccent in eo statu ? non enim possunt facere bonum sine auxilio sufficienti ; qui autem non potest facere bonum, non peccat illud non faciendo, quia ad peccandum requiritur, quod aliquis possit facere, et non faciat, quod lege praeceptum est. R. damnatos in eo statu damnationis et obstinationis peccare, quia illum ex libera voluntate incurrerunt : sic tamen quod per hujusmodi peccatum non demereantur, et quod tota ejus malitia sit referenda ad praecedentem culpam, qua libere in praesentem necessitatem inciderunt, sicut contingit in ebrio blasphemante, cujus blasphemiae malitia refertur ad voluntatem, qua se libere inebriavit.

Ratio secundae causae est (prout communius Thomistae intelligunt S. Thomam) ; quia Angelus secundum connaturalem modum suum procedendi, immobiliter adhaeret fini ; ad quem semel ex certo judicio et perfecta deliberatione se determinavit. Quod probatur : dictamen seu judicium certum et completum ab Angelo formatum, quale fuit, cum de ultimo fine deliberavit, attento modo ejus connaturali procedendi, est irrevocabile et irreformabile : ergo voluntas per tale judicium regulata est pariter irrevocabilis et irreformabilis : Patet consequentia, quia vis appetitiva in omnibus proportionatur apprehensivae, a qua regulatur. Unde communiter dicitur, quod voluntas non fertur, nisi in cognitum, et eo modo, quo est cognitum. Probatur antecedens. Angelus non discurrit, ut superius diximus, sed uno et eodem intuitu comprehensive cognoscit principia et conclusiones, finem et media ; id est uno, et eodem indivisibili actu cognoscit omnia, quae habere possunt convenientiam, vel disconvenientiam, sive necessario sive contingenter, cum principiis aut cum fine : ergo immobiliter et irrevocabiliter apprehendit. Prob. conseq. Ideo nos immobiliter et irrevocabiliter apprehendimus prima principia, v. g. quodlibet est, vel non est, conclusiones vero mobiliter et revocabiliter, quia prima principia uno intuitu et sine discursu apprehendimus, conclusiones vero per discursum, in quo datur locus errori : Ergo

Dixi *ex certo judicio*, quia si Angelus procedat ex principiis dubiis, et conjecturalibus tantum, fatemur tale judicium non esse firmum, nec immobilitatem inducere, in eoque sicut in volitione consequente Angelum posse variare. Quamobrem Angelus Persarum Dan. c. 10. qui primo contradixerat Angelo Israelitarum, volenti eorum liberationem, cognita postmodum per Michaelem Archangelum voluntate Dei annuit eorum liberationi.

Dixi ad quem *ex perfecta deliberatione se determinavit*, idest ad quem sui juris factus proprio motu, et cum libertate contrarietatis se determinavit, et non specialiter a Deo motus et determinatus cum sola libertate contradictionis, ut in 1. instanti creationis, in quo non fuit inflexibilis. Et per haec solvuntur obje

ctiones ex Patribus. Quoad reliquas advertendum est, quod quamvis Angelus post electionem maneat liber, ad libertatem non requiri, quod possit retractare quod semel voluit libere, id enim pertinet ad imperfectionem naturae, ut patet in Deo, cujus decreta libere posita sunt immutabilia, sed sufficit, quod ante resolutionem potuerit alterutrum eligere. Et quamvis objectum adhuc proponatur sub indifferentia, Angeli inflexibilitas non oritur ex meritis objecti, sed ex connaturali modo agendi, secundum quem eodem indivisibili actu in perfecta deliberatione comprehensive cognoscit quidquid ad illud spectat sive necessario, sive contingenter, tam principia, quam conclusiones, tam finem quam media, ita ut non possit novas rationes adinvenire, aut novo modo illud cognoscere, quo prius judicium immutet; nisi Deus per miraculum immutet connaturalem ejus modum agendi, aut per infusionem luminis supernaturalis vincat totam comprehensionem naturalem. Quod si Diabolus peccavit ex inconsideratione regulae, et boni supernaturalis, haec non fuit proveniens ex ignorantia, sed volita, et affectata, et quamvis nunc cognoscat speculative, se peccatum admisisse, non tamen illud apprehendit affective, et practice, quasi malum culpae, sed in eodem peccato superbiae inflexibiliter perseverat, imo progreditur, et crescit juxta illud. Ps. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

Ex dictis colliges Daemones non posse ullum opus morale ex omni parte bonum facere, sed quae faciunt ex objecto bona, aliqua mala circumstantia, praesertim pravi finis, vitiari.

Petes 4. Utrum sit dolor in Daemonibus? R. Dolor secundum quod est passio (idem dic de timore, gaudio, et ejusmodi) in Daemonibus esse non potest; sic enim est proprius appetitus sensitivi, qui est virtus in organo corporali, quo carent Daemones. Dolor vero secundum quod est actus voluntatis, est in eis, quia dolor sic sumptus nihil est aliud, quam renisus voluntatis ad id, quod est, vel non est, quando nempe esse vel non esse rei percipitur, ut disconveniens vel malum proprium, et conjunctum. Nam ad dolorem duo requiruntur, scilicet conjunctio alicujus mali, et perceptio hujusmodi conjunctionis; atqui Daemones multa volunt esse, quae non sunt, et non esse, quae sunt, et haec ut mala propria et conjuncta percipiunt: sic v. g. volunt esse beati, praecellere omnibus, adorari ab omnibus, omnes homines damnari, etc. volunt non detineri, non puniri igne, non expelli a corporibus, non mitti in infernum, etc. Ergo.

Petes 5. Utrum ignis inferni sit materialis et corporeus. R. affirmative. Patet ex Scriptura, quae frequenter supplicium damnatorum nomine ignis designat. Judith 16., Job. 20., Isa. 33., clarius Matth. 5. 7. 13. et 25. Neque ulla ratio cogit, ut intelligamus metaphorice, cum si proprie intelligatur, nullum sequitur inconveniens. Ratio etiam suadet: quia ignis, quo damnatorum corpora cruciabuntur, convenienter ponitur esse corporeus cum instrumentum conveniens cruciandi corpora sit corporeum, nec convenienter corpori adaptari potest poena nisi corporea: atqui juxta Scripturam Matth. 25. ille ignis est communis Daemonibus, et hominibus damnatis: ergo.

Ita etiam sentiunt SS. Patres: Basil. orat. 24., Chrysost. hom. 44. in Matth., Aug. 21. de Civit. c. 9. et 10., Greg. l. 4. Dialog., et communiter Theologi, ita ut quamvis haec sententia non sit fidei, quia Ecclesia nihil super hanc rem determinavit, videtur tamen certo tenenda. Imo Auctor Supplem. q. 97. a 6. probat ignem inferni esse ejusdem rationis specificae cum nostro, differre tamen secundum quaedam accidentia, puta, quod non indigeat fomentis corporeis, sicut noster, quod sit obscurus, quod acrius urat, etc.

Hinc sequitur Daemones non torqueri sola apprehensione ignis, ut cruciantis, qui tamen non cruciet, ut quidam volunt. Sic enim poena Daemonum esset phantastica, et deceptoria. Non est autem probabile, quod Animae separatae,

vel Daemones qui magna ingenii subtilitate pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur. Insuper esset grave inconveniens, quod Deus non posset torquere Spiritum per ignem, nisi decipiendo ipsum, aut permittendo in eis deceptionem.

Quoad Patres, qui videntur contrarii, vel loquuntur de igne inferni quantum ad virtutem, qua elevatur a Deo, ut ejus instrumentum, non enim agit in animas virtute propria corporea, vel intelligunt non esse corporeum ut nostrum, quia non indiget fomentis corporeis; vel tandem loquuti sunt inquirendo, non determinando, vel si determinando, postea se retractaverunt, ut fecit Augustinus.

Petes 6. Quomodo Daemones igne corporeo inferni crucientur? R. Ignis inferni torquet Daemones, quatenus, ut instrumentum divinae virtutis, alligat potentias eorum, ne operentur sive interne, sive externe, secundum quod volunt, et ubi volunt, et consequenter quoad locum ne sint, ubi volunt, et sint, ubi nolunt, quia non sunt in loco nisi per operationem, ut antea dictum est. Ita communiter cum Auctore non solum Thomistae, sed etiam plures extranei. Prob. 1. ex Scriptura, quae explicat illam poenam ignis per modum alligationis et detentionis. Sic 2. Pet. 2. dicitur: *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Epist. Judae. *Angelos vero, qui non servaverunt suum Principatum, vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Apocal. 20. *Et apprehendit Angelus draconem, qui est Diabolus, et ligavit eum per mille annos, et misit in abyssum.* Item in vet. Testam. Isa 24. et Threnorum 3.

Prob. 2. ex Patribus: Greg. l. 4. Dialog. c. 29., Julian. Tolet. l. 2. prognosticorum c. 17., Aug. 21. de civit. c. 10.

Prob. 3. ratione. Haec Daemonum alligatio per ignem est possibilis et conveniens. Est possibilis, quia ignis id non praestat virtute naturali, sed virtute divinae potentiae et justitiae, cujus est instrumentum, sive physicum, ut volunt Thomistae, sive morale, ut volunt alii: alterutrum enim sufficit conclusioni. Est conveniens; quia est proportionata culpae Daemonum, et quoad modum peccandi, et quoad gravitatem culpae. Quoad modum peccandi; quia ea fuit superbia Daemonum quod voluerint sic praecellere, ut nec ipsi Deo subjici voluerint: ergo convenienter subjiciuntur vilissimae rei corporeae, a qua veluti incarcerati in perpetuum detinentur, et deprimuntur, ita ut verificetur illud vulgatum: *Per quae quis peccat: per haec punietur.*

Est etiam proportionata quoad gravitatem culpae, quia est maxime afflictiva, et omnium poenarum acerbissima; tanto enim malum est acerbius, quanto magis est disconveniens naturae patienti; in hac quippe disconvenientia, supposita ejus apprehensione, sita est ratio mali afflictivi; atqui nihil potest excogitari disconvenientius naturae angelicae, quam ista alligatio per ignem; ergo. Prob. min. 1. Per istam alligationem Daemon submittitur, ut jam dictum est, rei vilissimae tamquam inferior superiori, cum tamen ea sit Daemonum dignitas et praestantia, ut omnia corporalia jure naturae ei subdi deberent. Alligantur potentiae Daemonum tam in ordine ad se, ita ut non possint intelligere plura, quae vellent, et e contra cogantur meditari plura, quae nollent, quam externe et in ordine ad locum, quia impediuntur operari, ubi vellent, et coguntur operari, ubi nollent, et consequenter impediuntur esse, ubi vellent, et detinentur, ubi nollent, tamquam in carcere angusto, quia, ut dictum est, sunt in loco per operationem: atqui natura Daemonum est activissima, et tanto magis, quanto est subtilior et perfectior: ergo alligatio, per quam impediuntur agere, prout volunt, est maxime ipsis repugnans et violenta, et inde dolor omnium acerbissimus, cum ex repugnantia et violentia nascatur acerbitas doloris, ut diximus.

Neque inde inferas omnium Daemonum poenam esse aequalem, quia non aequaliter impediuntur in suis operationibus, sed alii plus, alii minus secundum dispositionem divinae justitiae, et gravitatem eorum culpae.

Si quaeras quomodo Daemones qui sunt in aëre alligentur ab igne? Respondent quidam, Daemones secum asportare particulam ignis. Verum id foret multiplicare miracula, quod enim iste ignis non videretur a nobis, nec corpora vicina combureret, aut calefaceret, esset miraculum. Alii respondent usque ad diem judicii differri poenam sensibilem tam Daemonum, quam Animarum, similiter Beatitudinem Sanctorum, quod at[illegible] impugnabimus dum de ultimo fine. Alii dicunt quod Daemones licet non alligentur gehennali igni, dum sunt in isto aëre caliginoso, tamen ex hoc loco, quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum poena non minuitur, et hoc sensu dicit Glos. ordin. ad c. 3. Jacob. *portant secum ignem gehennae quocumque vadunt* unde de carcere aereo tristantur quidem, quia etiam ibi alligantur, ne faciant quod velint, ubi velint, sed longe magis tristantur de carcere igneo, ad quem se sciunt damnatos in perpetuas aeternitates. Tandem alii respondent nihil repugnare quominus ipse ignis tartareus elevetur ut instrumentum Dei ad alligandos Daemones in aëre existentes tam quoad eorum operationem, quam quoad locum.

Petes 7. Utrum Daemones praeter hanc alligationem nullum aliud acerbius supplicium patiantur ab igne?

R. Non paucos existimare praeter hanc alligationem, Daemones, et animas separatas pati ab igne inferni dolorem similem illi, quem anima unita corpori per ipit, dum corpus, quod informat, comburitur. Alii vero Thomistae, et communius, sistunt in sola alligatione. Caeterum quo minus Deus per ignem tamquam per instrumentum suae virtutis possit torquere Daemones, et animas separatas, sicut torquetur, et cruciatur anima, dum corpus, quod informat, comburitur, nullam video implicantiam. An vero ita sit, incertum est, et ut verum fateamur, S. Thomas tum hic, tum alibi ubi hanc materiam tractat, istius modi non meminit, sed solius alligationis.

Articulus VII.

De Locutione, et Illuminatione Angelorum. D. Th. qq. 106. et 107.

Petes 1. Utrum Angeli loquantur? R. (*q. de verit. a 4.*) affirmative. Patet 1. Ex Scriptura. Isa. 6. dicitur. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Daniel. 8. *Gabriel, fac intelligere istam visionem.* In Epist. canon. Judae: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore .... dixit: imperet tibi Dominus.* Et Apost. 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar et Angelorum.* Constat etiam ratione: quia Angeli componunt societatem seu rempublicam, quae intellectualiter gubernatur; sine autem locutione nec societas, nec gubernatio subsistere potest. Et haec ratio militat etiam pro animabus separatis.

Petes 2. Quomodo loquantur Angeli? R. Unum Angelum alteri loqui per ordinationem, seu directionem suorum conceptuum ad alterum. Prob. 1. Loqui alteri nihil est aliud quam conceptum mentis alteri manifestare: atqui unus Angelus manifestat alteri mentis suae conceptum, per hoc quod illum ut manifestandum ordinet, et dirigat ad alterum. Ergo. Minor, in quo est difficultas, prob. dupliciter: 1. Per id manifestatur conceptus angelicus, per quod removetur obstaculum, quo occultabatur, et impediebatur ejus manifestatio: atqui posita dicta ordinatione et directione, amovetur hujusmodi obstaculum: ergo. Prob. min. In

nobis interior mentis conceptus quasi duplici obstaculo clauditur: 1. quidem ipsa voluntate, quae conceptum mentis potest retinere interius, vel ad extra ordinare. 2. Per grossitiem corporis, unde fit, quod, cum voluntas ordinat conceptum alteri manifestandum, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet signum sensibile adhibere: atqui hoc secundum obstaculum non currit in Angelo, et primum cessat per voluntariam directionem conceptus manifestandi alteri: ergo.

Prob. 2. prima Minor. Per hoc quod Angelus ordinat conceptum suum ad alterum voleus illi manifestare, et communicare, facit, quod iste conceptus sit de pertinentibus ad illum alterum, et consequenter quod sit intra sphoeram cognoscibilitatis ejus naturalis. Ergo: Quamvis vero actus voluntatis praesupponatur ad locutionem non tamen fit formaliter per illum, sed per actum intellectus, quia locutio est volitio ad alterum non simpliciter, sed ut illi manifestetur occultum, et ad ipsum ordinetur non ut volitum, sed ut manifestum, unde non tollitur impedimentum, nec ad alterum pertinet ut cognoscat, nisi de facto manifestetur, et ordinetur; manifestare autem, et ordinare unum alteri fit per actum intellectus; qui est vel imperium, vel oratio, vel narratio.

Ad clariorem tamen explicationem advertendum est, ad locutionem quatuor requiri. 1. Quod sit manifestativa conceptus interioris. 2. Quod excitetur audiens ut loquenti attendat, et ipsum percipiat. 3. Quod possit servari secretum, et non manifestetur omnibus, quod vult loquens uni tantum, vel paucis communicare. 4. Quod possit in locutione esse mendacium, quia saepe Daemones mentiuntur. In locutione a nobis post Auctorem explicata per directionem conceptus manifestandi ad audientem, salvatur prima conditio, cum per eam tollatur impedimentum, et conceptus fiat de pertinentibus ad audientem. Rite salvatur etiam tertia conditio quia cum ille, ad quem fit locutio, non intelligat conceptum loquentis, nisi quia per directionem incipit ad illum pertinere, et ad illum solum fiat directio, et non ad alios, plane sequitur quod ille solus, et non alii intelligant, et servetur secretum. Et ita bene salvatur quartum, et datur locus mendacio, potest enim Angelus dirigere conceptum exprimentem se velle quod non vult, se cogitare quod non cogitat, se nescire de spiritualibus quae scit. Praecipua itaque difficultas est quoad secundam conditionem, quomodo scilicet excitetur audiens ad attendendum ad locutionem sibi de novo factam. Fit autem eo modo, quo diximus supra Angelum excitari ad intelligenda futura, quando fiunt praesentia. Angelus enim est semper in actuali consideratione sui ipsius, et eorum, quae sunt in ipso. Sicut autem sunt in ipso species repraesentativae in actu primo futurorum, ita sunt species actu repraesentantes alterius Angeli naturam, potentias, species, et actus quoad specificam eorum rationem, et repraesentativae in actu primo quoad eorum exercitium. Sicut ergo quando quaedam de novo fiunt in Mundo, excitatur mens angelica, ut illa actu cognoscat tamquam ad ordinem Mundi pertinentia; ita dum exurgit conceptus alterius, non de novo absolute, sed de novo erga ipsum: quia quod prius ad ipsum non pertinebat, jam per directionem pertinet, excitatur, et determinatur ad intelligendum illud, ut sibi proportionatum, et intra sphoeram suae cognoscibilitatis.

Si quaeras casu quo Angelus alio distractus non attendat ad aliquam locutionem, quod non esse absolute inconveniens reputat Joannes a S. Thoma, et urgeat necessitas, ut loquens audiatur, quomodo excitabit alterum ut audiat? Laudatus Theologus plura remedia suggerit 1. Poterit procurare excitationem per alios Angelos, quibus cognoscit, illum, cui loquitur familiarius uti. 2. Potest orare Deum, ut excitet alterum Angelum. 3. Si ista non prosint, parumper expectet, brevissime, et facillime revertetur Angelus ad attendendum ad ea, quae ipsum spectant. Respondent alii, quod dato Angelum non attendere semper ad omnia praesentia quae spectant ordinem Universi (quod tamen non

absolute concedunt, sed in incertum dicunt) attendat tamen semper, quando ad ipsum singulariter diriguntur, et pertinent, quia id exigit naturalis Angelorum perfectio, ita ut ad illam attentionem divina providentia concurrat, et quidem naturaliter. In cujus responsionis confirmationem proferunt dictum Cajetani, scilicet omnes sensitivas vires nihil aliud esse, quam diminutas quasdam participationes intellectivae potentiae, quae, cum respiciat totam latitudinem entis, praehabet unitate, et eminenter (praesertim in summo gradu, qui est Angelicus) totam multitudinem virium, quae in sensibus dispersa est, ac proinde acquivalet iis omnibus signis, quibus nos loquimur, et audimus. Ita noster Conteusonius. Haec secunda responsio videtur rem compendiosius conficere, quam tamen voluerit Lector eligat; Utraque est probabilis. Atque ita omnes ferme objectiones praeocupantur, et solvuntur, quare eas omitto.

Petes 3. Utrum Angelus possit alteri loqui in quacumque distantia? R. affirmative. Patet. 1. ex Scriptura. Luc. 16. ubi dives Epulo in inferno positus loquebatur Abrahae in Limbo Patrum existenti. 2. Ratione, quia locutio angelica in intellectuali operatione consistit: atqui intellectualis operatio est omnino independens a loco et tempore; nam etiam nostra intellectualis operatio est per abstractionem ab hic et nunc, nisi per accidens ex parte phantasmatum; ergo.

Petes 4. Utrum Angeli superiores illuminent inferiores? R. affirmative. Prob. Illuminare nihil aliud est, quam manifestare veritatem, non simpliciter, id enim fit per locutionem; sed cum magisterio et doctrina, idest artificioso modo, disponendo et aptando res intelligendas seu veritates, ut vi talis dispositionis alter eas possit percipere: tunc enim est quasi clarificans et illuminans alterius mentem ad percipiendam veritatem: atqui cum Angeli superiores habeant species universaliores, et perfectius, subtilius, atque altius intelligant quam inferiores, possunt hos universaliores et perfectiores conceptus dividere et explicare, sicque intelligentiae inferiorum aptare, atque eis communicare, quod est illuminare; id autem eos praestare patet, quia quanto aliqua agentia magis in participatione divinae bonitatis constituuntur, tanto magis perfectiones suas nituntur in alios transfundere ad instar bonitatis divinae, quae sese omnibus communicat: ergo Angeli, qui sunt in plenissima participatione divinae bonitatis, quidquid a Deo participant, subjectis impertiuntur.

Illuminatio autem Angelorum non fit per infusionem novi luminis, aut speciei, sed per solam objecti prius incogniti propositionem explicatam, et artificiose dispositam ad captum Angeli inferioris. Haec enim prout est similitudo rei intellectae manifestat veritatem prius ignotam, ut patet, et quatenus in ea relucet lumen participatum ab illuminante confortat potentiam illuminati, qui sunt duo effectus, quos illuminatio debet producere. Artificiosa vero propositio objecti, proportionata ad captum potentiae illuminatae consistit in hoc, quod superior Angelus, qui species simpliciores, et universaliores intelligit, veritatem, quam proponit, distinguat, dividat, aptet intellectui inferioris Angeli, qui per species minus universales, et magis multiplicatas intelligit; ita ut Angelus superior objectum sit proponendo, illud ipsum illuminet, suumque lumen superius in eo objecto sic proposito respondeat. *Cognitum inquantum hujusmodi*, inquit Auctor, *includit in se intellectuale lumen ut participatum*, consequenter potentiam intellectivam inferioris confortat, quia proprium est luminis ubicumque sit confortare potentiam, et cum sit lumen superioris, et perfectioris intelligentis, elevat inferioris potentiam intellectivam ad perfectiorem modum intelligendi. S. Thomas hic qu. 117. a. 1. affert exemplum magistri confortantis intellectum addiscentis in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, ubi, confortatio fit sola veritatis propositione, non virtute aliqua Magistri, producente

aliquid in intellectu discipuli. Ponit tamen differentiam, quod quamvis utraque corroboratio facta ab Angelo, et ab Homine fiat virtute activa illuminantis, illa fiat virtute activa superioris naturae, non humana, *quia* inquit *omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturae.* Ex quo sequitur quod Angelus illuminatus elevetur quodammodo ad modum intelligendi naturae superioris, non sic discipulus illuminatus a Magistro; et quod Angelus superior possit manifestare inferiori aliquid, quod sit per se isti ignotum, et ejus lumini secundum se sumpto improportionatum, Magister autem Discipulo, quod est tantum per accidens ignotum.

Non tamen bonum communicatum a Superioribus recipitur ab inferioribus ita excellenter, sicut est in Superioribus, qui semper remanent in altiori gradu, et perfectiorem scientiam habent, sicut eamdem rem plus intelligit Magister quam Discipulus.

Ex his sequitur 1. Angelum inferiorem posse loqui Superiori, non eum illuminare confortando ejus intellectum, cum sit luminis inferioris, et imperfectioris.

2. Angelum Superiorem posse illuminare inferiorem de omnibus sibi notis, quae pertinent ad statum naturae, gratiae, et gloriae. Dixi ad statum gloriae, quia circa ipsam gloriam *Non docebit vir proximum suum* Jer. 13. Et omnes Angeli tam superiores, quam inferiores vident Dei essentiam

3. Illuminationem differre a locutione 1. quia illa fit per modum magisterii, haec per simplicem manifestationem conceptus, 2. ad illam requiritur manifestatio veritatis prius ignotae, ad locutionem sufficit conceptus de re sive ignota, sive nota. 3. Illa est manifestatio veritatis ut est a Deo, et ad Deum ordinatur, et prout pendet a divina veritate, quae sola est lux, et regula veritatis unde Daemones, nec illuminant, nec proprie illuminantur; locutio est aperire suum conceptum, sive veritas illius pendeat a Deo, sive a libertate Creaturae, et potest esse falsi. 4. Illuminationem non differre nisi ratione a purgatione, et perfectione, quia eadem actio, quatenus est manifestativa veritatis dicitur illuminatio, quatenus removet nescientiam dicitur purgatio; quatenus tribuendo cognitionem prius non habitam, affert quandam perfectionem, dicitur perfectio.

Articulus VIII.

De Hierarchiis, Ordinibus, Missione, et Custodia Angelorum

Hierarchia est sacer Principatus, et quia unus est Deus Princeps non solum Angelorum, sed etiam totius rationalis creaturae, quae sacrorum particeps esse potest, una est Hierarchia ex parte Principis, plures sunt hierarchiae ex parte multitudinis ordinatae sub Principe

Petes 1. quot sint Hierarchiae Angelorum? R. Tres sunt Hierarchiae Angelorum. Triplex enim est modus, seu gradus cognitionis, et illuminationis in Angelis; Unde, triplici modo etiam gubernantur; Angeli enim, cum sint puri Spiritus, non possunt aliis proprie subjici, et ab aliis gubernari, nisi ex parte cognitionis, qua unus ab alio illuminatur. Itaque quidam Angeli lumen hauriunt immediate in primo principio, quod est Deus, et pertinent ad primam Hierarchiam; Quidam hauriunt illud in universalioribus principiis, et causis creatis, quae jam aliquo modo multiplicantur, et pertinent ad secundam Hierarchiam; Quidam in propriis et particularibus causis, et pertinent ad tertiam Hierarchiam. In qualibet Hierarchia sunt tres ordines, ita ut sint novem ordines, seu chori angelici; Si enim diversi ordines non essent, sub Principis gubernatione non esset multitudo ordinata, sed confusa. In qualibet Hierar-

chia angelica ordines distinguuntur secundum diversos actus, et officia, et omnis diversitas ad tria reducitur, scilicet ad summum, medium, et infimum.

In prima Hierarchia sunt 1. *Seraphim* dicti ab ardentissimo charitatis igne, quo incenduntur, et alios incendunt. 2. *Cherubim* dicti a plenitudine, et excessu quodam scientiae, quam in aliis diffundunt. 3. *Throni* dicti ex eo, quod Deum familiariter in seipsis quasi in Trono recipiunt, rationes rerum immediate in ipso cognoscendo. Et quamvis id sit commune primae Hierarchiae, quia tamen Throni non habent in ea praeeminentiam sicut Cherubim, et Seraphim, denominantur ab eo, quod est commune toti Hierarchiae.

In secunda Hierarchia sunt 1. *Dominationes*, qui alios inferiores sibi subjectos habent, et ad quos omne aliorum officium circa agenda refertur 2. *Virtutes* qui fortitudine praecellunt, eamque aliis ad executionem communicant 3. *Potestates*, qui agenda ab inferioribus ordinant, et Daemones coercent.

In tertia Hierarchia sunt *Principatus* qui sunt veluti Principes, et Duces in executione. 2. *Archangeli* sic dicti, quasi Principes Angeli, et circa nobiliora, et summa versantur 3. *Angeli*, qui cum non habeant ullam excellentiam in manifestatione divinorum secretorum, nomen commune retinent, et minima nuntiant. Haec quoad Angelos bonos

Quantum vero ad Daemones non est Hierarchia quantum ad gratiam, et gloriam, a qua exciderunt, est tamen subordinatio quantum ad naturam, et naturae gradum, quia eam retinent. Haec autem concordia, seu subordinatio non est ex amicitia, quam inter se habeant, sed ex communi nequitia, qua Homines odio habent et justitiae Dei repugnant. Hinc nihil boni, dignitatis, aut gloriae accrescit Daemonibus, qui aliis praesunt, sed potius augmentum miseriae quia cum mala facere maxime ad miseriam pertineat, praesse in malis est esse magis miserum.

Petes 2. Utrum Angeli mittantur in Ministerium? Suppono ex qu. 110 a. 1. o. Creaturam corporalem administrari per Angelos, sive Deum in gubernatione creaturae corporalis uti quoad executionem ministerio Angelorum. Hinc resp. Affirmative. Est de Fide. Exod. 33 dicitur *Mittam Praecursorem tui Angelum*: Tob. 12. *Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit.* Matt. 13. *Mittet filius hominis Angelos suos* Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*: Genes 19. Duo Angeli dicunt se a Deo missos, ut evertant Sodomam.

Neque tamen inde inferas Angelos, dum in his inferioribus actus exteriores exercent, aliquid dignitatis perdere, aut eorum beatam contemplationem impediri, sive enim sint in Coelo, sive in terra, sive aliquid exterius agant, sive non; aeque semper vident Deum, et aeque semper sunt beati.

Petes 3. Utrum omnes Angeli mittantur? Angeli distinguuntur in Assistentes, et Ministrantes. Dan 7. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*, et Assistentes dicuntur qui immediate illuminantur a Deo, quales sunt tres ordines primae Hierarchiae. Item duplex est Missio Angelorum una invisibilis, quae consistit in hoc quod Superiores illuminant inferiores. Altera visibilis, qua Angelus mittitur ad aliquod exterius Ministerium. Quaeritur de missione visibili, et immediata an ea omnes Angeli mittuntur?

R. Angeli quatuor priorum ordinum non mittuntur sed tantum Angeli quinque inferiorum ordinum. Ita S. Thom hic. q. 112. a 3., S. Dionys. c. 7. et 13 de coelest. Hier., S. Gregor. hom. 8. in Ezech., et hom. 34. in Evang. Officia enim Angelorum ex eorum nominibus manifestantur. Ex nominibus autem quatuor superiorum ordinum non datur intelligi aliqua executio exterior, bene vero ex nominibus quinque inferiorum ordinum.

Petes 4. Utrum homines ab Angelis custodiantur? R. affirmative: est de fide in multis Scripturae locis expressa. Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut*

custodiant te in omnibus viis tuis. Genes. 32., et 48., Matth. 18., Luc. 2., Act. 12. et alibi.

Ratione suadetur. Homo in statu hujus vitae constitutus, est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam; in qua via multa pericula homini imminent tum ab interiori, tum ab exteriori: ergo sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes, ita et cuilibet homini, quamdiu viator est, custos Angelus deputatur. Quando autem jam ad terminum viae pervenerit, tunc non habebit Angelum custodem, sed habebit in regno Angelum conregnantem, in inferno Daemonem punientem.

Petes 5. Utrum plures homines ab uno Angelo, an singuli homines a singulis Angelis custodiantur? R. Singulos homines a singulis Angelis custodiri a nativitate. 1. pars colligitur ex Act. 12. cum puella nuntiabat Petrum ad ostium stare, fideles non credentes esse Petrum, dixerunt: *Angelus ejus est.* Unde Hieron. in cap. 18. Matth. ait: *Magna est dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis, in custodiam sui, Angelum delegatum.*

Ratione suadetur. Divina providentia, cujus custodia Angelorum est quaedam executio circa homines, principaliter versatur circa illa, quae perpetuo manent; circa vero ea, quae transeunt, versatur in quantum ipsa ordinat ad res perpetuas: atqui homines non sunt solum incorruptibiles quantum ad communem speciem ut aliae creaturae, sed etiam quantum ad proprias formas singulorum, quae sunt animae rationales: ergo providentia Dei comparatur ad singulos homines, sicut comparatur ad singula genera, vel species corruptibilium. Subsumo; atqui probabile est, quod diversis speciebus rerum diversi Angeli praeficiantur: ergo etiam rationabile est, ut diversis hominibus diversi Angeli ad custodiam deputentur.

Secunda pars est contra quosdam antiquos, qui dicebant tantum dari Angelum custodem post Baptismum. Et 1. eam diserte asserit Hieron cit. 2. Prob. ratione: beneficia, quae a Deo providentur homini, in quantum habet naturam rationalem, ex tunc ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; atqui tale beneficium est custodia Angelorum. Ergo.

Praeter Angelos Custodes singulis hominibus privatis a nativitate deputatos, Patres et Theologi communiter agnoscunt insuper speciales Pontificibus, Regibus, et aliis personis publicis et superioribus deputari, qui eos dirigant in iis, quae spectant regimen multitudinis sibi commissae. Item et specialem deputari cuilibet Nationi, Regno, Provinciae, Civitati, Dioecesi, Ordini religioso, Communitati, Collegio, Sodalitio, etc. Valde etiam probabile est cuilibet Sacerdoti celebranti adesse Angelum specialiter deputatum, qui ipsum in tanti Mysterii celebratione juvet, ejusque preces et hostias Deo offerat: colligitur ex verbis illis Canonis Missae: *Jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*, etc.

Petes 6. Quae sint officia Angelorum Custodum erga nos? R. 1. Illuminare intellectum, non infundendo species, sed aptando veritates ad captum nostrum, vel sub sensibilium similitudinibus repraesentando, sicque instruunt, et docent, atque bonas cogitationes suggerunt, voluntatem etiam excitant ad bonum suadendo, hortando, etc. Boni occasiones subministrant, mali occasiones amovent. Ita habetur Genes. 16. et 18. Exod. 23. Judith. 13. Tob. 6. 11. 12. Act. 5. et alibi.

2. Preces nostras et vota Deo offerunt. Tob. 3. et 12. Apoc. 8. Non ut Deus ea cognoscat, sed ut ipsi suas preces nostris precibus jungant.

3. Damna externa avertunt, juvant in periculis, in bello, praesertim in morte, fugant morbos, pestilentias etc. Genes. 48. 4. Reg. 6. 19. Tob. 6. et alibi.

4. Arcent, et coercent Daemones, ne noceant, vel ne tantum noceant,

quantum vellent, sive in temporalibus, sive in spiritualibus. Tob. 6. et 8. Et cum tot ac tanta beneficia ab Angelis Custodibus continuo recipiamus, eo usque ingrati sumus, ut tam insignium benefactorum, quos speciali cultu et honore prosequi deceret, vix memoriam recolamus.

Petes 7. Utrum Angeli Custodes quandoque suos clientes deserant? R. Quod nunquam totaliter eos deserant, sed aliquando ex parte, et secundum quid. Ratio est, quia custodia Angeli, ut diximus, est quaedam executio divinae providentiae circa homines generaliter facta: Atqui nec homo, nec res aliqua totaliter divinae providentiae subtrahitur: ergo. Aliquando tamen Angelus dimittit suum clientem secundum quid, prout scilicet non impedit, quin vel subdatur alicui tribulationi; vel cadat in peccatum secundum ordinem divinorum judiciorum. Et secundum hoc Babylon et domus Israel dicuntur in Scripturis derelictae ab Angelis.

Petes 8. Utrum Angeli doleant de malis nostris? R. negative, quia dolor est de his, quae sunt contra voluntatem; cum autem Angeli habeant suam voluntatem in omnibus divinae voluntati conformem, nihil accidere potest contra eorum voluntatem. Equidem non volunt peccata, et mala hominum secundum se, approbant tamen voluntatem Dei ea permittentis, et vindicantis.

Petes 9. Utrum Daemones impugnent, et tentent homines? R. affirmative; tum propter invidiam, per quam impedire nituntur profectum hominum, tum propter superbiam, per quam divinae potestatis similitudinem usurpant, deputando sibi ministros determinatos ad hominum impugnationem, et excidium, sicut Deus deputat Angelos determinatos ad hominum salutem. Idque patet ex Genes 3. ad Ephes 6. 1. ad Timot. 2. 1. Petri 5. et quotidiana, atque infelici experientia.

Petes 10. Utrum sit cuique suus malus Angelus ad exercitium, sicut cuique est bonus ad custodiam? R. plures ita sentire post Origenem hom. 12. in Luc. Greg. Nyss. tract. de vita Moysis, Cassianum collat. 8. cap. 17., et S. Th. in 2. d. 11. a. 5. o. Alii negant 1. quia haec opinio nullum habet fundamentum, neque in Scriptura, neque in traditione, sed potius videtur ortum habere ex superstitione Gentilium, qui duos genios cuilibet homini affingebant. 2. Quia sunt plures homines incapaces exercitii ad virtutem, ut sunt pueri, et amentes. 3. Quia non est verisimile Deum permittere, quod Daemones continuo insidientur hominibus, qui jam aliunde sunt admodum infirmi.

Ad eos qui referuntur contrarium tenuisse, respondent Origenem multis aliis erroribus scatere. Gregorio Nysseno alios Patres non assentiri, opera Cassiani declarata esse apocrypha a Gelasio Papa; S. Th. vero hanc quidem opinionem referre, sed non eam approbare.

TRACTATUS

DE OPERE SEX DIERUM

D. Thom. 1. p. a. q. 44. ad 48; et a. q. 67. ad 103.

DISSERTATIO I.

DE PROCESSIONE CREATURARUM A DEO

ARTICULUS I.

Utrum omne ens sit a Deo.

D. Th. 1. p. q. 44. 45. 46.

Contra Gnosticos, qui negarunt mundum esse a Deo conditum: contra Manichaeos, qui duos adstruebant Deos, a se invicem independentes, unum bonum, qui esset Auctor novi Testamenti, lucis, rerum spiritualium, et incorruptibilium; alterum malum, qui esset Auctor veteris Testamenti, tenebrarum, et rerum visibilium corruptibilium: contra Platonem, et Hermogenem secundum Tertull. 1. de praescrip. c. 33., Seleucianos, et Hermianos, qui dixerunt, materiam non fuisse a Deo productam sed ipsi coaeternam, ex qua Mundum visibilem produxit.

Dico 1. Omne ens aliud a Deo, quod est quomodocumque, est effective causatum a Deo. Est de fide, secundum quam in Symbolis Nicaeno, et Constantinopolitano credimus *in Deum factorem Coeli, et Terrae, visibilium omnium, et invisibilium* etc. Firmiter de Summa Trinitate in Conc. Lateran. 1. Ecclesia confitetur *Deum Patrem, et Filium, et Spiritum S., esse unicum universorum principium, Creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium et corporalium*, unde Concil. Braccarens. 1. Can. 13. sic definit: *Siquis dixerit creationem universae carnis non opificium esse Dei, sed malorum Angelorum, sicut Manichaeus, et Priscillianus dixerunt, anathema sit*: Atque id aperte exprimit Scriptura. Gen. 1. *In principio creavit Deus Coelum, et terram*: ubi sub coelo omnia coelestia, et sub terra omnia inferiora continentur. Unde *Exod.* 20. *Sex diebus fecit Dominus Coelum, et Terram, et omnia, quae in eis sunt*: *Isaj.* 44. *Ps.* 145. *Jo:* 1. *Roman.* 11. Act. 17.

Suadetur ratione; omne, quod, quomodocumque est, continetur virtualiter, et eminenter in Deo. Ergo est a Deo causatum. Patet consequ. Quia si esset aliquod ens, quod non esset creatum a Deo, illud non contineretur virtualiter, et eminenter in Deo. Pr. Ant. Deus sic est Ens per essentiam, ut complectatur omnem rationem entis secundum totam ejus latitudinem, et extensionem, id enim important rationes actus puri, entis infiniti, et infinite perfecti, quae competunt Deo. Ergo omne, quod est continetur virtualiter in Deo, alias Deus non contineret omnem plenitudinem Entis.

Hinc Inferes materiam circa quam maxime erraverunt antiqui Philosophi,

ut exponit Auctor hic *q.* 43. *a.* 2. *o.* esse etiam a Deo productam. Quia cum Deus sit causa entis inquantum ens, est causa omnium, quae pertinent ad rationem entis; materia autem prima pertinet ad rationem entis corporei, quamvis enim secundum se non sit ens actu, sed tantum per formam, sine qua non producitur, ex ea tamen, et forma fit ens actu, et ideo proprie loquendo materia non creatur, sed concreatur.

Inferes 2°. Systema Cartesii, quo supponit quidem materiam esse a Deo creatam, sed duplici motu a Deo materiae impresso contendit, mundum hunc structura, dispositione, varietate, atque ornamentis adeo mirabilem, nihil Deo ulterius agente, facillime potuisse construi, esse contra Scripturam, et rationem. Contra Scripturam. Gen. 1. dicitur: *In principio Deus creavit* non materiam rudem, sed *Coelum, et Terram.* Item *dixitque Deus fiat lux, et facta est lux. Dixit quoque Deus, fiat firmamentum ... Dixit autem Deus fiant luminaria magna in firmamento Coeli ... fecitque Deus duo luminaria magna ... creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem.* Et sic de caeteris. Non ergo solam materiam informem, cui motum impressit, sed distinctas omnium rerum species, et individua produxit. Pugnat insuper hoc systema cum aliis textibus Scripturae superius citatis, et cum professione Fidei, et Ecclesiae decretis, de quibus supra. Sed est etiam contra rationem. Praeter materiam enim, et motum sunt innumera alia entia in mundo. Atqui omne, quod est, quomodocumque ens, est effectum a Deo. Ergo. Hoc systema, quod Cartesius proposuit ut hypothesim dumtaxat possibilem, quod tamen hodie quidam ejus Discipuli propugnant ut Thesim de facto veram, cum omnibus absurdis, quae illud comitantur, diligenter expositum, et plene rejectum invenies in opere majori Tom. 3. Suppl. tract. de opere sex dier. diss. 1. a. 1.

Dico 2. Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Quia Deus habet rationes, seu Ideas, et exemplaria omnium rerum, quas producit secundum determinatas species. Non enim Deus, cum sit agens intelligens, agit coeco modo, aut fortuito. Hae autem Ideae, seu exemplaria nihil aliud sunt realiter, quam divina Essentia, prout est diversimode participabilis a Creaturis.

Dico 3. Deus est causa finalis omnium rerum juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum fecit Dominus.* Ratio est: Illud est causa finalis rerum omnium, quod primum, et universale agens intendit omnibus communicare, et quod omnia intendunt, prout possunt, consequi. Atqui divina bonitas est id, quod Deus intendit omnibus communicare, et quod omnia consequi intendunt, sive appetitu rationali, sive sensibili, sive naturali. Ergo. Pr. min. Deus ut primum, et universale agens, atque infinite perfectum non agit propter finem acquirendum, bonorum enim nostrorum non indiget, sed agit propter perfectionem suam, quae est ejus bonitas, communicandam, et quaelibet res creata intendit suum bonum, et suam perfectionem, quae est similitudo et participatio divinae bonitatis. Ergo.

Sed difficultas est utrum divina bonitas sit etiam causa finalis divinae operationis immanentis. Dixi *immanentis* quia certum est, quod operatio Dei, quae dicitur *transiens*, et recipitur in Creaturis, cum sit aliquid creatum, habeat sicut caetera creata pro fine ultimo Deum, sive divinam bonitatem.

Dico 4. Divina bonitas non est proprie, et stricte causa finalis divinae operationis immanentis, quia inter causam proprie dictam, et effectum necessario debet esse distinctio realis, et realis dependentia effectus a causa. Atqui tam Deus, quam divina bonitas, et divina operatio immanens sunt una, et eadem res simplicissima, absque ulla distinctione reali, et dependentia, nimirum una, et eadem essentia divina. Ergo.

Recte tamen dicitur, quod divina bonitas sit ratio divinae operationis, seu

sit Deo ratio volendi, et agendi, quia ut inquit Auctor q. 19. a. 2. ad 2. cum Deus non velit alia a se nisi propter finem, qui est sua bonitas, nihil aliud movere potest suam voluntatem, nisi sua bonitas. Neque ad hoc ut aliquid sit ratio alterius absque causalitate requiritur inter utrumque realis distinctio, sed sufficit distinctio rationis; nec etiam requiritur dependentia realis unius ab alio; Sic v. g. juxta Auctorem q. 10. a. 1; et ejus interpretes immaterialitas est in Deo ratio aeternitatis, non tamen causa proprie dicta, quia non distinguitur realiter ab aeternitate, neque aeternitas realiter ab illa dependet.

Itaque Deus vult, et agit propter bonitatem suam, non quia illam desiderat, quod enim desideratur nondum habetur, sed quia illam perfecte amat; ex hoc autem quod perfecte amet suam bonitatem, vult illam aliis communicare.

Articulus II.

De modo emanationis rerum a Deo, qui dicitur Creatio.

Creatio tripliciter sumitur 1. *Late* pro qualibet cujusque rei productione, quo sensu Eccli. 2. dicitur de sapientia, quod sit ab initio creata: 2. Aequivoce pro elevatione ad gradum superiorem, et cum quis dicitur creari Episcopus 3. *Stricte* pro productione totius entis ex nihilo.

Pro quo observandum est, propositionem *Ex* non importare habitudinem causalitatis affirmativae, quasi nihilum sit materia ejus rei, quae producitur, sed habitudinem causae, quae negatur, ita ut ex nihilo idem sit, ac non ex aliquo. Itaque creatio est emanatio totius entis a causa universali. Sicut enim emanatio particularis est ex non ente particulari, ut productio ignis ex non igne, ita emanatio universalis est omnino ex non ente, ac per consequens ex nihilo.

Dico 1. Deus res produxit ex nihilo, hoc est creavit. Pr. 1. ex Script. Genes. 1. dicitur. *In principio creavit Deus coelum et terram* 2. Mach. 7. *Peto nate ut aspicias ad Coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, ut intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et Hominum genus.*

2. Conc. Lateran. sub Innoc. III. definivit quod *Deus utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet, et humanam.* Item in symbolo Apostolorum *Credimus in unum Deum .... Creatorem Coeli, et Terrae.*

3. Ratione. Vel rebus, quas Deus produxit, aliquid praeexistit, vel non. Si hoc secundum, habemus intentum. Si primum, cum non sit procedere in infinitum, necesse est devenire ad aliquod primum, cui non praeexistat aliud, et tamen sit factum a Deo, consequenter factum ex nihilo.

Si dicas inter ens, et nihil esse distantiam infinitam, unde impertransibilem; Resp. quod inter ens et nihil non est distantia sic *positive* infinita, quod sit aliquod infinitum medium, quod debeat pertransiri, sed *negative* tantum, sic, quod non esse simpliciter tendat ad esse simpliciter. Si fieri potest virtute finita, ut a non esse secundum quid fiat transitus ad esse secundum quid, sic fieri potest virtute infinita ut a non esse simpliciter fiat transitus ad esse simpliciter.

Dices Sapient. 11. dicitur Deus *creasse orbem terrarum ex materia invisa.* Ergo non ex nihilo. R. N. Cons. Per materiam invisam grece *informem* non intelligitur materia nudata omni forma, et Genes. 1. dicitur: *In principio creavit Deus Coelum, et terram*; sed intelligitur corpus pro tunc invisibile, et informe, quia prima die antequam lux fieret, non erat aspectabile, neque plantis, animalibus, hominibus erat ornatum. Sensus ergo Scripturae est, quod ex hoc corpore, seu materia informi Deus produxerit entia distincta, plantas, animalia etc. Verum hanc materiam ex alia materia non produxit, sed ex nihilo. Unde col-

liges Deum non omnia *stricte* loquendo produxisse ex nihilo, siquidem constet ex priori materia plantas, animalia etc. produxisse, atque hominem ex limo terrae formasse, et quotidie multa producere ex praesupposito subjecto; aliqua tamen proprie creasse, et creare, ut Coelum, et terram, Angelos, et animas rationales. Licet aliquo sensu non omnino improprio posset dici creasse omnia ex nihilo, quatenus ea, vel secundum se tota, vel secundum eorum partem intrinsecam, et essentialem, nempe materiam, facit ex nihilo.

Ex textibus allatis inferes, esse Dogma Fidei solum Deum de facto creasse universum. Constat praeterea ex aliis Scripturae locis. Eccli: *Unus est Altissimus Creator omnipotens* Isaj. 44. *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* Hebr. 3. *Qui omnia creavit Deus.*

Inferes 2°. ex dictis sic solius Dei esse creare, ut nulla Creatura possit esse causa principalis creandi; tum quia effectus universaliores debent reduci in causas universaliores; tum quia ad creandum requiritur virtus infinita, quanto enim magis est remota potentia, et minores sunt dispositiones ad formam, tanto major requiritur virtus in agente ad eam producendam; in creatione autem nulla est potentia, et nullae dispositiones, unde requiritur virtus infinita. An vero Creatura possit assumi saltem ut causa instrumentalis physica creationis; respondetur probabilius negative juxta S. Thomam hic q. 45. a 5. De ratione enim causae instrumentalis est, quod per actionem sibi propriam (nisi sit ipsamet actio) operetur dispositive ad effectum causae principalis, non quidem semper, et necessario ex parte rei operatae, quasi debeat producere dispositionem in subjecto, a quo recipitur effectus causae principalis; sed ex parte modi operandi, modificando per actionem propriam actionem causae principalis, ut operetur modo causae inferioris, sicque cum illa, et ex illa elevata attingat ejus effectum; Instrumentum enim otiosum non est in genere causae, nec ideo instrumentum, sed purum medium. Sed nulla actio Creaturae potest concurrere etiam instrumentaliter ad creationem; cum enim sit accidens, dependet a subjecto in esse, et operari. Ergo si Deus agat per modum illius, et per eam attingat suum effectum, operabitur dependenter a praesupposito subjecto, quod repugnat creationi, quae est ex nihilo.

Petes utrum creare sit proprium alicui Personae divinae? R. Non esse proprium alicui Personae, sed toti Trinitati commune juxta axioma theologicum: *Opera divinitatis ad extra sunt indivisa, et tribus Personis communia.* Attamen quia potentia accommode tribuitur Patri, sapientia Filio, amor Spiritui Sancto, ideo in sensu accommodato tres Personae dicuntur diversimode creare. Pater dicitur Creator, Filius per quem creatur, Spiritus S. ex quo creatur.

Articulus III.

De Mundi unitate, perfectione, et origine.

Dico 1. Sunt possibiles plures Mundi, est tamen reipsa unicus. Patet 1. pars, unius enim Mundi creatione non est exhausta infinita Dei potentia.

2. Pars constat ex Scriptura, quae unius dumtaxat Mundi creationem commemorat, et in ea omnia Dei opera contineri docet. Genes. 2. *Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit ab omni opere, quod patrarat.*

Dico 2. Mundus est perfectus. Intellige perfectionem non essentialem, ut est in Homine constante corpore, et anima tamquam partibus essentialibus; sed perfectionem accidentalem, quatenus Mundus, qui est aggregatum per accidens,

est instructus omnibus necessariis, et sibi debitis ad suos fines, qui sunt duo; unus proximus, ut scilicet sit domicilium commodum, et utile Homini; alter ultimus scilicet Gloria Dei. Spectanda est ergo perfectio Mundi secundum partes, illarumque ad invicem proportionem, et dispositionem ad consequendum finem, ob quem conditus est, unde non consistit in indivisibili, sed admittit latitudinem.

Prob. conclusio ex Scriptura Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quae fecerat et erant valde bona.* Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera*: Et intuenti patet Mundum esse instructum omnibus sibi necessariis, et debitis ad consequendos fines suos, scilicet utilitatem hominis, et gloriam Dei.

Si dicas. Mundus potest perfici. Ergo est imperfectum. Resp. distinguendo Quod potest perfici est imperfectum positive, vel negative, hoc est non habet omnem perfectionem possibilem. C. quod potest perfici est imperfectum semper positive, sic ut careat perfectione sibi debita N.

Si objicias praeterea 1. multa inutilia in Mundo, ut multae species Muscarum, vermium etc. 2. multa incongrua, et indecora, ut monstra, et peccata 3°. multa nociva, ut venena. R. ad 1. Sunt multa inutilia hoc sensu, quod sine illis Mundus adhuc esset perfectus. C. Hoc sensu, quod illis positis Mundus sit imperfectus N. Perfectio enim mundi non consistit in indivisibili, sed admittit latitudinem. Ad 2. Provisoris universalis est permittere, quod natura, tam physice, quam moraliter defectibilis, aliquando deficiat, tum ne multa bona desint, si omnia mala impediantur, tum ut oppositorum pulchritudo, et integritas magis elucescat; tum quia Deus ita potens est, ut ex malo eliciat bonum. V. S. Th. 1. 2. q. 22. a. 2. ad 2. Ad 3. Quae sunt nociva ex parte, ex altera sunt utilia ut venena attemperata serviunt medicinae.

Dico 3°. De fide est Mundum non esse ab aeterno, sed in tempore productum. Est contra antiquos Philosophos, et prob. ex Script. Prov. 8. de Sapientia aeterna dicitur *Deus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio .... Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae.* Ephes. 1. *Elegit nos ante Mundi constitutionem.* Christus Jo. 17. dicit Patri *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam Mundus fieret*: et in fin. Capit *Dilexisti me ante Mundi constitutionem.* Et ita definitum fuit in Conc. Later. cit. C. *firmiter* de summa Trinitate.

Neque obstat quod actio Dei aeterna, utpote identificata cum ejus substantia debuerit producere effectum aeternum. Id enim contingit in agentibus necessariis, non in liberis, in quibus effectus sequitur secundum determinationem intellectus, et voluntatis. Deus autem libere condidit Mundum *Operatur enim omnia secundum consilium voluntatis suae* Ephes. 1. Utrum vero Mundus potuerit esse ab aeterno tam quoad res permanentes, quam successivas, cum sit quaestio majoris speculationis, quam utilitatis hic praetermittimus. Curiosus Lector poterit eam videre in Op. maj. diss. 1. a. 6. hujus tract.

Petes quo anni tempore Mundus fuerit creatus? Contra plures recentiores, qui non improbabiliter censent Mundum incoepisse ab Autumno; R. probabilius esse, Mundum fuisse conditum verno tempore, seu mense Martio. Cum de hoc facto sileat Scriptura, probatur ex communi sententia SS. Patrum. Ita tenent Ambros. l. 1. in Hexamer; Cyrill. Jerosol. cath. 14., Gregor. Nazian. Orat. de Nativ. Domini, Theodoret. qu. 12 in Exod., Leo Mag. serm. de Pass., Damasc. l. 2. c. 7. et alii plures, qui verisimiliter id acceperunt per traditionem.

Suadetur congruentiis. Congruum erat, ut primus, et secundus Adam eodem tempore formarentur, eodemque tempore Mundus repararetur, quo fuit conditus. Christus autem tempore verno conceptus fuit, et Passione sua Mundum redemit. 2. Congruum erat ut Mundus inciperet tempore totius anni amaenissimo,

et plantarum germinationi aptissimo, quod est Ver, et non Autumnus, in quo herbae marcescunt. Cum praesertim in regionibus calidioribus, qualis est Palaestina multi arborum fructus sint maturi tempore verno; Hinc.

Petes 2°. Quare Aegyptii, et Populi orientales initium anni ducerent ab Autumno? R. Quia id tempus erat commodius Agricolis, et pecuariis ad contractus civiles. Collectis enim frugibus, eisque venditis, ex collectis pecuniis commode contractus celebrabant, quam consuetudinem, quam sequuti erant in Aegypto, retinuerunt Hebraei etiam post egressum quoad annos civiles; sed quantum ad res sacras, eos Moyses revocavit ad primaevam computationem. Exod. 12. *Mensis iste* (destinatus ad immolationem Agni, qui erat Martius) *Vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*

DISSERTATIO II.

De sex diebus creationis Mundi, et de rebus in unoquoque die creatis

Articulus I.

Utrum sex dies Creationis sint reales.

S. Augustinus in lib. de Genes. ad Litt. accipit sex dies Creationis *figurate docetque Deum Mundum, uno die, imo uno instanti* creasse, et sex dies intelligendos esse pro diversis cognitionibus Angelorum.

S. Augustini Systema proponit P. Carolus Thil in recenti opere de locis, seu Fontibus Theolog. Christ. t. 1. sect. 1. c. 5. not. 5. Postquam supposuit Angelos prima die creatos fuisse, et a Moyse indicatos sub nomine lucis sic prosequitur [" Notandum est quod Angeli statim ac facti sunt lux procul dubio, „ universam creaturam, in qua ipsi principaliter sunt conditi, in ipso verbo Dei „ prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, „ aeternae rationes; Porro autem ista cognitio, qua angelica natura novit in „ Verbo universam creaturam, considerari debet ex mente ejusdem S. Doctoris „ duplici modo, nimirum primo, quatenus novit seipsam, et caetera creata in „ propria natura, in qua non sunt quod est Deus, et iterum quatenus se, aliaque creata ita cognita refert ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cujus „ contemplatione formatur, unde ait S. Pater in loco modo laudato. Si primo modo consideretur, tunc vocatur cognitio vespertina; quia versatur circa objectum creatum, et mutabile, si autem consideretur secundo modo, et quatenus „ tendit ad laudandum Deum ipsum, tunc dicitur matutina, et ita intelligitur, „ quomodo ex vespere, et mane compositi sunt dies in Genesi memorati, nimirum ut ibidem inquit S. Pater, quia caeterae Creaturae, quae infra ipsam „ (Angelicam scilicet) fiunt, sine cognitione ejus non fiunt; propterea nimirum „ idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarii numeri terminanda, ut „ Vespera primi diei sit etiam sui cognitio, non se esse quod Deus est; mane „ autem post hanc vesperam, quo clauditur dies unus, et inchoatur secundus, „ conversio fit ejus, qua id quod creata est ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem Creaturae, quae post ipsam fit, hoc est Firmamenti, quod in ejus cognitione fit prius, cum dicitur, et sic est factum; „ deinde in natura ipsius Firmamenti, quod conditur, cum additur etiam po‚‘ stea jam dicto, et sic factum est, et fecit Deus firmamentum. Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum non in Verbo Dei sicut ante, sed in

„ ipsa ejus natura cognoscit, quae cognitio, quoniam minor est, recte vespere „ nomine significatur. Post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, et „ incipit tertius, in quo iterum mane conversio est lucis hujus nimirum Ange- „ licae naturae ad laudandum Deum, quod operatus sit firmamentum. His au- „ tem positis universum, ac principii loco statuendum est, quod sex illi dies, „ qui in Genesi numerantur, non sint dies materiales, successivi, et inter se „ diversi, atque distincti per moras temporum, sed dies spirituales, reales ta- „ men, et inter se diversi, atque distincti, non per respectum ad tempus, quod „ physice decurrit, sed per respectum ad cognitionem Angelicam, quatenus „ uno eodemque temporis spatio ferebatur ad diversa opera, et ad distinctas re- „ rum productiones, qui tamen etiam ipsi numerantur tamquam naturales; ut „ sex genera rerum, quae in prima creatione Angelicis mentibus in Verbo Dei „ objiciebantur, ab infirmioribus etiam tamquam distincta cernerentur. „]

Verum quamvis haec sententia videatur esse Augustini non constat tamen illum in ea firmiter stetisse, partim quia l. 2. Retr. c. 14. dicit, quod in libris de Genesi ad litteram *plura quaesita* quam inventa sunt, et eorum quae inventa sunt, pauciora firmata; Partim, et praecipue lib. de catechizandis rudibus c. 17, postquam dixisset Deum sex diebus Coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, creasse addit. *Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere.* Quibus verbis aperte significat Deum quidem potuisse uno instanti omnia facere, voluisse tamen sex diebus realibus facere, et septimo requievisse. Caeteri SS. Patres communiter intelligunt sex dies naturales. Quantum ad S. Thomam neutram sententiam improbat hic a. 2., quem sic concludit; *Ut igitur neutri sententiae praejudicetur, utriusque rationibus respondendum est.* Et q. 4. de Poten. a. 2. dicit *Sententiam Augustini esse subtiliorem, aliorum vero Sanctorum esse planiorem, et verbis litterae, saltem quantum ad superficiem, magis conformem, neutram tamen a Verbis Fidei discordare.* His notatis.

Dico: Sex dies creationis Mundi sunt reales viginti quatuor horarum. Pr. 1. Ex contextu Scripturae Genes. 1. narrat Moyses Deum sex diebus fecisse coelum, et terram, Solem etc. atqui per Coelum intelligitur id, quod hoc nomen proprie, et communiter significat, nempe verum, et reale Coelum, per terram vera, et realis terra, per Solem verus et realis Sol. Ergo a pari per sex dies diversos, dies veri, et naturales. Secus adferant adversarii rationem disparitatis Conf. Scriptura S. debet intelligi in sensu proprio, et litterali, si inde non sequatur absurdum. Atqui sex dies diversos expresse numerat Scriptura, et si intelligantur sex dies naturales, nullum sequitur absurdum. Ergo. Qui plura hac de re desiderat, adeat Auctorem in hoc tractatu diss. 2. a. 1.

Articulus II.

De singulorum dierum operibus.

§. I. *De Opere primae Diei.*

Constat ex Genes c. 1. Coelum, terram, aquas, et lucem prima die esse creata. Hinc quaeritur 1°. Quid nomine Coeli, et Terrae intelligatur? R. Nomine Coeli juxta plures Patres, et Interpretes intelligi solum Coelum supremum, seu Empyreum cum omnibus suis ornamentis, ut esset sedes Angelorum, eodem die creatorum, et caeterorum Beatorum. Juxta alios cum Coelo Empyreo intelliguntur omnes orbes coelestes, informes tamen, et imperfecti, imo et ipse Aer, qui pluries in Scripturis dicitur Coelum. Utraque sententia salvo Scriptu-

rae sensu sustineri potest. Nomine terrae intelligitur ipsa terra informis, et vacua, aquis involuta cum duobus aliis elementis, igne, et aëre, si aer non intelligatur nomine Coeli juxta illud Exod. 20. *Sex diebus fecit Dominus Coelum, et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt*; Nullus autem ex sex diebus praeter primum convenientior est creationi aëris, et ignis, qui sunt rerum primordia, et elementa.

Petes 2°. Quid intelligatur nomine Spiritus, qui ferebatur super aquas? R. Secundum quosdam erat ventum validum, aquas commoventem. Secundum alios erat vis quaedam vitalis, qua omnia sensibilia producerentur. Secundum alios, et communius erat Spiritus S., qui ferebatur super aquas non loco, aut motu, sed praecellente potentia, qua aquis et terrae incubabat, ejusque vim prolificam conferebat, ut animalia, et gramina producerent.

Petes 3°. Quid intelligatur nomine Lucis? R. intelligi omnia creata lucida, Solem scilicet, Planetas, et Stellas, informia, et imperfecta, quae Deus quarta die distinxit, et perfecit.

Petes 4°. Quid intelligatur per hanc Dei vocem *Fiat lux*? R. Non intelligi sonum articolatum, sed verbum mentis non notionale, sed essentiale, et commune tribus Personis, quo Deus imperando reipsa lucem produxit.

§. II. *De opere secundae diei.*

Difficultas est quid intelligatur nomine Firmamenti in medio aquarum, et dividentis aquas, quae erant sub firmamento ab his, quae erant super firmamentum. R. 1. Secundum probabilem plurium sententiam firmamentum esse Coelum sydereum, seu in quo sunt stellae fixae. Juxta quam sententiam aquae, quae dicuntur supra firmamentum, sunt supra Coelum sydereum, nec videntur ejusdem specici cum aquis elementaribus, inquit S. Thomas hic qu. 68. a. 3. Ad quem autem usum vix dici potest nisi forte ad ornatum Mundi, vel ad temperandum ardorem syderum, et solis, ne Coelis superioribus, et inferioribus, et terrae nimio suo calore noceant.

R. 2. Secundum communiorem sententiam firmamentum est totum illud spatium, quod a terra extenditur usquequo acies oculorum pertingere potest, comprehendens consequenter aërem, et omnes orbes coelestes cum Coelo sydereo. Hanc interpretationem laude dignissimam judicat Augustinus l. 2. de Genes. ad litt. c. 4., nec eam S. Thomas rejicit, quin imo hic q. 70. a. 1. ad 3. dicit. *Firmamentum factum est secunda die, quantum ad inferiorem partem. In firmamento autem posita sunt sydera quarta die quantum ad superiorem partem, ut totum pro uno accipiatur secundum quod sensui apparet.* Favet 1°. textus Hebraicus, qui vocat רקיע *Expansionem*, quod vulgata dicit *Firmamentum* 2°. Quia Deus hoc firmamentum vocavit Coelum, cujus nomine juxta usum frequentem Scripturae intelliguntur orbes coelestes, et ipse aer. Hinc Ps. 8. *Volucres Coeli.* Jerem. 8. *Milvus in Coelo*, et alibi similiter. Juxta hanc sententiam aquae sunt in media regione aëris, ejusdem speciei cum elementaribus, scilicet vapores, qui in nubes concrescunt, et in pluviam resolvuntur.

Obj. contra secundam responsionem Vox *fiat* non significat deputationem rei antea factae, scilicet mediae regionis aëris ad dividendum aquas ab aquis, sed realem rei productionem, ut cum dicitur *fiat lux*. Ergo. R. Dist. Ant. Vox *fiat* simpliciter posita non significat etc. transeat Ant. Vox *fiat* cum addito modificante N. Ant. Hic dicitur *fiat firmamentum* cum addito in medio aquarum, quatenus constitutus est limes firmus inter aquas superiores, et inferiores, ut esset locus naturalis generationis aquarum pluvialium, illasque posset continere usque ad tempus, quo defluunt in terram. Quod si tunc cum aquis inferioribus miscentur,

adhuc in superioribus remanent et ex abundantia, ut inter eas et superiores semper aer maneat medius.

§. III. *De opere tertiae Diei.*

Petes 1. In quem Terrae locum potuerint congregari aquae, cum terra esset undique aquis cooperta? R. id triplici modo fieri potuisse. 1. Quatenus aquae in majorem altitudinem sint elevatae in loco, ubi sunt, nam mare secundum plures est altius terra. 2. Quatenus aqua rarior veluti nebula terras tegebat, quae congregatione densata minorem occupavit locum. 3. Quatenus factae sunt quaedam concavitates in terra, quae aquas receperunt.

Petes 2. Quomodo aquae congregatae, sunt in unum locum, cum constet esse in multis? R. Vel quatenus aquae omnes habent unum terminum, scilicet mare, in quem confluunt manifestis, aut occultis meatibus; vel quatenus unus locus dicitur per comparationem ad locum terrae siccae, ut sit sensus: congregentur aquae in aliquem locum diversum ab eo, quem hactenus cum terra occupant, vel quatenus unus locus non sumitur determinate, sed confuse, ac si diceretur: singulae congregationes aquarum congregentur in aliquem locum a loco terrae diversum, unaquaeque in suum, quasi diceret, quod singulae congregationes habeant unum suum locum.

Petes 3. Utrum herbae, et Arbores fuerint tertia die productae actu, et adultae, an tantum causaliter, et in semine? Hoc ultimum tenet August. l. 1. de Gen. ad litt. c. 4. verum resp. ex communi aliorum Patrum, et Interpretum sententia, herbas et Arbores fuisse tertia die productas actu adultas, et quasdam saltem cum fructibus maturis. Aperte huic sententiae favet Scriptura, ubi postquam Deus jussit terram germinare herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructus, protinus additur. *Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem . . . . lignumque faciens fructum*

Petes 4. Utrum terra eadem die tertia germinaverit spinas, et tribulos? R. Spinas et tribulos tertia die fuisse productos, sed non in poenam peccati, nec ager, qui ante peccatum excultus fuisset in cibum, spinas, et tribulos germinasset. Fuissent tamen, et erant in aliis locis ad ornatum universi, sive ad varias utilitates vel hominum, vel bestiarum. Idem dic de herbis venenosis.

Petes 5. An marmora, et mineralia in visceribus terrae latentia fuerint etiam producta tertia die? R. verosimilius affirmative. Horum autem non meminit Moyses, tum quia ea tantum proposuit, quae in manifesto apparent, tum quia non habent manifestam distinctionem a terra, sed quaedam terrae species videntur.

§. IV. *De opere quartae Diei.*

Jam dictum est Solem, et sidera nomine lucis creata fuisse prima die quoad substantiam, sed hac quarta die perfectiones, et complementum tam quoad lucem, quam quoad alios effectus, et influentias accepisse, et ideo dicantur facta quarta die juxta usum frequentem Scripturae, qua res aliqua dicitur fieri, quando vel suum complementum, vel insignis perfectio illi accedit. Sic Isai. 65. Deus dicitur creare Coelos novos, et terram novam propter singularem aliquam perfectionem, quam est illis collaturus.

Dicuntur autem luminaria esse *in signa*, scilicet prognostica aëris mutationum et tempestatum, ita ut sensus sit, in signa temporum, dierum, et annorum, quatenus ex diversis influentiis illorum prodeunt diversis temporibus, diebus, et annis, aestus, frigora, serenitas, pluviae, grandines, nives, venti,

hiems, aestas, ver, autumnus, atque inde dignoscitur tempus serendi, plantandi, metendi, navigandi, et similium, quod indicatur Matt. 16. his verbis *Facto vespere dicitis serenum est, rubicundum est enim Coelum, Et mane hodie tempestas, rutilat enim triste Coelum.* Horum effectuum naturalium sunt signa, non autem actionum humanarum, a libera voluntate pendentium, quod pertinet ad astrologiam judiciariam.

Dicuntur Sol, et Luna luminaria *magna*, non quod magnitudine excedant caetera astra, sed quod appareant Nobis majores. Dicuntur luminaria *posita in firmamento*, non quod sint in Coelo, in quo sunt Stellae fixae, quod specialiter dicitur firmamentum, sed quia sunt in ea parte spatii, quod a terra ad Coelum stellarum protenditur, quod etiam propter suam stabilitatem vocatur firmamentum.

Petes. Utrum corpora coelestia sint animata? R. Non esse animata proprie, ut sunt plantae, et animalia, possunt tamen dici animata improprie, et aequivoce, quatenus substantia spiritualis illis unitur contactu virtutis, ut motor mobili.

§. V. *De opere quintae Diei.*

Creavit Deus hac Die Pisces, et Volatilia. Pisces autem dicuntur reptiles, quia id omne dicitur reptile, quod caret pedibus, aut cui sunt ita breves, ut non sint, aut vix sint apti ad gressum, et Pisces, qui carent pedibus, in aqua quasi rependo natant. Difficultas est utrum etiam Aves sint productae ex aqua, R. affirmative cum S. Hieronymo, Cyrillo, Ambrosio, Damasceno, S. Thoma, et pluribus aliis. Favet huic sententiae 1. Textus vulgatae. *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento Coeli* 2. Paraphrasis Chaldaica, et versio Septuaginta, quae sic habet. *Producant aquae reptile animarum viventium, et volatilia volantia, seu quae volant, aut volare apta sunt super terram* 3. Favet affinitas quae est inter Pisces, et aves. Et primo quantum ad locum naturalem utrisque, aerem scilicet, et aquam, sunt enim elementa vicina, et cognata, utrumque est diaphanum, humidum, molle, subtile, agitabile, facile cedens, et in invicem transmutabile 2. Corpora avium, et piscium sunt etiam affinia quoad agilitatem, alae avium correspondent pinnis Piscium, et plumae avium squamis piscium 3. Qualis est natatus piscium in aqua, talis est volatus avium in aëre, ita ut pisces videantur aves volatiles, et aves pisces aerii 4. Multae aves sunt aquatiles, ut Cycni, Anseres, Anates Mergali. Docet tamen S. Doctor pisces productos esse ex aqua densiore, aves e subtiliore, quales sunt vapores in aëre.

Petes 2. Quomodo aquae produxerint pisces, et aves? R. non efficienter, sed materialiter, ministrando materiam omnipotenti Dei Verbo.

Petes 3. Quid intelligatur per cete grandia? R. intelligi omne genus piscium magnorum cujuscumque speciei, vox enim hebraea תנינים significat Dracones, et omnia grandia animalia. Facta est autem mentio specialiter magnorum piscium, et non magnorum aliorum animalium, quia inter alia animalia nulla sunt tam prodigiosae magnitudinis, quam inter pisces.

§. VI. *De opere sextae Diei.*

Recensentur hac die creata tria genera animalium praeter Hominem. *Jumenta*, hoc est animalia domestica, ut equi, boves, canes, oves, et *Bestiae*, hoc est animalia sylvestria, ut leones, ursi, lupi, Cervi, *Reptilia* ut serpentes, vermes, lacertae.

Petes. Utrum omnium omnino animalium terrestrium species sint hac sexta die

productae? Resp. 1°. Omnes species animalium perfectas, quae naturaliter possunt produci ex commixtione maris et foeminae ejusdem speciei, fuisse hac die productas. Ita communiter; idque videbatur exigere perfectio universi, unde etiam species animalium, Homini veneno, vel voracitate nunc nociva, pertinent enim ad perfectionem universi tum propter varietatem, tum propter varias utilitates; et constat ex Genes. 2. Serpentem tunc fuisse productum.

2. Quantum ad insecta, ut sunt pulices pediculi, si nascantur ex vitio, seu corruptione aliorum animalium, negat S. Thomas *hic a.* 1. *ad* 5. fuisse actu producta sexta die, sed potentialitate tantum; Quae vero nascuntur ex corruptione rerum ignobiliorum, ut aquae, terrae, ligni, plantarum, concedit ea fuisse actu producta sexta die, quia, inquit, quod ex corruptione ignobiliorum generentur nobiliora non repugnat primae rerum institutioni, sicut repugnaret, si ex corruptione nobiliorum generarentur ignobiliora.

3. Quantum ad animalia, quae nascuntur ex congressu animalium diversae speciei, ut mulus, leopardus etc., negat fuisse actu producta sexta die, sed potentialiter tantum, quia talis commixtio est praeter naturam, unde Judaeis fuit prohibita. Levit. 9.

Ex textu autem Geneseos cap. 1., in quo exponitur opus hujus diei: *Producat terra animam viventem in genere suo jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas* colligitur, quantum a veritate aberrent Cartesiani, qui brutis denegant animam sentientem, et volunt ea esse meras machinas. Nec solum in textu laudato, sed in pluribus aliis formalissime asseritur bruta vivere? Sic Gen. 29.: *Ecce*, inquit Deus, *dedi Vobis omnem herbam, et omnia ligna ... Ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terrae, omnique volucri coeli, et universis, quae moventur in terra, in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum*: Numquid purae machinae comedunt, vescuntur, nutriuntur sicut Homines? et cap. 9. ejusdem libri: *Ecce*, inquit Deus, *statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post Vos, et omnem animam viventem, quae est Vobiscum, tam in volucribus, quam in jumentis, et pecudibus terrae cunctis .... Et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii.* Quomodo autem interfici posset, quod non vere vivit? Lege reliquum Caput, in quo saepe repetitur bruta vivere.

Quod si Scriptura aliquando loquatur ad sensum vulgi imperiti, non licet tamen ad hanc solutionem confugere, relicto sensu litterali, et obvio, nisi cogente aliqua evidenti ratione, quae hic non subsistit. Non enim negari potest esse possibilem substantiam non extensam in partes, quae sit capax solius sensationis, et directae cognitionis sensibilium, in quo nulla involvitur implicantia. Haec enim substantia non foret Spiritus, quia esset irrationalis, neque materia, aut corpus, quia non esset extensa in partes, in qua tamen extensive reponunt Cartesiani essentiam materiae, et corporis, sed foret media inter spiritum, et materiam, et cum esset ordinata ad constitutionem, et conservationem corporis, posset, et deberet dici hac ratione forma substantialis materialis. In his, inquam, nulla est implicantia.

Concinit Scripturae S. Augustinus: *Irrationalia quoque Animalia*, inquit l. de ver. Relig. c. 29, *vivere, atque sentire, nemo ambigit.* Adstipulantur alii SS. Patres, qui ex Scriptura passim docent, Hominem convenire cum brutis in vita sensitiva, et passionibus; unde partem illam Animae, quae sensu, et passionibus viget, animalem vocant, et homines, qui sensum, et passiones sequuntur, neglecta ratione, animales, et pecudibus similes juxta illud Psalm. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* et 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quae Dei sunt*; Conf. Non sunt majora indicia animae rationalis in hominibus, quam animae sen-

sitivae in brutis. Ergo si his non obstantibus possum dicere Bruta esse meras machinas, seclusa revelatione, eadem ratione potero reputare homines omnes a me distinctos puras machinas, quod quam sit absurdum nemo non videt.

Quapropter attenta suavi Dei providentia, veracitate, et bonitate, existimo non esse possibilem machinam, quae absque anima sensitiva omnia, et eo modo peragat, quae, et quo modo peragit brutum tam ad conservationem propriam, quam ad propagationem speciei, hoc enim esset nos inducere in errorem, seclusa revelatione, irreparabilem, quod repugnat suavi Dei providentiae, veracitati, et bonitati. Plura de his ad Philosophos. De homine autem, qui, quia est totius creaturae corporeae finis, et Dominus, ultimo productus est, multa sunt dicenda, Praetermittimus Praeadamitarum fabulam, quam anno 1655 invenit Isaacus Pereyrus Calvinista, natione Gallus, ex falsa Scripturae interpretatione asserens Adamum fuisse primum Parentem Judaeorum, quorum historiam Moyses descripsit, sed non primum parentem Gentilium, ac proinde alios homines a Deo creatos fuisse, quos vocavit Praeadamitas. Hunc turpissimum errorem totam divinam Scripturam evertentem, ipse Auctor fabulae, poenitentia ductus, Romam accedens, sub Alexandro VII. anno 1657, simul cum Calviniana secta, sincero animo ejuravit. Vid. P. Graveson t. 8. Hist. Eccl. p. 1. coll. 3. Sit itaque.

DISSERTATIO III.

De Homine quantum ad Animam.

Articulus I.

De Essentia, et de Origine Animae.

Suppono 1. animam rationalem esse formam substantialem, Hominis constitutivam cum corpore. Ita definivit Conc. Vienn. Clement. Unica de summa Trinit. §. *Porro* his verbis *Doctrinam, seu positionem asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia Animae rationalis, seu intellectivae vere, et per se humani corporis non sit forma, ut erroneam, et veritati catholicae inimicam, praedicto approbante Concilio, damnamus.*

Suppono 2°. demonstratum in Philosophia contra quosdam antiquos Philosophos, Tertullianum factum Montanistam, et contra Incredulos hujus temporis Animam rationalem non esse materialem, sed entitative spiritualem, et non in eo sensu, quo quandoque sumitur Spiritus, prout opponitur solidiori materiae, quo sensu purior sanguis dicitur Spiritus, aut vitalis, aut animalis; neque prout Spiritus sumitur pro anima sive sensitiva, sive rationali, quo sensu Eccle. 3. dicitur. *Quis novit si Spiritus Filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum.* Sed prout Spiritus sumitur pro substantia immateriali, et incorporea, quae definitur *Primum principium ratiocinandi.* Est praeterea dogma Fidei expresse traditum in Scriptura. Psalm. 30: *In manus tuas commendo Spiritum meum.* Eccle. ult. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* 1. Cor. 2. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Constat insuper ex Definit. Ecclesiae. Concil. General. Lateran. sub Innoc. III. c. *Firmiter* de summa Trinit. definit. *Deum ex nihilo utramque condidisse creaturam spiritualem, angelicam scilicet, et mundanam, ac deinde humanam, ex corpore, et spiritu constantem.*

Suppono 3. demonstratum pariter in Philosophia animam rationalem esse incorruptibilem, et immortalem, et prob. momentis theologicis 1. Ex Scriptura. Sapiens c. 2. postquam saepius retulit verba, et sensus impiorum de mortalitate Animae sic concludit. *Haec cogitaverunt, et erraverunt, excoecavit enim illos malitia illorum* : Ibid. c. 3. *Justorum animae in manu Dei sunt... visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Et c. 5. *Justi autem in perpetuum vivent.* Matt. 10 *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* Ibid. c. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam*, et alibi passim.

2. Similiter SS. Patres unanimiter immortalitatem animae asserunt. Inter eos legendi sunt praesertim Chrysost. homil. 4. de Provid., Athanas. orat. cont. Gent., Gregorius Thaumat. in disp. de Anima, Ambrosius de bono mortis c. 9. 1. de fide, et l. 2. de Cain c. 10 ; Hieron. in c. 22. Matt., et in c. 51. Isai., August. l. 2. de immortal. Animae, l. 1. de Trinit. c. 1. et alibi.

3. Ex definitionibus Ecclesiae, Conc. Lateran. sub Leone X. sic definit. *Sacro approbante Concilio damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse.* Conc. Later. sub Innoc. III. c. *Firmiter* de summa Trinitate. Ex his sequitur immortalitatem animae pertinere ad fidem pro his, qui illam lumine naturali non attingunt.

Suppono 4. Animam rationalem non traduci a Parentibus, sed a Deo creari, et uniri corpori sufficienter disposito. De hac re dubitavit Augustinus, quem sequuti sunt S. Gregorius, Eucherius, aliique, quia videbatur ipsis difficile concipere, quomodo aliter anima Infantis contraheret peccatum originale in instanti conceptionis, cum Deus non sit Auctor peccati. Eruitur tamen ex Script. Eccl: 12. *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, Hebr. 12 Parentes dicuntur *Patres carnis*, Deus autem dicitur *Pater spirituum.* Zach. 12 Deus dicitur *fingens spiritum hominis in eo* Et Psal. 32. *Qui finxit singillatim corda eorum*, nomine autem *cordis* Scriptura solet intelligere *Animam.*

Unde Conc. Tolet. 1. in assertione fidei dicit *Animam hominis non divinae esse substantiae, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam*, et Later. sub Leone X. Sess. 8 definit *Animam esse immortalem et pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilem.* Consonant SS. Patres S. Ambros. l. de Arca, et Noe c. 4. dicit *Ex nullo homine generantur Animae.* S. Hieron. in c. 12. Eccl. *Satis ridendi sunt, qui putant Animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum Parentibus generari.* S. Hilar l. 10. de Trinit. S. Leo Ep. 93. c. 10 dicit catholicam fidem constanter praedicare, quod *animae hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuerint, nec ab alio incorporentur nisi ab Opifice Deo.* Et alii plures. Ex quibus omnibus conclusionem nostram nunc ad fidem pertinere, et oppositam esse haereticam, videtur multis cum Auctore qui hic q. 118. a 2. dicit *Haereticum est dicere, quod Anima intellectiva traducatur cum semine.*

Suppono 5. contra Origenistas, et Priscillianistas Animas rationales omnes non fuisse ab initio Mundi creatas cum Angelis, et in poenam peccatorum, quae commiserunt sine corpore, fuisse intrusas in corpora, tamquam in carceres (qui fuit eorum error) sed creari, et corporibus suis infundi, dum sunt sufficienter disposita. Patet. ex Apost. Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Ex textu S. Leonis citato in superiori suppositione, et ex SS. Patribus, qui adversus Origenistas, et Priscillianistas insurrexerunt. S. Cyrill. l. 1. in Jo : c. 9. S. Hieron. Ep. 27., S. Chrysost., S. Bernardus, et alii.

Articulus II.

An, et quâ ratione homo sit factus ad imaginem Dei.

Dico. Homo est vera Dei imago ratione naturae intellectualis, imperfecta tamen. Pr. prima Pars. Ad rationem imaginis requiritur primo, quod sit similis illi, cujus est imago in ratione specifica, et ultima differentia, vel in signo speciei, vel saltem in nobilissima proprietate illius. Secundo, ut similitudo sit expressa ex eo, cujus dicitur imago. Sic Filius est imago Patris, representatio Caesaris in tela, vel cupro, est imago Caesaris, quia utrumque est in similitudinem naturae specifice, vel in ejus signum, et expressum ex eo, cujus est imago. Defectu primae conditionis pediculi nati ex homine non sunt ejus imagines, quia illi non assimilantur in natura specifica, sed generica tantum, defectu secundae conditionis ovum non est imago alterius ovi, quia non ex eo expressum. Atqui homo habet has duas conditiones respectu Dei ratione naturae intellectualis. Ergo. Pr. Minor. Homo est factus a Deo ipso secundum similitudinem illius naturae intellectualis, quae est in Deo ultima differentia, et quasi species, secundum enim hanc naturam intellectualem homo est aptus ad cognoscendum, et amandum Deum, sicut Deus se cognoscit, et amat. Ergo

Pr. 2. Pars. Similitudo Dei in homine non est ad aequalitatem, cum exemplum excedat in infinitum hoc exemplatum; Et hoc indicat Scriptura dicens hominem factum ad imaginem Dei, praepositio enim *ad* accessum quemdam significat, qui competit rei distanti; Unde solus Filius Dei est perfecta imago Patris aeterni.

Ex dictis colliges 1. Creaturas irrationales proprie loquendo non esse factas ad imaginem Dei, quia licet illi assimilentur aliquo modo secundum genus, scilicet in esse, et vivere, non tamen secundum speciem, seu gradum intellectualis naturae, qui est supremus gradus naturae.

Colliges 2. Angelos esse perfectius factos ad imaginem Dei, quam homines, quia sunt perfectiores in natura intellectuali.

Colliges 3. Imaginem Dei reperiri in quolibet Homine sive Masculo, sive Foemina, sive bono, sive malo, quia in quolibet homine est anima intellectualis, secundum quam est aptus ad cognoscendum, et amandum Deum. Attamen secundum aliquid secundarium imago Dei invenitur in Homine, secundum quod non invenitur in Muliere, nam vir est principium, et finis mulieris, sicut Deus est principium, et finis omnis Creaturae. Unde Apost 1. Cor. c. 11. dixit quod vir sit *imago, et gloria Dei, mulier autem gloria viri.* Adde quod in homine magis vigeat ratio, quam in muliere.

Observandum autem imaginem Dei posse tripliciter considerari in homine. Uno quidem modo, secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad cognoscendum, et amandum Deum, et haec consistit in ipsa natura mentis, secundum quam creatus est homo; et vocatur imago creationis, seu naturae. Alio modo secundum quod homo per fidem, et charitatem cognoscit, et amat Deum supernaturaliter, sed tantum imperfecte, quod cum fiat per gratiam, per quam anima novo quodam modo creatur, dicitur imago recreationis. Tertio modo secundum quod homo per lumen gloriae, et charitatem patriae perfecte cognoscit, et amat, de qua Rom. 8. *Praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*, et haec dicitur imago similitudinis gloriae. Prima convenit omnibus hominibus etiam malis. Secunda solis justis. Tertia solis Beatis. Quando ergo quidam Patres dicunt imaginem Dei deleri per peccatum in hominibus, intelligendi sunt de imagine recreationis per gratiam, non de imagine creationis seu naturae.

Petes. Utrum in homine sit imago Dei etiam quantum ad Trinitatem Perso-

narum ? R. affirmative, quia homo non solum imitatur naturam divinam, quatenus se intelligit, et amat, sed etiam quatenus se intelligendo producit Verbum, et se diligendo amorem; Homo enim similiter cognoscendo Deum producit Verbum, et ipsum diligendo producit amorem, sicque in eo reperitur principium verbi, verbum, et amor, quibus in Deo constituitur Trinitas Personarum.

DISSERTATIO IV

De conditione prima Hominis, quantum ad intellectum, et voluntatem

Articulus I.

Utrum primus homo in statu innocentiae viderit Deum, vel Angelos per essentiam.

Dico 1. Primus homo in statu innocentiae non vidit Deum per essentiam secundum communem statum illius vitae, perfectius tamen illum cognovit, quam nos illum cognoscamus. Patet prima pars, quia visionem permanentem Dei sequitur necessario impeccabilitas.

Dixi *secundum statum communem illius vitae*, quia posset esse dubium, num in extasi, seu sopore, quem Deus Adae immisit, non viderit Deum per essentiam per modum transeuntis, sicut diximus de Moyse, et Paulo. Quamvis Auctor nihil hic determinet, propendit tamen in sententiam negantem q. 18 de verit. a 1. ad 4.

Pr. 2. Pars. Adam in statu innocentiae non solum cognoscebat Deum ex sensibilibus, et intelligibilibus effectibus sicuti nos, sed etiam per immediatam revelationem, et dum nos a lucida intelligibilium contemplatione impedimur per sensibilia, per quae distrahimur, Adam non impediebatur, quia in ea rectitudine inferiora superioribus subdebantur, et superiora ab inferioribus non impediebantur. Ergo.

Dico 2. Primus homo in statu innocentiae non vidit Angelos per essentiam, perfectius tamen eos cognovit quam nos. Pr. 1. pars. Adam naturaliter cognoscebat sicut nos per conversionem ad phantasmata. Atqui in phantasmate non potest repraesentari essentia substantiae spiritualis, qualis est Angelus. Ergo. Pr. Maj. Anima tam in statu naturae innocentis, quam lapsae erat accommodata corpori secundum animalem vitam, dicitur enim *primus homo factus est in animam viventem*, idest dantem corpori vitam animalem. Atqui modus operandi sequitur modum essendi. Ergo anima accommodata corpori secundum vitam animalem, operatur, et intelligit secundum modum vitae animalis, qui est per conversionem ad phantasmata. Per subordinationem tamen inferiorum ad superiora Adam ad nutum utebatur phantasmatibus sicut pede, aut manu, unde in statu innocentiae habuisset firmiorem, et certiorem intelligentiam Angelorum quam nos; quod est secunda pars conclusionis.

Articulus II.

Quarum rerum cognitionem habuerit primus Homo.

Dico. Primus homo habuit cognitionem a Deo infusam omnium rerum, qua homines naturaliter cognoscere possunt; supernaturalium vero tantam habuit cognitionem, quanta erat necessaria ad gubernationem humanae vitae, secundum

illum statum ordinatum ad finem supernaturalem. Prob. Primus homo conditus est a Deo, ut esset principium aliorum hominum non solum per generationem, sed etiam per instructionem, et gubernationem tam in ordine naturali, et morali, quam in supernaturali, ad quem humanum genus in ipso erat elevatum. Ergo sicut statim institutus est in statu perfecto quoad corpus, ita etiam quantum ad animam, ut posset alios instruere, et gubernare. Subsumo. Atqui non potuisset alios instruere, se, et alios gubernare tam in ordine naturali, et morali, quam supernaturali, nisi habuisset cognitionem omnium rerum, tam naturalium, quam moralium, quae studio, et disciplina humana acquiri possunt, et earum supernaturalium, quae ad finem supernaturalem sunt scitu necessariae: Hinc Eccli. 7. Sapiens de primis Parentibus dicit. *Disciplina illius replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum.* Ergo.

Hinc inferes 1. Adam habuisse fidem explicitam mysteriorum divinorum, et specialiter Incarnationis, ut docet Auctor 2. 2. q. 2. a 7; non quidem ut ordinabatur ad liberationem a peccato, quod si praescivisset, fuisset miser ante peccatum, sed ut ordinabatur ad consummationem gloriae: Porro si Incarnationis, etiam et Trinitatis habuit fidem explicitam.

Inferes 2. Adam habuisse cognitionem rerum omnium naturalium, non solum terrestrium, sed etiam coelestium, unde nomina imposuit omnibus Animalibus indubio, non ad placitum, sed juxta illorum naturas, et proprietates. Quod si non imposuit nomen Astris, cum Deus dederit scientiam etiam coelestium Salomoni juxta illud Sap. 7., a fortiori dicendum est dedisse Adae, qui erat institutus Magister, et Doctor Posterorum. Haec tamen scientia Adami erat infusa tantum per accidens, cum posset acquiri humano studio, unde ejusdem speciei cum nostra.

Inferes 3. Adamum non scivisse secreta cordium, nec futura omnino contingentia, nec omnia, et singula individua specierum, quae ejus aspectui non offerebantur, vel quia studio humano sciri non possunt, vel quia non sunt scitu necessaria ad finem supernaturalem.

Petes 1. Utrum Adam fuerit omnium hominum sapientissimus R. Affirmative excepto Christo. Patet quia nullus praeter Adamum fuit institutus Magister, et Gubernator omnium hominum: Quoad Salomonem, de quo Reg. 3 dicitur, quod nullus ante eum similis ei fuerit, nec post eum surrecturus esset, triplex adhibetur responsio. 1. Sermonem ibi esse de sapientia naturali, unde quamvis Salomon esset praeferendus omnibus in scientia naturali, non esset praeferendus in scientia supernaturali, nec Adamo, nec Abrahae, nec Moysi, nec plerisque Prophetarum, et Apostolorum, maxime B. Virgini. 2°. Ibi comparationem fieri cum aliis hominibus vulgari modo procreatis, non cum Adamo, a Deo immediate creato, et constituto Magistro, et Gubernatore generis humani. 3. juxta S. Hieronymum in cap. 1. Eccle. comparationem fieri tantum cum iis, qui ante Salomonem fuerunt in Jerusalem, ut idem Salomon dicit cit. 1. cap. Eccle.

Dixi *excepto Christo*, de quo nullus dubitat. De B. Virgine sic resolvimus cum S. Antonino par. 4. tit. 15. c. 10. Quantum ad notitiam rerum supernaturalium, et theologicarum majorem habuit B. Virgo, quam Adam. Quantum vero ad notitiam rerum materialium, et civilium majorem habuit Adam, quia inter eas plures res sunt, quas B. Virginem scire nihil referebat, et in ea fuissent superfluae, ut artes propriae viris, v. g. Militiae, cementaria etc. Item quae spectant Populorum gubernationem, ad quam B. Virgo non erat destinata.

Petes 2. Utrum homo in statu innocentiae potuerit errare, seu decipi?

R. Negative; Quia error, seu deceptio est malum, quod in statu innocentiae in homine esse non potuit. Unde Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 18. dicit. *Approbare falsa pro veris ut erret invitus, non est natura instituti hominis, sed*

poena damnati. Deceptionem autem Evae praecessit peccatum non operis, sed cordis, scilicet elatio mentis, qua suam excellentiam inordinate appetiit, quam elationem ad verba serpentis statim concepit. Quantum vero ad Adamum licet S. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei c. 11. dicat Adam fuisse deceptum, quatenus existimavit, quod non esset gravis culpa, si manducaret de fructu vetito, ne contristaret Uxorem, nihil tamen aliud S. Doctor intelligit, quam Adamum non habuisse judicium positivum, quod istud peccatum esset leve, sed tantum quod se habuerit negative, quatenus non consideravit gravitatem culpae, constat enim ex 1. Timoth. 2. Adamum non fuisse seductum. Sed esto fuerit seductus, dicendum idem, quod de Eva, peccatum in ejus corde, scilicet mentis elationem, praecessisse deceptionem.

Articulus III.

Utrum primus Homo creatus fuerit in gratia sanctificante?

Primum Hominem constitutum fuisse in gratia, antequam peccaret, est doctrina Fidei definita in Conc. Trident. sess. 5. can. 1. Quidam tamen tempore S. Thomae agnoscebant primum Hominem donatum quidem gratia sanctificante antequam peccaret, eam tamen non accepisse in sua creatione, quam quaestionem Concilium declinavit, utendo voce *constitutus*, et non *creatus*. Cum Auctore hic q. 95. a. 1. juxta communem nunc, et longe probabiliorem sententiam.

Dico. Primus homo creatus fuit in gratia sanctificante. Prob. 1. Ex Eccle. 1. *Fecit Deus hominem rectum.* Atqui secundum phrasim Scripturae recti dicuntur justi. Ergo. 2. Ex Patribus. Hieron. l. 1. adv. Jovin. c. 16., Hilar. apud August. l. 2. cont. Jul. c. 8., Idem de cor. et gr. c. 11., et in Enchir. c. 105. Damasc. l. 2. de Fide. 3. Ratione. Deus creavit alias Creaturas cum virtute assequendi suos fines. Atqui finis, ad quem homo erat ordinatus, est supernaturalis, quem consequi non poterat sine gratia sanctificante. Ergo. Non est tamen haec quaestio tanti momenti, ut nos ulterius detineat.

Petes 1. Utrum primus homo justificatus fuerit more adultorum, mediante actu liberi arbitrii, scilicet consensu in acceptationem gratiae. R. probabilius affirmative. Quia modus recipiendi gratiam, libere ejus infusioni consentiendo, est nobilior illo modo, quo recipiunt Infantes, nihil autem vetat hunc nobiliorem modum primo Parenti attribuere. Porro hic consensus liberi arbitrii licet fuerit simul tempore cum infusione gratiae, potest tamen dici dispositio ad illam, quatenus eam natura praecederet in genere causae materialis, sequeretur autem in genere causae efficientis. V. Tract. de Gratia, ubi etiam habes quid sit integritas naturae, quid justitia originalis. An debita humanae naturae, an tum Adamo, quam Angelis praeter gratiam habitualem fuerit necessaria gratia actualis per se efficax ad perseverandum.

Petes 2. Utrum in primo Homine fuerint animae passiones? Resp. 1°. Passiones, quae respiciunt malum, ut timor, dolor, et hujusmodi; similiter quae respiciunt bonum non habitum, nunc habendum, ut cupiditas aestuans, non fuerunt in primo homine innocente, quia tunc nullum malum aderat, nec imminebat difficile vitabile, ipsum enim peccatum facile vitare potuisset; neque bonum aderat, quod cuperet voluntas pro illo tempore habendum. R. 2°. Passiones de bono praesenti ut gaudium, et amor; et de bono futuro, suo tempore habendo, ut desiderium, et spes non affligens, cum non repugnent statui innocentiae, fuerunt in primo homine innocente: Aliter tamen quam in nobis, in quibus cum appetitus sensualis, in quo sunt passiones, non totaliter subdatur rationi quando-

que praeveniunt judicium rationis, et illud impediunt. In statu vero innocentiae appetitus inferior erat totaliter rationi subjectus, unde in eo non erant passiones nisi ex judicio rationis consequentes.

Ex dictis sequitur in Adamo innocente fuisse aliqualiter omnes virtutes. Gratia enim sanctificans, in qua creatus fuit, est radix omnium virtutum, quae ab ipsa tamquam proprietates ab essentia fluunt. Non tamen omnes eodem modo, et aeque perfecte. Nam virtutes, quae nullam involvunt imperfectionem, ut charitas, et justitia fuerunt in primo Homine quoad habitum, et actum; Quae important imperfectionem, sed non repugnantem perfectioni primi status, ut fides, quae est de non visis, et spes, quae est de non habitis, pariter fuerunt quoad habitum, et actum; Quae vero important imperfectionem repugnantem perfectioni primi status, ut poenitentia, et misericordia fueruut quoad habitum tantum, et non quoad actum. Erat enim Adam sic dispositus, ut si peccasset, doleret, et si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret, sicque poenitentia, et misericordia in eo erant quoad habitum.

Articulus IV.

De Dominio, quod habuerit primus homo in statu innocentiae super alias Creaturas.

Dico 1. Primus homo habuit dominium super omnia animalia non solum quoad jus, et potestatem, sed etiam quoad exercitium, et usum, ita ut imperaret, et ei obediebatur. Constat ex Gen. 1. *Et praesit piscibus maris, et volatilibus Coeli, et bestiis universae terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Item ibid. Deus dicit primis parentibus *Dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* Pr. ratione. Secundum primae naturae institutionem talis erat divina providentia, ut inferiora gubernaret per superiora, et inferiora sine repugnantia subjicerentur superioribus. Atqui animalia sunt naturaliter homini subjecta, et homo ad imaginem Dei factus est superior omnibus animalibus. Ergo. Inobedientia itaque ad hominem eorum, quae naturaliter debent esse ei subjecta, subsecuta est in poenam ejus, eo quod ipse fuit inobediens Deo.

Si dicas Hominem etiam nunc habere dominium in omnia animalia, cum naturalia per peccatum non fuerint ablata; et tamen contrarium experitur. R. cum distinctione. Dominium quoad jus, et potestatem super omnia animalia est homini naturale. C. quoad exercitium et usum N. Hoc est ipsa subjectio est naturalis, sed obedientia erat supernaturalis quatenus gratia perficiebat naturam; et quod natura subjecerat, gratia reddebat obediens sicut corpus respectu animae, et vires inferiores dictum rationis. Quamvis ergo etiam nunc sicut tunc homo habeat dominium super animalia quoad jus et potestatem, quoad tamen exercitium, seu obedientiam ex parte animalium est valde imminutum, cum paucis animalibus valeat nunc imperare efficaciter, et nonnisi cum difficultate, et labore obediunt.

Quantum ad animalia longe distantia quomodo potuisset Adam ea sibi subjicere, et eis pro arbitrio uti, dicendum, quod id singulari Dei providentia factum fuisset ministerio Angelorum, sicut factum est, cum ei adducta sunt, ut eis nomen imponeret.

Dico 2. In statu innocentiae omnes homines non fuissent aequales. Fuisset in primis diversitas sexuum, et aetatis. 2°. diversitas profectus in justitia, et scientia, prout unus prae alio magis animum applicuisset ad aliquid vel faciendum, vel volendum, vel cognoscendum. 3°. ex parte corporis poterat esse diversitas, quia

corpus humanum non erat totaliter a legibus naturae exemptum, indigebat enim cibis, ut sustentaretur, et etiam ab exterioribus agentibus aliquod commodum, aut auxilium magis vel minus recipiebat. Et sic nil prohibet dicere quominus juxta diversitatem ciborum, diversam dispositionem aëris, et diversum situm stellarum, fuissent aliqui aliis robustiores, pulchriores, grandiores, et melius complexionati, ita tamen quod nullus in illis, qui excederentur, esset defectus tam circa animam, quam circa corpus.

Dico 3. In statu innocentiae homo homini dominatus fuisset non dominio despotico, quod exercetur in Servum in propriam utilitatem Domini, atque incutiendo timorem, et intentando poenas, sed dominio civili, et libero, quod absque poenarum intentatione, per se loquendo exercetur in utilitatem ipsius subditi, vel communitatis; tum quia vita socialis multorum esse non potest, nisi aliquis praesideat, qui ad bonum commune intendat; tum quia in eo statu, ut dictum est, alii aliis sapientiores fuissent, congruum est autem, quod sapientiores regant minus sapientes.

DISSERTATIO V.

De conditione primorum Parentum quantum ad Corpus.

Articulus I.

De formatione corporis Adami.

Constat ex verbis Genes: 2. corpus Adae fuisse de limo terrae *Formavit Deus hominem de limo terrae*; et Job. 8. dicitur *Tu fecisti Adam de limo terrae, dedistique ei adjutorium Evam.* Limus autem est terra, seu pulvis aqua mixtus, et quamvis corpus humanum sicut corpora aliorum animalium sit compositum ex quatuor elementis, Scriptura, quae rudi populo tradebatur, sicut in tota rerum productione, sic in formatione hominis non facit mentionem de igne, et aëre, qui sensu a rudibus non percipiuntur.

Petes 1. Utrum corpus humanum sit immediate a Deo productum? R. Affirmative. Ante formationem enim corporis humani nullum fuit praeexistens simile secundum speciem; Sed quod fit a creatura, fit ab aliquo praeexistente simili secundum speciem. Ergo. Neque per Angelos, qui applicarent activa passivis, nam ante formationem corporis Adae nullum erat activum corporis humani; nisi forte ut causae instrumentalis collegerunt pulverem ad formationem corporis Adae, sicut colligent ad resurrectionem mortuorum, quod est valde incertum.

Petes 2. Utrum corpus hominis habuerit convenientem dispositionem? R. Corpus humanum fuisse a Deo constitutum in optima dispositione non simpliciter, sed secundum quod congruit animae rationali, et ejus operationibus. Pr. Quilibet Artifex intendit suo operi optimam dispositionem inducere non simpliciter, sed per comparationem ad finem, quem intendit, et si haec dispositio habeat adjunctum aliquem defectum Artifex non curat. Atqui Deus sapientissimus Artifex formavit corpus humanum propter animam rationalem, et ejus operationes, materia enim est propter formam. Ergo constituit corpus humanum in optima dispositione secundum quod congruit animae rationali, et operationibus ejus; Et si quis defectus in eo videtur, sequitur ex necessitate materiae ad ea, quae requiruntur in corpore, ut sit debita proportio ipsius ad animam, et animae operationes.

Hinc cum complexio corporis humani sit magis remota a primarum qualitatum excessu, et propius accedat ad aequalitatem, fit, quod quidam sensus exteriores, qui ex aliqua qualitate superabundante dependent, magis vigeant in

brutis, ut odoratus in canibus. Item fit quod homo non habeat cornua, et ungulas, spissitudinem corii, neque multitudinem pilorum, aut plumarum, quae sunt quorumdam animalium arma, et tegumenta, quia haec attestantur abundantiam terrestris elementi. Sed istorum loco habet homo rationem, et manus, quibus sibi comparari potest arma, et tegumenta, et alia vitae necessaria infinitis modis.

Statura recta est conveniens homini 1. Quia sensus dati sunt homini, non solum ad vitae necessaria procuranda, sicut aliis animalibus, quae non delectantur in sensibilibus, nisi per ordinem ad cibos, et venerea, sed maxime ad cognoscendum, ut facie erecta per sensus, et praecipue per visum, qui est subtilior, et plures rerum differentias ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia et coelestia, et terrestria considerare, et ex omnibus intelligibilibus veritatem cognoscere 2. ut interiores sensus liberius suas operationes habeant; dum cerebrum, in quo quodam modo perficiuntur non est depressum, sed super omnes partes corporis elevatam. 3. Si homo haberet staturam pronam, deberet uti manibus loco pedum, et non solum earum utilitas cessaret ad diversa opera perficienda, sed deberet praeterea homo ore cibum capere, et ita haberet os oblongum, labia, et linguam duram, ne ab exterioribus laederentur, ut in aliis animalibus; talis autem dispositio impediret locutionem, quae est proprie opus rationis. Nec tamen in statura recta convenit cum plantis; homo enim habet superius, et principale sui, scilicet caput versus superius Mundi, et inferius sui versus inferius Mundi, et ideo optime dispositus secundum dispositionem totius; plantae vero habent principalem, et maxime vitalem partem sui, scilicet radicem, versus inferius Mundi, minus principale, scilicet culmen, versus superius Mundi.

Petes 3. In quanta magnitudine fuerit productum corpus Adae? R. in ea magnitudine, quae convenit viro perfecto, puta sex pedum circiter. Unde ubi Jos. 14. dicitur *Adam maxime inter Enacim situs est* nomen Adam non est nomen proprium, sed appellativum communi speciei humanae, quasi diceretur: Vir vel homo inter Filios Enacim, qui erant Gigantes.

Articulus II.

De Formatione Corporis Evae.

Quae dicta sunt de corpore Adae, immediate a Deo producto secundum convenientem dispositionem in magnitudine, et aetate idonea ad operationes corporis, et Animae, dicenda sunt pariter de formatione corporis Evae.

Petes 1. Quo sensu intelligenda sit formatio Evae ex viro, et ex costa viri? Resp. contra Cajetanum narrationem formationis Evae factam in Scriptura Genes. 2. intelligendam esse in sensu proprio, et litterali, non metaphorico. Prob. 1. Scriptura S. maxime dum refert historiam debet intelligi in sensu proprio, et litterali, et non detorqueri ad sensum metaphoricum, nisi id declaretur in aliis scripturae textibus, aut Ecclesiae definitionibus, aut nisi ex sensu litterali sequatur inconveniens. Atqui nullum horum hic invenitur. Ergo.

Confir. Adam dicit post formationem Evae. *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Haec vocabitur Virago, quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, et Matrem, et adhaerebit Uxori suae, et erunt duo in carne una.* Haec vera sunt in sensu litterali, cum litteraliter observentur; et in his Adam secundum Apost. ad Ephes. 5. prophetice annuntiavit Sacramentum matrimonii spiritualis inter Christum, et Ecclesiam. Atqui haec non sunt vera litteraliter, nisi quantum verum est litteraliter Evam ex Adamo, et ex costa Adami esse formatam, siquidem ex isto primo tamquam consectaria deducantur. Ergo. Pr. 3. SS. Patres unanimiter formationem Evae ex

costa Adae in sensu proprio, et litterali intellexerunt. Ambros. l. de Parad. c. 11. Augus. l. 9. de Genes. c. 13. Hieron. supra c. 9. Amos., et in Epist. ad Philemon. Adde Concil. Vienn. Clement. 1. de summa Trinit.; ubi dicitur Ecclesiam fuisse formatam de latere Christi, et ejus typum fuisse formationem Evae ex costa Adami.

Nec sequitur Adamum ex costae subtractione mansisse mutilum, quia in ejus loco alia statim fuit reposita, dicitur enim. *Et replevit carnem pro ea.* Per carnem autem intelligitur caro cum costa, seu costa carne vestita juxta illud Adae *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.*

Somnus quoque Adae fuit verus, et proprius quantum ad essentiam, quamvis non naturalis quantum ad causam, quia virtute divina immissus. Hunc Septuaginta dixerunt Ecstasim, quia fuit somnus cum Ecstasi mentis, quatenus in profundo somno mens Adae elevabatur ad cognoscenda quaedam supernaturalia, ut formationem Mulieris ex se, quam non videbat, et in ea Sacramentum Christi cum Ecclesia figuratum V. S. Aug. l. 9. de Gen. ad litt. c. 19.

Quaestio est, an materia addita costae in formatione Evae fuerit per novam creationem, vel materiae praejacentis conversionem? S. Thomas 3. p. q. 44. a. 4. ad 4. sic ait. Multiplicatio costae fuit per additionem materiae noviter creatae, vel verius per conversionem alterius materiae praejacentis.

Petes 1. Quandonam formata fuit Eva?

R. 1°. Evam productam fuisse in prima rerum productione. Prob. ex illo Gen. 2. *Non est bonum Hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.*

R. 2. Eva non fuit producta eodem instanti ac Adam, sed tamen eadem die, scilicet sexta creationis. Pr. 1. Pars; tum quia Gen. 2. Deus dixit: Non est bonum Hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Ergo ante mulierem adjutricem erat homo factus; tum quia ibidem Adamo creato, et adductis coram ipso omnibus animalibus, ut eis nomina imponeret, dicitur *Adae vero non inveniebatur Adjutor similis ejus.* Ergo nondum erat producta Eva. Pr. 2. Pars. Gen. c. 1. Moyses inter opera sextae diei reponit productionem viri, et Mulieris dicens *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, Masculum, et Foeminam creavit eos.* Et immediate subjungitur. *Benedixitque illis Deus, et ait. Crescite, et multiplicamini et replete terram.* Haec autem pertinere ad sextam diem certo constat ex clausula, quae post haec narrata subjungitur. *Viditque Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona, et factum est vespere, et mane dies sextus.*

Petes 3. Utrum conveniens fuerit Mulierem in prima Mundi institutione formari ex costa viri? Resp. Affirmative 1. Ut significaretur inter Virum, et Mulierem debere esse socialem conjunctionem, sic ut Mulier non deberet dominari in virum, et ideo non est formata ex capite, neque vir deberet Uxorem despicere, tamquam serviliter subjectam, et ideo non est formata de pedibus, sed esse sociam, et collateralem, et ideo formata est de latere ejus. 2. Propter Sacramentum, ut inde significaretur ex latere Christi in Cruce pendentis Ecclesiam esse formatam, quatenus ex illo fluxerunt sanguis, et aqua, quae sunt symbola sacramentorum, quibus nobis applicatur pretium redemptionis nostrae, per aquam enim intelligitur baptismus, qui est janua aliorum sacramentorum, et per sanguinem Eucharistia, quae est eorum finis, et consummatio, sicque per haec duo Sacramenta caetera intelliguntur. Non ergo, ut vides, Ecclesia dicitur formata ex latere Christi in cruce pendentis, quasi post mortem meruerit illam formari, id enim vivens praestiterat; sed quia ex ejus latere fluxerunt symbola Sacramentorum, quibus Ecclesia formata est.

Si petas quare de dormientis, et non de vigilantis costa Deus voluerit formare Evam? Potest forte dici, vel quod sic Deus voluerit praefigurare Eccle-

siam ex latere Christi in cruce dormientis, vel quod noluerit Adamum esse spectatorem hujus fabricae, ut commendaret notitia, quam de illa divinitus accepit in somno.

Articulus III.

Utrum Homo in statu innocentiae fuerit immortalis.

Immortalis dupliciter intelligi potest 1. Quod non possit mori ut Angeli, et Beati in Coelo. 2° Quod possit non mori. Certum est Adamum non fuisse immortalem primo sensu siquidem sit mortuus; quaestio itaque de immortalitate secundo sensu accepta procedit.

Dico. Primi Parentes sic fuerunt immortales, ut si in innocentia perseverassent, nunquam fuissent mortui. Est de fide Genes. 2. Apost. ad Rom. 5., et 6., et 1. Cor. 15. Cap. 1. dicitur *Deus creavit hominem inexterminabilem .... invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Concil. Milev. can. 1. sic definit. *Quicumque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* Similiter Conc. Trident. sess. 5. can. 1.

Quaeres quaenam fuerint causae hujus immortalitatis? R. plures fuisse causas concurrentes ad immortalitatem primorum Parentum in statu innocentiae. 1. juxta S. Thom. hic. a 1. erat virtus supernaturalis indita animae, per quam poterat ab omni corruptione corpus servare, quamdiu ipsa Anima Deo subjecta mansisset; hanc autem S. Doctor videtur intelligere justitiam originalem; etenim 1. 2. q. 85. a 5. o. dicit *Per peccatum primi Parentis sublata est originalis justitia, per quam non solum inferiores animae vires continebantur sub ratione absque omni deordinatione, sed totum corpus continebatur sub Anima absque omni defectu.* 2. causa erat bona complexio corporis, qua non reddebatur quidem indissolubile, sed idoneum ut ab anima praeservaretur a mortalitate per vim supernaturalem ipsi Animae inditam. 3.° erat esus ligni vitae, in quantum confortabat ad tempus virtutem activam speciei, seu potentiam nutritivam, ne debilitaretur ex sumptione alimenti extranei. Dixi *ad tempus*, quia haec ligni vitae virtus erat finita, nec poterat dare corpori virtutem durandi infinito tempore. 4°. erat hominis innocentis scientia, et prudentia. 5.° Singularis Dei providentia circa hominem innocentem. Haec duae ultimae causae maxime spectant praeservationem a morte violenta, seu a nocivis extrinsecis, ut igne, aqua, gladio, veneno.

Primi Parentes tamen in statu innocentiae indiguissent cibo, et potu ad restaurandum humidum radicale, quod diminuebatur per actionem caloris naturalis. Insuper agebant vitam animalem ut nos, ad quam pertinent opera animae vegetativae, quae sunt alimento uti, generare, et augere, hinc Gen. 2. dicitur. *Praecepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede.* Consequenter sequitur in statu innocentiae fuisse famem, et sitim non quidem cruciantem, seu ut infert molestiam, sed ut nudum appetitum cibi, et potus necessarii. Inde sequitur, quod in statu innocentiae fuisset emissio superfluitatum, hic. q. 97. ad 4., sed fuisset divinitus provisum, ut nulla ex hoc esset indecentia.

Ex dictis colliges quod quamvis immortalitas possit dici naturalis primis Parentibus hoc sensu, quod fuerit eis collata in prima naturae institutione, simpliciter tamen fuerit supernaturalis, et indebita, quia justitia originalis erat supernaturalis, et virtus ligni vitae non erat eis debita, sed donum Dei gratuito collatum. Hinc jure damnata est haec propositio inter Bajanas 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.*

Articulus IV.

De conditione primorum Parentum in statu innocentiae quantum ad conservationem speciei.

Dico. In statu innocentiae fuisset generatio ad multiplicationem hominum. Prob. ex Genes 1. ubi dixit Deus primis Parentibus. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Et incredibile est Deum creasse hunc universum, et omnia, quae in eo sunt, ad usum duorum dumtaxat hominum, et hos solos duos implevisse numerum electorum ad coelestem Patriam. Praeterea quamvis in statu innocentiae non fuisset generatio propter conservationem speciei, fuisset tamen propter multiplicationem individuorum, quae in substantiis incorruptibilibus non minus sunt de principali intentione naturae universalis, quae fertur per se ad id, quod est semper, et perpetuum.

Quoad modum vero generationis quidam SS. Patres, considerantes concupiscentiae foeditatem, censuerunt in statu innocentiae non futuram generationem per commixtionem, sed per aliquem alium modum, vel quod homines multiplicati fuissent virtute divina, sicut Angeli. Et quamvis huic sententiae favere visus sit August. l. 1. de Genes. cont. Manich., contrariam tamen sententiam tenet l. 9. de Gen. ad litt. c. 7. et sequ., l. 14. de Civit. a c. 14. ad 26. et l. 1. Retr. c. 19. ubi corrigit quod dixerat cont. Manich. Contrarium quoque evincitur ex ipsa Scriptura. Hinc inter articulos damnatos Almerici ab Innoc. III. in Concil. Later. cap. *Damnamus* in fin. extrav. de summa Trinit. reperitur etiam sequens. *Si homo non peccasset, in duplicem sexum partitus non fuisset, nec generatus, sed eo modo, quo Angeli sancti, multiplicati fuissent homines.* Perfecta autem subjectio virium inferiorum, et membrorum rationi abstulissent ardorem, et illecebrosum stimulum, omnemque concupiscentiae difformitatem.

Hinc inferes in statu innocentiae conjugium futurum laudabilius virginitate. Cum enim in eo statu fuisset foecunditas sine immoderata libidine, partus sine dolore, et socialis vita sine sollicitudinibus, et miseriis distrahentibus Hominem a divina contemplatione, sed fuisset inter Conjuges amor castissimus, fides intemerata, bonum perpetuum foecunditatis, ex quo tot Sancti laudarent, et glorificarent Deum, quo bono caruissent Virgines absque compensatione alterius boni, sequitur quod conjugium fuisset excellentius virginitate.

Sequitur ulterius quod in hoc statu nullus mansisset Virgo, et cum Matrimonium sit unius cum una, sequitur praeterea quod tot nasci debuissent Mulieres quot Viri.

Sequitur tandem quod cum non usi fuissent matrimonio nisi ad finem, ob quem erat institutum, scilicet ad generationem prolis, non esset in hoc statu ulla sterilitas, quae est defectus.

DISSERTATIO VI.

De conditione prolis generandae in statu innocentiae.

Articulus I.

De conditione prolis generandae quantum ad Corpus

Quot homines in statu innocentiae nati fuissent, et an tot quot nascuntur in statu naturae lapsae, prorsus incertum est, sicut pariter incertum est, an tunc nati fuissent reprobi, et damnandi.

Dico. Adam non peccante non fuissent nati iidem homines quantum ad corpus, qui nunc nascuntur. Prob. Impossibile est eamdem numero prolem quoad corpus nasci, si alius sit Pater, et alia sit Mater; impossibile est enim eumdem numero effectum produci a diversis causis sive activis sive passivis. Atqui in primo statu fuissent alii Parentes, quam nunc; tunc enim unus homo non habuisset plures Uxores, et nullus ex adulterio, vel fornicatione natus fuisset, ut nunc contingit. Ergo non fuissent nati iidem numero homines in statu innocentiae.

Dico 2. In statu innocentiae pueri mox nati non habuissent virtutem motivam membrorum, sufficientem ad quoslibet motus, bene tamen sufficientem ad actus convenientes pueritiae. Prob. 1. Pars. Homo naturaliter habet cerebrum majus in quantitate secundum proportionem sui corporis, quam caetera animalia; unde naturale est, quod propter maximam humiditatem cerebri in pueris, nervi qui sunt instrumenta motus, non sint idonei ad movendum membra secundum quoslibet actus. Atqui quod naturale est homini ipsi contigisset in statu innocentiae. Ergo.

Pr. 2. Pars. Deus fecit hominem rectum, et similiter recti nati fuissent ejus Posteri, si non peccasset. Atqui rectitudo consistebat partim in perfecta subjectione corporis ad animam, unde requirebat quod neque in membris esset aliquid, quod repugnaret ordinatae hominis voluntati, neque quod membra deficerent ejus voluntati ordinatae. Ergo Pueri potuissent movere membra sicut voluissent. Atqui nihil tunc voluissent ordinata voluntate, nisi quod erat conveniens suo statui. Ergo potuissent movere membra ad motus aetati puerili convenientes, ut movere pedes, manus, linguam, quantum illa aetas requirit, sive ad sugenda ubera, sive ad alia similia. Hic autem defectus roboris aetatis puerilis, non erat defectus positivus, seu privatio boni debiti, sed negativus, seu privatio boni tunc non debiti. Quod si quaedam animalia statim cum nascuntur habent virtutem sufficientem ad multiplicem usum membrorum, non est ex eorum nobilitate, sed ex siccitate cerebri, et quia actus proprii talium animalium sunt imperfecti, ad quos parva virtus sufficere potest.

Petes 1. Quibus cibis usi fuissent homines in statu innocentiae? R. Probabilius est, quod neque primi parentes, neque eorum posteri usi fuissent carnibus, etiamsi diutissime perseverasset status innocentiae; tum quia in eo statu Deus abundanter providerat homini de cibis necessariis ad conservationem vitae, et suavitatem gustus per fructus terrae. Gen. 2. *Omne lignum pulchrum visu*, et *ad vescendum suave*; tum quia per lignum vitae confortabatur vis nutritiva, ut per senectutem non deficeret, et per fructus aliarum arborum restaurabatur humidum radicale. Ergo superfluum fuisset confugere ad carnes. Sed hoc ipso quod erat superfluum fuisset inordinatum; Ergo non fuisset in statu innocentiae, in quo nulla esse poterat inordinatio. Quod autem dixi de carnibus pari ratione dicendum videtur de ovis, lacticiniis, pane, et vino.

Unde sequitur quod supposita rectitudine, et dispositione status innocentiae illicitum erat jure naturae vesci carnibus, siquidem erat inordinatum. Dixi jure naturae, quia id fuisse a Deo positive prohibitum nullibi constat.

At vero destructo per peccatum statu innocentiae, homine gravibus laboribus addicto, ejecto de Paradiso, et privato fructibus illius, praesertim ligno vitae, nihil vetabat tunc hominem vesci carnibus, et aliis. Utrum autem de facto usi fuerint ante diluvium? Quidam dubitant, quia tantum post diluvium facta est expressa concessio. Genes. 9. Sed responderi potest, Deum voluisse tantum indicare, carnium usum tunc fore frequentiorem, quia licet ante diluvium non prohiberetur, non erat tamen communis, sicut fuit post diluvium, vel voluisse solemniter, et expresse declarare, quod antea tacite tantum erat concessum.

Petes 2. Utrum in statu innocentiae natae fuissent Foeminae? Affirmative;

Diversitas enim sexus pertinet ad perfectionem naturae humanae, sicut in caeteris animalibus. Atqui quod pertinet ad perfectionem, et complementum naturae humanae, non defuisset in statu innocentiae. Ergo. Hinc supra diximus non solum nascituras, sed tot nascituras quot masculos. Quamvis enim foemina respective ad naturam particularem generantis sit quid occasionatum, et deficiens, quia virtus activa maris ex se, et appetitu naturali intendit producere sibi simile perfectum secundum sexum masculinum (quod autem foemina generetur oritur vel ex debilitate virtutis activae, vel ob materiae indispositionem, vel ob aliquam aliam causam) respective tamen ad naturam universalem foemina non est quid occasionatum, et deficiens, sed est de intentione naturae ad opus generationis ordinata. Et sicut Deus qui est universalis naturae Auctor, eam instituendo, marem et foeminam produxit, sic in progressu generationum illa procedere debebat.

Articulus II.

De conditione prolis generandae in statu innocentiae quoad justitiam, et scientiam.

Dico 1. In statu innocentiae homines nati fuissent in justitia originali, consequenter in gratia sanctificante, quae est radix justitiae originalis. Prob. Justitia originalis erat donum divinum concessum toti naturae humanae. Ergo. Pr. Ant. Opposita sunt unius generis. Atqui peccatum originale, quod opponitur justitiae originali est peccatum naturae, unde traducitur a Parentibus in posteros. Ergo.

Dico 2. In statu innocentiae homines non fuissent nati confirmati in justitia. *S. Th. hic q.* 99. *a* 2. *o.* Pr. Pueri in sua nativitate non habuissent plus perfectionis quam eorum Parentes in statu generationis. Atqui Parentes quamdiu genuissent, non fuissent confirmati in gratia : Ergo. Pr. min. Creatura rationalis de lege ordinaria, et secluso privilegio speciali, non confirmatur in justitia, nisi per claram Dei visionem, cui viso non potest non inhaerere. Ergo. Dixi *secluso privilegio speciali*, quale creditur concessum B. Virgini.

Dico 3. Pueri in statu innocentiae non fuissent nati perfecti in scientia, facile tamen processu temporis eam acquisivissent. Pr. 1. Pars. De his, quae sunt supra naturam, ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturae conditionem. Atqui naturale est homini non habere scientiam congenitam, sed paulatim per sensus acquirere, nec contrarium habemus revelatum pro posteris Adae innocentis. Ergo.

Pr. 2. Pars. Homines in statu innocentiae habuissent plures praerogativas tam ex parte corporis quam ex parte animae, quibus juvarentur ad acquirendas scientias, sive addiscendo a Parentibus; sive inveniendo : Ex parte corporis juvaret impassibilitas, perpetua valetudo, firmitas virium, et integritas sensuum tam interiorum, quam exteriorum, ex parte animae ingenium perspicacissimum, memoria felicissima, judicium excellentissimum, et propensio ad scientiam. Ergo. Et advertendum quod Adam genuisset Filios tales, qualis ipse erat in quantum ad accidentia naturalia, aut gratuita totius naturae, non quantum ad accidentia individualia, qualis fuit scientia ipsi infusa, quatenus erat institutus Pater, et instructor totius generis humani.

Si dicatur ignorantiam esse ex peccato, hoc verum est de ignorantia, quae est privatio scientiae debitae, non vero de ea, quae est privatio scientiae pro tunc non debitae inesse, quae est simplex nescientia, non ignorantia. Porro pueri in statu innocentiae habuissent scientiam, quae eis competebat secundum

illud tempus, puta aliquam Dei notitiam, et principiorum universalium juris naturae, per quam possent discernere inter bonum, et malum, inter noxium, et innoxium.

Dico 2. Pueri mox nati in statu innocentiae non habuissent perfectum usum rationis; Quia hic pendet ex usu perfecto virium sensitivarum, unde ligato sensu, et impeditis viribus sensitivis homo perfectum usum rationis non habet; atqui in statu innocentiae in infantibus, sicut nunc, impeditus fuisset perfectus usus virium sensitivarum per nimiam humiditatem cerebri. Ergo. Habuissent tamen perfectiorem usum rationis, quam nunc, quantum ad ea, quae ad eos pertinebant secundum statum puerilem, sicut superius diximus de usu membrorum. S. Th. hic q. 101. a. 2. o.

DISSERTATIO VII.

De loco Hominis, qui est Paradisus

Articulus I.

Utrum Paradisus sit locus corporeus, et ubi situs sit.

Paradisus graece, latine Hortus, interdum sumitur pro statu verae beatitudinis ut Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Interdum pro horto singulariter amaeno ut Cant. 4. *Emissiones tuae Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* De Paradiso agitur hoc ultimo sensu accepto, in quo dicuntur collocati primi Parentes; Philo, et Origenes totam historiam Paradisi, quam narrat Moyses c. 2. Genes. intelligunt allegorice. Contra quos.

Dico 1. Paradisus, de quo agitur Genes. 2, est locus vere corporeus. Pr. Quae Scriptura narrat de Paradiso, litteraliter intellecta, significant locum corporeum, et inde nullum sequitur inconveniens. Ergo ex principio S. Augustini communiter recepto, Paradisus est locus vere corporeus. Pr. ant. 1. Genes. 2. dicitur *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis a principio, et in eo posuit hominem, quem formaverat.* Atqui plantari est proprie rei corporeae, et homini, utpote corporeo competebat locus corporeus. Ergo. 2. Ibidem. Iste locus irrigabatur fonte, qui in quatuor flumina divisus est, quorum duo Tigris, et Euphrates etiam hodie sub propriis nominibus fluunt. Ergo. 3. Ibid. Iste locus erat consitus plantis, et arboribus corporeis nimirum pulchris visu, et ad vescendum suavibus juxta id quod c. 3. dicitur *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus, et comedit.* Adde quod primi Parentes post peccatum consuerunt sibi folia ficus, utique in Paradiso existentis. Haec omnia si ad metaphoras detorqueas, corruit Fides Ecclesiae circa omnia, quae credit de peccato primorum Parentum. Unde Epiphanius in Anchorato ait: *Si non sit Paradisus locus sensibilis, non est fons, non ficus, non folia, non comedit Eva, veritas jam fabulata est.*

Observandum tamen est cum S. Augustino 13. de Civit; quod quae commode dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, dicantur; dum tamen et illius historiae fidelissima veritas, rerum gestarum narratione commendata credatur; quod fecit ex Patribus praecipue S. Ambrosius.

Si quaeras quare Deus sciens hominem peccaturum, et in Paradiso non reliquendum, illum tamen creaverit? R. 1. quia erat locus statui innocentiae maxime conveniens, nec Deus punit peccatores antequam peccent. 2. Ut amisso

Paradiso tam ipse Adam, quam nos cognosceremus, quanto bono et ipse, et nos propter peccatum privati sumus, indeque peccatum majori odio haberemus. 3. Quia probabile est Henoch et Eliam etiam nunc in ipso habitare

Dico 2. Paradisus terrestris est aliquis locus particularis, et non tota terra. Pr. 1. Genes. 2. dicitur, quod Deus hominem extra Paradisum creatum, postea posuerit in Paradiso, et cap. 3. quod post peccatum eum ejecerit de Paradiso; non autem ejecit illum de tota terra. Ergo 2. Expulso Adamo e Paradiso Deus collocavit Cherubim ad Paradisi portam, ut homines ab ejus ingressu arceret. Ergo.

Si dicas quomodo si Adam non peccasset omnes ejus posteri potuissent contineri intra angustias alicujus loci particularis, licet ampli, et extensi? Respondent quidam longe minorem futurum fuisse numerum posterorum Adae innocentis, quam Adae lapsi. Quod cum nullo satis firmo fundamento nitatur, respondetur cum distinctione. Si Adam non peccasset, omnes ejus posteri habitassent in Paradiso terrestri stricte dicto N. late dicto C. Quamvis enim tota terra non fuisset iste Paradisus, fuisset tamen ad instar Paradisi, quatenus licet non habuisset omnem omnino ornatum, quem habebat Paradisus, nulli tamen maledictioni fuisset obnoxia, sed ad convenientem, et commodam humani generis habitationem benedicta, et fecundata.

In hanc sententiam adducimur 1. quia Deus Genes. 2. dixit primis Parentibus *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*; pro qua non intelligitur parvus angulus terrae, sed universa terra conformiter ad foecunditatem promissam; insuper homines ex concessione Dei debebant dominari universae terrae, et omnibus animantibus in ea. 2. quia dicitur Isaj. 41. *Dominus fecit terram, ipse Plastes ejus, non in vanum creavit eam, ut habitaretur formavit eam*; sine habitatoribus autem fuisset vana, et inutilis, inculta, sylvestris, indecora. 3. Quia non est verisimile tot homines quot promittebantur ex benedictione Dei, potuisse habitare in ambitu unius horti.

Sed quomodo homines in universam terram dispersi potuissent edere de ligno vitae in solo Paradiso plantato, ad praeveniendos senectutis defectus? Nonne praeceptum de non edendo ligno scientiae, non solum Adae, sed etiam posteris imposito, fuisset multis inutile? Insuper docet S. Thomas hic a. 2. Paradisum esse locum convenientem habitationi hominum secundum primae immortalitatis statum, qui futurus erat communis omnibus Posteris, si Adam non peccasset. Ergo. R. ad primum lignum vitae fuisse multiplicandum in diversis regionibus terrae, vel ex sola virtute supernaturali animae indita super corpus, provisum fuisse immortalitati hominum. Ad 2. Supposito quod lignum scientiae non fuisset multiplicandum, dicendum non esse inconveniens, quod quidam a transgressione praecepti communis per accidens, et defectu occasionis eximantur, praesertim cum potuissent aliunde peccare. Ad 3. jam dixi, quod quamvis universa terra non omnem Paradisi amaenitatem haberet, esset tamen ad instar Paradisi, sicque locus conveniens homini secundum immortalitatis statum.

Dico 3. Probabilius est Paradisum terrestrem esse in Oriente. Ubi enim Vulgata nostra Gen. 1. ait. *Plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis ab initio* Hebraice legitur *Plantaverat Deus hortum Eden ab Oriente*, sive ut vertunt 70 Interpretes *ad Orientem*. Est praeterea Oriens juxta Philos. in 2. Coel. dextera Coeli, unde pars nobilior, nec dubium est, quin Paradisus in loco terrae nobilissimo sit constitutus. In qua autem parte determinata Orientis incertum est, cum sint hac de re variae admodum opiniones, nec ulla certo fundamento nitatur.

Dico 4. Probabilius est etiam nunc existere Paradisum terrestrem. Est contra Eugubinum, Ekium, Pererium, et alios recentiores.

Pr 1. Quia sic communiter tenent SS. Patres Basil. in Hexam.; Justin. in QQ. ad Orthod. q. 85, Irenaeus l. 5. con. Haer. c. 5. Athanas. in epist. de Decretis Syn. Nicaen; Theodor. q. 29. in Gen., S. Thom. hic. a 1. ad 3. a 2. ad 3., et 3. p. q. 49. a 5. ad 2. Hos sequuti sunt scholastici Abulensis, Cajet., Bellarminus, et alii. Imo Augustinus de peccat. origin. docet existentiam Paradisi terrestris pertinere ad Fidem christianam. Cum enim dixisset posse salva fide disputari *qualis vel ubi sit Paradisus*, subjungit *Cum tamen esse illum Paradisum fides christiana non dubitet.*

2. Quia nulla sufficienti ratione, aut auctoritate evincitur Paradisum non amplius existere. 3. Secundum sensum communem fidelium Henoch, et Elias translati sunt in locum amaenum a consortio hominum segregatum, et Vulgata Eccli. 44. habet *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus poenitentiam.* Quando vere Paradisus solitarie, et sine adjunctis ponitur, ut hic, advertunt Interpretes quod significet Paradisum coelestem, aut terrestrem, qui coelestis est figura.

Si dicas Paradisum terrestrem aquis diluvii obrutum periisse. R. 1. Etiam hoc dato, potuisse sicut alia loca terrae paulatim postea suum virorem, et decorem, saltem magna ex parte recuperare. 2. resp. quod sicut Henoch fuit ab aquis diluvii miraculose praeservatus, ita Paradisus propter ipsum aquis diluvii non fuit obrutus. Eodem enim modo ac dicitur in Scriptura, quod aquae diluvii operuerunt omnem terram, dicitur pariter, quod universi homines qui non erant cum Noe in arca, mortui sunt, et tamen Henoch non est mortuus. Sicut ergo Scriptura intelligenda est de omnibus Hominibus mortalem vitam communi modo agentibus, ita intelligenda est de omni terra, quae erat ab Hominibus peccatoribus habitabilis, et data, ut communi hominum peccatorum usui serviret. Indeque sequitur, quod quamvis Deus potuisset commode conservare Noe cum sua familia in Paradiso, non erat tamen conveniens, erat enim Paradisus a Deo destinatus hominibus innocentibus, et non iis, qui aerumnis, et miseriis hujus vitae erant obnoxii. Quod autem nullus Hominum hucusque invenerit Paradisum, respondet S. Thom. hic a 1. ad 3. locum illum seclusum esse a nostra habitatione aliquibus impedimentis vel montium, vel marium, vel alicujus aestuosae regionis, quae pertransiri non possent, vel dic speciali Dei providentia effici, ut Homines in hunc locum non incurrant.

Articulus II.

De ligno scientiae boni, et Mali

Petes 1. Utrum lignum scientiae boni, et mali sit vera, et realis Arbor? R. Affirmative ex Gen. 2. *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave, lignum vitae in medio Paradisi, et lignum scientiae boni, et mali.* Sicut ergo caetera ligna erant verae, et reales arbores, ita et lignum scientiae boni, et mali.

Petes 2. Quae speciatim Arbor fuerit? R. id esse incertum. Multi conjiciunt esse malum ex Cant. 8. *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*, quod intelligunt de Eva, et canit Ecclesia „ Quando pomi noxialis in necem morsu ruit. „

Petes 3. Unde haec arbor dicta est scientiae boni, et mali? R. cum S. Aug. l. 14. de Civ. c. 17, et Auctore hic, dictam fuisse scientiae boni, et mali ab eventu, quatenus primi Parentes per ejus esum experimentaliter noverunt quantum bonum amiserant, et quantum malum incurrerant.

Petes 4. Quomodo primi Parentes consuerunt folia ficus ad nuditatem te-

gendam? R. usos fuisse pro filo herbis longioribus, et solidioribus, acu autem non indigebant pro perforandis foliis ficus.

Petes 5. Quos obligabat praeceptum de non comedendo fructu ligni scientiae boni, et mali? R. Quamvis praeceptum soli Adae fuerit immediate intimatum, obligabat etiam Evam, et omnes Adae posteros, si status innocentiae perseverasset. Patet de Eva 1. ex ejus verbis ad Serpentem Genes. 3. *Praecepit Nobis Deus ne comederemus* 2. ex poenis quas incurrit; perdidit namque post esum gratiam sanctificantem, statum innocentiae, et omnia dona illi annexa, et facta est obnoxia doloribus, aerumnis, et morti. Par autem poena supponit par peccatum. Prob. de posteris. Protestatio divinae subjectionis, et obedientiae, ad quam erat impositum hoc praeceptum, debebat esse perpetua, nec minus conveniebat filiis quam Parentibus, unde licet immediate intimatum soli Adae non erat praeceptum personale, sed totam naturam ab Adamo propagandam spectabat.

Petes 6.° Utrum hoc praeceptum obligaret sub mortali? R. affirmative. 1.° Quia propter ejus transgressionem Adam, et Eva amiserunt vitam animae, et corporis 2. Quia licet materia videatur levis, attento fine praecepti erat gravis, impositum enim erat, ut homo per ejus observantiam protestaretur Deo suam subjectionem, obedientiam, et gratitudinem pro tot, ac tantis beneficiis acceptis.

Petes 7. Utrum Eva tentata fuerit a Diabolo per serpentem verum, et naturalem, quo Diabolus usus est ut instrumento ad formandas voces humanis similes. R. affirmative, et quoad primam partem est contra Haereticos Ophitas, quoad secundam vero cont. Cajetanum, qui in c. 3. Gen. docuit Diabolum tentasse Evam per solam suggestionem interiorem, metaphorice intelligens, quae dicuntur de Serpente. Prob. 1. pars ex Sap. 2. *Invidia Diaboli mors intravit in Mundum*, et ex Jo. 8. *Diabolus fuit homicida ab initio* 2. Illa tentatio non potuit esse nisi a creatura intellectuali; atqui non ab homine, quia praeter Adam nullus alius adhuc erat, et etiamsi fuisset non potuisset formare vocem per Serpentem. Ergo ab Angelo, non quidem bono, qui tanti mali non fuit auctor; ergo ab Angelo malo, seu Diabolo. Pr. 2. Pars. 1.° Gen. 3. dicitur. *Sed et serpens erat callidior omnibus animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem.* Et infra. *Et ait Dominus Deus ad Serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae. Super pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus diebus vitae tuae.* In primis in his locis fit comparatio inter serpentem, et caetera animalia terrae. Sed comparatio esset inepta, si per serpentem intelligatur Diabolus, aut fictus serpens. Item cum dicitur *maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae*, aperte significatur, ipsum esse de numero animantium, et bestiarum terrae. Denique quae adduntur super pectus tuum gradieris, et terram comedes nonnisi vero, et naturali serpenti conveniunt. 2.° Narratio historica Scripturae non debet transferri ad metaphoras, nisi aliunde constet aperte ea, quae narrantur, fuisse dicta metaphorice, quod hic non currit; et si Diabolus sine corpore assumpto vocatur metaphorice quandoque in Scripturis *Draco*, et *Serpens* Apoc. 12., et Isaj. 27., non sequitur quod in omnibus sic debeat intelligi, praesertim ubi agitur de narratione historica, quando nihil cogit eam ad metaphoricum sensum transferre?

Obj. 1.° Serpens non est callidior cunctis animalibus. Ergo non potest intelligi de vero serpente. R. dici callidiorem 1.° propter Diabolum, qui eo utebatur. 2. tum quia serpens est callidissimus tum ad insidiose nocendum, tum ad se incolumen servandum, unde dixit Christus. *Estote prudentes sicut serpentes.*

Obj. 2. ° Si verus serpens loquutus fuisset, Eva exhorruisset, et statim fugisset. Ergo. R. N. sequelam. Animalia enim tunc erant homini subjecta, nec ei poterant nocere. Quod vero loqueretur serpens, Eva id existimavit fieri ab aliquo spiritu, non refle-

ctens an bono, vel malo. Vel ut alii dicunt, putavit Eva non assentiendo, sed cogitando secum, num serpens haberet aliquam vim loquendi. Conditio enim mulieris non exigebat tam perfectam cognitionem rerum naturalium, sicut exigebat conditio viri. Et certo poterat Diabolus sine miraculo formare per serpentem ex aëre voces, humanis similes, sicut fecit Angelus per asinam Balaam. Num. 22., et ad eam tentandam necesse habuit uti exterius aliqua re sensibili, cum minimum potestatis haberet in hominem in statu innocentiae, sicque non poterat in ejus phantasiam immediate agere, ut eam mutaret.

Obj. 3.° Maledictio lata in serpentem Gen. 3. non convenit vero, et naturali serpenti, ut *quod super pectus suum gradiatur, et quod terram comedat*, id enim est ipsi naturali. Ergo. R. Maledictionem latam in serpentem sensu naturali verum, et naturalem serpentem afficere, sic ut quae ipsi erant naturalia, eo quod fuerit instrumentum Diaboli, facta sint illi infamia, et probrosa; sensu autem mystico, quem Spiritus S. hic videtur praecipue intendere, afficit Daemonem, ut ex Augustino explicat S. Thomas.

Petes 8.° Quare Deus permisit tentari primos Parentes, quos praescierat peccaturos? 2. August. l. 11. de Gen. ad litt. c. 4. *Si ergo quaeritur, cur Deus permiserit tentari hominem, quem tentationi consensurum esse praesciebat? Altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas esse confiteor.* Nihilominus alibi varias rationes affert. 1. ut manifestaret sua attributa, omnipotentiam, qua de malo elicit bonum, justitiam puniendo, et misericordiam parcendo. 2. quia ad ejus providentiam generalem pertinet, unumquodque in sua natura relinquere, sicque sinere homines libero arbitrio praeditos pro sua libertate resistere vel cedere tentatori, et hinc 3. manifestaret homini infirmitatem suam, ostenderetque, quid liberum arbitrium ex se posset, licet gratia sit instructum.

DISSERTATIO VIII.

De peccato primorum Parentum, et ejus poena. D. Thom. 2. 2. Quaest. 163., et 164.

Articulus unicus.

Quodnam fuerit, et quam grave peccatum primorum Parentum.

Dico 1. Primum peccatum primorum Parentum fuit superbia. Pr. ex Script. Eccl. 10. dicitur. *Initium superbiae hominis*, hoc est primus superbiae hominis actus *apostatare a Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia.* Ubi manifestum est sermonem esse de primo peccato hominis, et non Angeli. Tob. 4. Tobias morti proximus Filium suum his verbis hortatur. *Superbiam ne unquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Pr. 2. ex Patribus S. Aug. l. 11. de Gen. ad litt. c. 5. *Neque arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi praecepisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda:* et l. 14. de Civ. c. 13., S. Ambr. serm. 14. in Ps. 118., S. Prosper. l. 2. de vit. contempl. c. 19. de primis Parentibus dicit *Non desererent Deum, nisi superbirent, et similitudinem Dei miserabiliter appetiissent*, S. Leo serm. 5. de Nativ., S. Gregor. lib. 34. Moral. c. 17.

Pr. 3. ratione. Primi Parentes non potuerunt peccare ex affectu objecti sensibilis, cum appetitus inferior esset perfecte subjectus rationi, et ratio Deo; nec appetitus inferior poterat deordinari, nisi superior prius deficeret a Deo.

Ergo primo peccaverunt primi Parentes ex appetitu boni spiritualis ultra mensuram sibi competentem, qui est nimius amor propriae excellentiae, ideoque superbia. Observandum tamen est superbiam non fuisse solum peccatum, sed plura fuerunt ei conjuncta. Itaque secundum Evae peccatum fuit infidelitas, seu error, quo credidit vera esse verba serpentis. 3. Fuit gula ex Gen. 3. 4. Realis manducatio fructus vetiti, adeoque specialis inobedientia, quae fuit consummatio transgressionis praecepti positivi. 5. Scandalum, inducendo virum ad peccatum. Secundum peccatum Adae fuit inordinatus amor Uxoris, ut patet ex verbis excusationis; *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*:3. Fuit gula. 4. Specialis inobedientia, seu actualis manducatio fructus vetiti.

Restat non levis difficultas an Adam fuerit seductus. Quamvis Apostolus 1. Tim. 2. dicat *Adam non est* seductus, *mulier autem seducta in praevaricatione fuit.* Attamen SS. Patres comuniter ex altera parte censent Adamum fuisse seductum. Ad horum conciliationem varii varias ineunt vias; salvo meliori judicio pro conciliatione sic existimo distinguendas esse seductiones. Alia est seductio in errorem formaliter contra fidem; alia est seductio in peccatum, seu etiam in errorem, sed non formaliter contra fidem, sed materialiter tantum. Adam itaque seductus fuit in peccatum, seu etiam in errorem, vel quia dubitavit, an poena mortis esset irremissibiliter statuta, an tantum comminatio remissibilis; vel quia credidit esum ligni ratione levitatis materiae esse leve peccatum, vel quia credidit, quod per hunc esum acquireret aliquam, et imperfectam Dei similitudinem in scientia boni, et mali; isti errores non sunt formaliter, et aperte contra Fidem, sed materialiter tantum. E contra Eva quatenus reflectens ad verba serpentis *cur praecepit vobis Deus* credidit, juxta August. l. 11. de Gen. ad litt. c. 42. et S. Th. 2. 2. q. 263. a. 1. ad 4., expressius a. 4. Deum ex invidia prohibuisse ipsi, et Adamo esum ligni scientiae boni, et mali, ne ad ejus similitudinem pervenirent, sicque voluit habere aliquid contra Dei voluntatem, quod est formaliter, et aperte errare contra fidem. Non autem id credidit Adam, sicque verum est, quod dicit Apostolus quod Adam non fuit seductus, et Eva fuit seducta. Unde quando quidam Patres accusant Adam infidelitatis, aut dicunt eum amisisse fidem, intelligendi sunt de infidelitate, et fide materialiter sumptis.

Nota, superbiam primi hominis fuisse in hoc, quod appetierit inordinate divinam similitudinem, non ad aequalitatem, quae non cadit in apprehensione saltem sapientis, sed secundum quamdam imitationem seu participationem in scientia boni, et mali ultra mensuram sibi competentem. Unde serpens non dixit *eritis Dii*, sed *eritis sicut Dii*, et Deus non dixit: Ecce Adam Deus effectus est, sed *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum, et malum.*

Dico 2. Peccatum primorum Parentum non fuit omnium peccatorum gravissimum simpliciter et absolute, sed tantum secundum quid. Patet prima pars, quia peccatum primi Parentis, quod fuit superbia non fuit gravissimum secundum speciem, et ex objecto; peccata enim, quae sunt directe contra Deum, et quae opponuntur virtutibus theologicis sunt hac ratione graviora quam superbia. Patet etiam secunda pars, quia peccatum primi hominis fuit gravissimum. 1. Ratione conditionis Personae peccantis, cui erat facillimum non peccare, unde Aug. l. 14. de Civ. c. 15. dicit. *Magna fuit in peccando iniquitas, ubi tanta fuit in non peccando facilitas.* 2. Ratione nocumenti, hoc enim peccatum infecit totam naturam humanam.

Dico 3. Si peccatum Adami, et Evae considerctur secundum genus, utrumque fuit aequale, quia utrumque fuit superbia. Si consideretur secundum speciem peccatum Evae fuit gravius, quia credidit serpenti, Deum prohibuisse esum hujus ligni ex invidia, ne fierent Deo similes, unde appetiit similitudinem divi-

nam contra agnitam Dei voluntatem. At id non credidit Adam, et ideo non appetiit divinam similitudinem contra Dei agnitam voluntatem, sed ut possibilem obtentu per seipsum, sicque gravior fuit superbia Evae, quam Adae. Si vero consideretur utrumque peccatum ex conditione Personae peccantis, gravius peccavit Adam quam Eva, quia erat illa longe perfectior secundum Animam.

Itaque peccatum Evae fuit simpliciter, et absolute gravius peccato Adae, peccatum autem Adae fuit gravius secundum quid, et hinc solvuntur argumenta, quae opponi possunt.

Articulus II.

De poenis peccati, et de poenitentia primorum Parentum.

Dico 1. Prima poena utrique parenti communis per se, et directe a Deo imposita, est amissio justitiae originalis, et supernaturalium donorum illi connexorum. Homo enim per peccatum amisit gratiam, et mens ejus a divina subjectione recessit, et inde consequutum est, quod nec vires inferiores subjicerentur amplius totaliter rationi, nec corpus animae, atque hinc necessitas moriendi, et omnes hujus vitae poenalitates.

Secunda poena communis est mors. Et patet quia privatio propter culpam beneficii accepti est poena. Atqui primi parentes erant beneficio Creatoris immortalitate donati. Ergo. Et potest dici aliquo sensu, quod post esum fructus vetiti eodem die sint mortui, quatenus dispositione corporis in deterius mutata, tendebant ad mortem.

Prima poena Mulieris explicatur his verbis *Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos*, hoc est multitudinem afflictionum, quas Mulier patitur, ex hoc quod portat conceptum in utero, quas etiam patiuntur steriles propter incommoda, toedia, dolores, aegritudines ex materia ad conceptum ordinata.

Secunda poena Mulieris est haec; *in dolore paries Filios*; in statu enim innocentiae Mulieres absque dolore peperissent. Tertia poena Mulieris sic exponitur. *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* In statu innocentiae subjectio erat grata, el libera, et mulier nihil concupiebat, quod repugnaret voluntati viri; et dominium viri erat liberum, directivum tantum, et nihil praecipiebat, nisi suaviter, et honeste, et quod erat rationi, et voluntati uxoris consonum. Nunc mulier ex sua parte saepe inordinate concupiscit, ob quod renuit obedire viro, aut si obediat, nonnisi aegre, et cum molestia. Vir ex sua parte saepe irrationabilia exigit, dure imperat, aut nimis severe punit. Sicque subjectio Mulieris ad virum est poena Mulieris.

Poena propria hominis est; *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.* Non quod natura terrae sit mutata, sed quae erat a Deo benedicta, et foecundata, ut sine labore, aut cum levissimo, uberrimos fructus produceret, suae nativae sterilitati relicta, nihil profert, nisi gravissimis laboribus exculta. *Spinas et tribulos germinabit tibi.* Attende ad vocabulum *tibi*, quia licet ante peccatum germinaret etiam tribulos et spinas, non tamen homini nocivos, nec in terris ab homine excultis, aut excolendis sicut nunc. *In sudore vultus tui vesceris pane.* Per panem intelligitur omnis cibus. Nunc enim nonnisi magno labore haberi possunt necessaria victui, quae in statu innocentiae terra sponte protulisset. Qui autem agriculturam non exercent, aut corporaliter non laborant, in aliis laboribus occupantur.

Dices; si morbi, caeteraeque poenalitates essent poena peccati primorum Parentum, deberent esse in omnibus aequales. Falsum consequens. Ergo et Ant. R. Dist. Si poenalitates essent poena peccati primorum Parentum per se primo,

et directe imposita, deberent esse in omnibus aequales. C. Si esent poena, per accidens tantum consequens ad primam, et directam poenam, deberent esse aequales in omnibus N. Poena per se, et directe a Judice, aut a lege taxata, quae semper servat aequalitatem cum proportione ad legem, et peccatum, debet esse aequalis in omnibus aequaliter peccantibus, non vero poena per accidens consequens ad primam, et directam. Porro poena per se, et directe imposita peccato primorum Parentum est privatio justitiae originalis, quae est aequalis in omnibus; caeterae poenalitates sunt poena per accidens, sequentes ad privationem justitiae originalis juxta varias Personarum conditiones, et complexiones, et varias divinae providentiae dispositiones, unde non debent esse in omnibus aequales,

Dico 2. Adam poenitentiam egit de suo peccato, et veniam obtinuit. Pr. 1. Sap. 10. dicitur. *Haec* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo Pater orbis terrrarum, cum solus esset creatus custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Educere a delicto, est liberare a Peccato. 2. Ex Patribus S. Greg. Mag. l. 6. Ep. 31. *Adam postmodum per poenitentiam ad vitam rediit.* Iren. l. 3. c. 37., August. serm. 104. de temp. Suadetur etiam ex benignitate, qua Deus Adamum correxit, et punivit.

Dico 3. Adam aeternam salutem consequutus est. Pr. 1. ex Script. Sap. 9. dicitur. *Per sapientiam sanati sunt, qui tibi placuerunt Domine*, et versu sequenti horum primus nominatur Adam. *Haec illum, qui primus formatus est a Deo eduxit a delicto suo.* Non solet autem Scriptura dicere de damnatis: quod placuerint Deo. 2. Ex Patribus praesertim S. August. Epist. 99. ad Evodium, *De illo quidem primo homine generis humani, quod cum ibidem Christus ad inferna descendens solverit, Ecclesia fere tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est undecumque hoc traditum, etiamsi canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.* Porro si id tota credat Ecclesia, temerarium foret, et erroneum negare. S. Hilar. in Psal. 119., Gregor. Nazianz. Orat. 31. c. 19. in Matt., Anselm. l. *cur Deus homo* c. 16. et alibi Quod diximus de Adamo, idem de Eva censent communiter Patres, et Theologi.

FINIS PRIMAE PARTIS

INDEX

DISSERTATIONUM, ARTICULORUM, PARAGRAPHORUM, CONSECTARIORUM ETC. QUAE IN HAC PRIMA PARTE CONTINENTUR

PRAELUDIUM de Censuris Theologicis, et prepositionibus damnatis . . . . . pag. 1
§. I. De Censuris Theologicis . . . . . *ibid.*
§. II. Propositiones damnatae in materia fidei vel morum 6
I. Propositiones *Beguardorum, et Beguinarum* . . . . . *ibid.*
II. Duae propositiones in Conc. Gen. Vienn. damnatae . . . . . *ibid.*
III. Tres errores *Joannis de Poliaco* . . . . . *ibid.*
IV. Propositiones damnatae an. 1322. ab Joan. XXII. . . . . *ibid.*
V. Quinque propositiones *Marsilii Patavini, et Joannis de Janduno* 7
VI. Articuli 45. *Joannis Vvicleffi de Anglia* . . . . . *ibid.*
VII. Articuli 30. *Joannis Hus de Bohemia* 9
VIII. Propositio damnata a Concilio Const. 11
IX. Propositiones damnatae in Concilio Basileensi . . . . . *ibid.*
X. Propositiones *Petri Oxomensis*; seu *de Osma* 12
XI. Duae propositiones damnatae a Leone X. an. 1513. . . . . *ibid.*
XII. Errores *Martini Lutheri* . . . . *ibid.*
XIII. Propositiones *Michaelis Baji* . 14
XIV. Propositio damnata a Clem. VIII. an. 1602. 19
XV. Propositio asserens aequalitatem SS. Petri, et Pauli . . . . *ibid.*
XVI. Quinque propositiones *Cornelii Jansenii* . . . . . *ibid.*
XVII. Propositiones damnatae ab Alexandro VII. an 1659 20
XVIII. Propositiones 45. damnatae ab Alexandro VII. an. 1666. . . . *ibid.*
XIX. Propositiones 65. damnatae ab Innocentio XI. an. 1679. . . . 23
XX. Propositiones duae ab eodem Pontifice damnatae 23. Novembris 1679. 26
XXI. Propositio damnata in Decreto S. Congr. Gen. Inquis. 18. Novembris 1682. auctoritate Inn. XI. edito. . . . . *ibid.*
XXII. Propositiones 65. *Michaelis de Molinos* . . . . . *ibid.*
XXIII. Propositiones duae damnatae ab Alexandro VIII. 24. Augusti 1690. 94
XXIV. Propositiones 31. damnatae ab eodem Pontifice 7. Decemb. 1690. *ibid.*
XXV. Theses 21. extractae ex libro Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure, par M. François de Salignac, Fénélon Archevêque de Cambray, . 33
XXVI. Propositiones 101. *Paschasii Quesnel* 34
XXVII. Quinque de duello propositiones damnatae a Benedicto XIV. 9. Nov. 1752. 39
XXVIII. Propositiones damnatae a Pio VI. 28. Aug. 1794 . . . 40
XXIX. Errores aliquot insinuati in libello *Josephi Valentini Eybel* inscripto, „ Quid est Papa ? . 56

PROOEMIUM 57

TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS

DISSERTATIO I. *De Scriptura Sacra* 64
Art. I. Quid sit, et an sit Sacra Scriptura? . . . . . *ibid.*
Petes utrum singula Scripturae verba sint a Spiritu Sancto dictata? . 65
Art. II. De Scripturae Sacrae divisione, apographis, et versionibus . *ibid.*
Petes 1. Quomodo dividatur Scriptura Sacra? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Qua lingua scripta fuerit originaliter Scriptura Sacra? . . 69
Petes 3. Quae sit auctoritas textus Hebraici, et Graeci, nec non editionis 70? 70
Petes 4. Quae sit auctoritas vulgatae editionis? . . . . . *ibid.*
Petes 5. In quibus vulgata editio sit authentica, an in omnibus, an in aliquibus tantum, et in quibus? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Utrum liceat legere Scripturam Sacram in lingua vulgari? 71
Art. III. De Scripturae Sacrae sensibus? . . . . . *ibid.*
Petes 1. Quotuplex sit sensus Scripturae Sacrae? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum omnis textus Scripturae habeat sensum litteralem? 72
Petes 3. Utrum textus Scripturae possit habere plures sensus litterales? . . . . . *ibid.*
Petes 4. An in quolibet textu Scripturae quatuor sensus assignati reperiantur? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Quis sensus sit potior, an litteralis, vel spiritualis? . . *ibid.*
Petes 6. Utrum sensus Scripturae sit obscurus? . . . . . *ibid.*
Petes 7. Cujus sit judicare de vero sensu Scripturae? 73
Petes 8. An non sint quaedam Regulae ad dignoscendum sensum litteralem Scripturae? . . . 74
DISSERTATIO II. *De Traditionibus.* 76
Art. I. Quid, et quotuplex sit Traditio, et quantae auctoritatis? *ibid.*
Petes, quae sit regula dignoscendi traditionem in communi, deinde dignoscendi esse divinam? . . 77
Art. II. Utrum Traditiones divinae sint necessario admittendae? . 78
DISSERTATIO III. *De Ecclesia.* . 82
Art. I. Quid sit Ecclesia, et qui sint in ea? . . . . . *ibid.*
Art. II. Utrum Ecclesia sit visibilis. 85
Petes Utrum visibilitas competat sectis Haereticorum. 87
Art. III. De Notis verae Ecclesiae., 88
§. I. An sint, et quae sint Notae verae Ecclesiae? . . . . *ibid.*
Vera Ecclesia est una. . . . . *ibid.*
Vera Ecclesia est sancta . . . . *ibid.*
Vera Ecclesia est Catholica, seu universalis. . . . . *ibid.*
Vera Ecclesia est Apostolica. . 89
§. II. Cui Ecclesiae hae quatuor Notae conveniant? . . . . *ibid.*
Art. IV. Utrum Ecclesia possit deficere, seu errare in fide, et moribus 91
Petes utrum Ecclesia sit infallibilis in approbatione Ordinum Religiosorum? 92
Art. V. Utrum Ecclesia sit supremus Judex controversiarum fidei? . 94
Art. VI. Utrum judicium Ecclesiae de sensu librorum, seu ut vocant de factis dogmaticis sit infallibile? 96
Solvuntur objectiones. 98
CONSECTARIUM de appellatione a Constitutione UNIGENITUS ad Concilium generale futurum? . 100
Art. VII. Utrum Ecclesia sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum? 105
DISSERTATIO IV. *De summo Pontifice.* 107
Art. I. De Primatu S. Petri. . . *ibid.*
Solvuntur Objectiones. 108
Art. II. De Primatu Romani Pontificis. 110
Solvuntur objectiones 112
Art. III. De infallibilitate, seu inerrantia Summi Pontificis in definiendis quaestionibus Fidei, et Morum. 115
§. I. Praenotanda. . . . . *ibid*

§. II. Communis sententia asseritur, et invictis Scripturae testimoniis probatur. 116
§. III. Probatur conclusio ex Patribus. 118
§. IV. Probatur ex Conciliis, et Pontificibus. 120
§. V. Probatur conclusio ex Patribus, Episcopis, et Theologis Gallicanis. 122
§. VI. Probatur conclusio rationibus. 123
§. VII. Probatur ex absurdis adversae Sententiae. 124
§. VIII. Praecluditur commune, et praecipuum effugium Adversariorum. 135
Petes utrum qui propositionem a Summo Pontifice damnatam defenderet esset Haereticus? . 126
Art. IV. Solvuntur objectiones. . *ibid.*
Art. V. De Praeeminentia summi Pontificis supra Concilium generale. 130
Art. VI. Solvuntur objectiones. . 133
DISSERTATIO V. *De Concilio Generali.* 139
Art. I. Cujus sit convocare Concilium generale? . . . . *ibid.*
Art. II. De convocandis ad Concilium generale, et illius Praeside? . 140
Petes 1. Qui sint de jure vocandi ad Concilium generale. . . *ibid.*
Petes 2. Quis Episcoporum numerus requiratur ad Concilium generale? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum Episcopi in Concilio sint vere judices; an consiliarii tantum? 141
Petes 4. Cujus sit praesidere Concilio generali. . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum Concilium generale sit infallibilis in definiendis quaestionibus fidei, et morum . *ibid.*
Art. IV. Utrum Concilium generale debeat necessario confirmari a Summo Pontifice? 143
Petes quot sit Concilia generalia? . 144
DISSERTATIO VI. *De auctoritate SS. Ecclesiae Patrum.* . . . 145
Art. I. Qui sint Sancti Ecclesiae Patres, et quae eorum auctoritas? *ibid.*
Art. II. De Regulis argumentandi ab auctoritate SS. Patrum. . . 149
DISSERTATIO VII. *De auctoritate Theologorum, et Juris Canonici peritorum.* 150
Art. I. Qui sint Theologi Scholastici, Jurisque Canonici Periti, et quae eorum auctoritas? . . . . *ibid.*
Art. II. De Regulis argumentandi ex auctoritate Theologorum, et Canonistarum. 151
DISSERTATIO VIII. *De Fontibus, seu Locis Theologiae extraneis.* 153
Art. I. De ratione naturali, Philosophia, et Juris prudentia civili. *ibid.*
Art II. De Regulis argumentandi ex tribus indicatis fontibus. . . 155
Art. III. De adminiculis Historiae, et Artis criticae in Theologia. . 156
Art. IV. De Regulis circa usum Historiae, et Criticae in Theologia. 157

TRACTATUS DE DEO, ET DE EJUS ATTRIBUTIS

DISSERTATIO I. *De Dei existentia.* 158
Art. I. Utrum Deum esse sit per se notum. . . . . *ibid.*
Art. II. Utrum sit Deus, et quibus rationibus demonstretur? . . 159
Art. III. Utrum possit dari Ignorantia invincibilis de existentia Dei? 163
Petes utrum extiterint unquam Athei veri nominis? 165
DISSERTATIO II. *De natura, seu quidditate Dei, et ejus attributis in communi.* . . . . *ibid.*
Art. I. Quodnam sit constitutivum divinae naturae? . . . *ibid.*
Petes quomodo divinum intelligere sit radix omnium divinarum perfectionum? 169
Art. II. *De attributis divinis in communi.* 170
An, et quomodo a se invicem, et ab essentia distinguantur? . *ibid.*
Petes 1. An haec propositio „ *Sapientia divina non est formaliter bonitas divina* „ sit vera? . . 175
Petes 2. An vera sit haec propositio „ *Attributum sapientiae est formaliter absolute in se attributum bonitatis?* . . 176

Petes 3. An omnia attributa in Deo sint aequalia? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO III. *De attributis in particulari, quae pertinent ad divinum esse.* . . . . . *ibid.*
Art. 1. De simplicitate Dei. . . . 177
Quaeritur 1. Utrum Deus sit corpus? *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum in Deo sit compositio ex materia et forma? . 178
Quaeritur 3. Utrum Deus careat compositione substantiali ex natura, et supposito? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 4. Utrum Deus sit ita simplex, ut careat compositione substantiali ex essentia, et existentia? 179
Quaeritur 5. Utrum in Deo sint aliqua accidentia, sive utrum sit in eo compositio accidentalis? . 180
Quaeritur 6. Utrum Deus sit ita simplex, ut nullam omnino admittat in se compositionem? . . *ibid.*
Quaeritur 7. Utrum in Deo possit admitti compositio rationis ex genere, et differentia? . . . . *ibid.*
Quaeritur 8. Utrum in compositionem aliorum veniat aliquo modo. . 181
Appendix de Systemate Benedicti Spinosae. . . . . *ibid.*
Art. II. De perfectione Dei. . . . 184
Quaeritur 1. Utrum Deus sit perfectus? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum omnium rerum perfectiones sint in Deo? . . *ibid.*
Quaeritur 3. Quomodo omnium perfectiones sint in Deo? . . . 185
Quaeritur 4. Utrum Deus, et omnes Creaturae simul sint aliquid perfectius, et melius quam Deus solus. 186
Quaeritur 5. Utrum aliqua Creatura possit esse similis Deo . . . *ibid.*
Art. III. De bono in communi. . . 187
Quaeritur in quo praecise consistat ratio boni formalis? . . . . *ibid.*
Art. IV. De bonitate Dei. 188
Quaeritur 1. Utrum esse bonum Deo conveniat? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum Deus sit summum bonum. 189
Quaeritur 3. Utrum bonum per essentiam sit proprium Dei? . . . *ibid.*
Quaeritur 4. Utrum omnia sint bona bonitate divina? 190
Art. V. De infinitate Dei. . . . *ibid.*
Quaeritur utrum Deus sit infinitus secundum essentiam, et rationem entis? . . . . . *ibid.*
Art. VI. De immensitate Dei. . . . 192
§. I. Praenotanda. . . . . *ibid.*
§. II. Utrum Deus sit secundum substantiam in omnibus rebus? . 193
§. III. Utrum existentia substantialis Dei in rebus efficaciter demonstretur ex ejus operatione virtualiter transeunte, et quo genere demonstrationis? . . . 194
Petes utrum Deus sit non solum in omnibus rebus, sed etiam in omnibus locis, ut sunt loca formaliter? 197
§. IV. Utrum Deus sit actu in spatiis imaginariis? 198
Art. VII. De immutabilitate Dei. . 200
Utrum Deus sit omnino immutabilis? . . . . . *ibid.*
Art. VIII. De aeternitate Dei. . . 203
Quaeritur 1. Quid sit aeternitas? . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum Deus, et ipse solus sit aeternus? 204
Quaeritur 3. Utrum aeternitas habeat rationem verae durationis respectu Dei? 205
Quaeritur 4. Utrum aeternitas habeat rationem mensurae respectu Dei? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 5. Utrum aeternitas habeat rationem mensurae respectu creaturarum? 206
Art. IX. De unitate Dei. 207
Quaeritur utrum Deus sit Unus? *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De Visione Dei a nobis.* 209
Art. 1. Utrum essentia divina videri possit oculo corporeo? . . *ibid.*
Art. II. Utrum intellectus creatus supernaturaliter adjutus possit videre Deum, ut in se est? . 211
Petes utrum possibilitas visionis beatae possit solo lumine naturali demonstrari, aut cognosci? . . 213
Art. III. Utrum aliquis in hac vita viderit, possitve videre Deum, ut est in se? 214
Petes utrum hoc privilegium videndi Deum in hac vita mortali fuerit concessum alicui alteri a Moyse et Paulo? . . . . . *ibid.*
Art. IV. De lumine gloriae. . . . 215

§. I. Utrum intellectus creatus indigeat lumine gloriae ad videndam Dei essentiam? . . . . . *ibid.*
§. II. Quid sit lumen gloriae? . . 216
Petes 1. Quot sint munia luminis gloriae? 217
Petes 2. utrum in omni agente creato congenita sit potentia obedientialis activa immediate quorumcumque effectuum supernaturalium, mediante solo concursu supernaturali? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum de potentia Dei absoluta sit creabilis intellectus, cui connaturale sit lumen gloriae? *ibid.*
§. III. Quomodo lumen gloriae, et intellectus concurrant ad visionem beatificam? 218
Art. V. Utrum essentia divina videatur, aut videri possit per aliquam similitudinem, seu speciem? 219
Petes utrum essentia divina in Visione beata gerat vices speciei impressae, et expressae? . . 221
Art. VI. Utrum Beati inaequaliter videant Deum, et unde oriatur ista inaequalitas? 222
Art. VII. Utrum Beati videntes Deum, ipsum comprehendant, aut comprehendere possint, saltem de potentia Dei absoluta? . . . 224
Art. VIII. De objecto Visionis beatificae. 226
§. I. Quid de Deo videant Beati? . *ibid.*
§. 2. Utrum videntes Deum videant omnia, quae Deus facit, et facere potest? 227
§. III. Quomodo Beati videant creaturas in Deo? 229
Petes 1. An Beati videant creaturas in Verbo tamquam in specie immediate illas repraesentante, seu tamquam in medio quo? . . . 230
Petes 2. Utrum ea, quae Beati vident, videant per aliquas similitudines? *ibid.*
Petes 3. Utrum ea, quae Beati vident in Deo, simul ab initio videant? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum sit absolute impossibile Deum videre ut est in se, nulla visa in eo creatura? . . 231
Petes 5. Utrum creaturae videantur in Deo tamquam in speculo? . *ibid.*
Petes 6. Quae sit mensura Visionis beatificae? . . . . . *ibid.*
Art. IX. De nominibus Dei. . . . *ibid.*
Quaeritur 1. Utrum possit imponi aliquod nomen Deo, quod ipsum est significet? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Quae sint praecipua Dei nomina? 232
Quaeritur 3. Utrum omnia nomina dicta de Deo sint synonyma? . *ibid.*
DISSERTATIO V. *De scientia Dei.* *ibid.*
Art. I. Utrum in Deo sit scientia proprie dicta, eaque sit attributum? 233
Art. II. De objecto, et divisione scientiae Dei. 234
Petes 1. Quousque se extendat scientia Dei? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quodnam sit objectum formale, et primarium scientiae divinae? 235
Petes 3. Quotuplex sit scientia in Deo? . . . . . *ibid.*
Art. III. An, et quae scientia in Deo sit caussa rerum? . . . 236
APPENDIX utrum detur in Deo potentia executiva virtualiter distincta ab intellectu, et voluntate? 239
Art. IV. In quo medio Deus cognoscat alia a se? . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De praescientia futurorum.* 240
Art. I. Quid, et quotuplex sit futurum? 241
Art. II. Utrum Deus certe, et infallibiliter cognoscat omnia futura absoluta, contingentia, et libera? 242
Art. III. Quomodo futura sint Deo praesentia in aeternitate? . . 243
Art. IV. In quo medio Deus cognoscat futura absoluta, contingentia, et libera? 244
Art. V. De scientia futurorum conditionatorum. 247
Utrum Deus ea certo cognoscat? . *ibid.*
Petes 1. per quam scientiam Deus futura conditionata cognoscat? 248
Petes 2. An Deus certo cognoscat omnia omnino futura conditionata? . . . . . *ibid.*
Art. VI. *De scientia media.* . . 249
§. I. Praenotanda. Status quaestionis exponitur. . . . . *ibid.*

§. II. Impugnatur scientia media auctoritate Scripturae. 250
§ III. Impugnatur scientia media auctoritate SS. Aug., et Thomae. 251
§. IV. Scientia media variis rationibus impugnatur. 254
§. V. Incovenientia gravissima scientiae mediae. 256
§. VI. Scientia media ipsa sua novitate reprobanda. 257
§. VII. Convelluntur fundamenta scientiae mediae. 258
§. VIII. Asseruntur decreta in Deo subjective absoluta, et objective conditionata. 260
Art. VII. De ideis, Veritate, et Vita Dei. 262
Petes 1. Utrum dentur ideae in mente divina? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quid sunt ideae in Deo? . *ibid.*
Petes 3. Utrum sint plures ideae in Deo? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Quarum rerum Deus habeat ideas? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum in Deo sit veritas? 263
Petes 6. Utrum Deo conveniat vita? *ibid.*
Petes 7. Utrum omnia sint vita in Deo? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VII. *De voluntate Dei* . . . . . *ibid.*
Art. I. An sit, et quid sit voluntas in Deo, et quodnam ejus objectum? . . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum voluntas divina distinguatur virtualiter a sua volitione? 264
Petes 2. Utrum quidquid Deus vult, necessario velit, an libere? . *ibid.*
Art. II. Per quid formaliter constituatur actus liber Dei? . . . 265
Petes utrum Deus possit nunc incipere velle, quod non voluit, et non velle quod voluit, sicut sine intrinseca sui mutatione potuit non velle quod voluit, et velle quod non voluit? 266
Art. III. Quotuplex sit voluntas in Deo, et an semper impleatur? 267
Art. IV. De voluntate Dei circa salutem omnium. 269
Art. V. Utrum Christus sit mortuus pro omnibus omnino hominibus? 271
Petes utrum revera Semi-Pelagiani non erraverint circa mortem Christi pro omnibus? 272
Art. VI. Utrum Deus omnibus provideat auxilia sufficientia ad salutem? 257
DISSERTATIO VIII. *De praedefinitionibus, seu decretis divinis circa actus nostros liberos.* . . . 279
Art. I. Unde repetenda sit infallibilis efficacia divinorum decretorum circa actus nostros liberos? 281
Art. II. Solvuntur objectiones. . 286
§. I. Solvuntur objectiones ab auctoritate. . . . . *ibid.*
§. II. Solvuntur objectiones ex laesione libertatis. 288
§. III. Solvuntur objectiones ex insufficientia auxilii. 293
§. IV. Solvuntur objectiones ex affinitate cum Calvinismo. In quo situs sit error Lutheri, et Calvini circa praesentem materiam. 296
Art. III. Quomodo Dei decretum, et motio se habeant ad malum? . 299
Art. IV. De affectibus divinae voluntatis. 303
Petes 1. Utrum amor sit proprie in Deo? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum gaudium, et delectatio sit proprie in Deo? . *ibid.*
Petes 3. Utrum odium sit in Deo? *ibid.*
Petes 4. Utrum spes, et desiderium sint proprie in Deo? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum Deus amet omnia? *ibid.*
Petes 6. Quaenam virtutes sint formaliter in Deo? 304
DISSERTATIO IX. *De providentia, praedestinatione, et reprobatione.* 306
Art. I. de providentia. . . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit providentia? . *ibid.*
Petes 2. Utrum sit in Deo providentia? *ibid.*
Petes 3. Utrum providentia divina ad omnia se extendat? 307
Petes 4. Utrum providentia sit infallibilis, non solum quoad ordinationem mediorum in finem, sed etiam quoad assecutionem finis? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum Deus omnibus immediate provideat? 308
Art. II. *De praedestinatione.* Quid sit, et an sit praedestinatio? *ibid.*
Art. III. Utrum praedestinatio sit ex praevisis meritis, vel sit mere

gratuita? 311
§. I. Praenotanda, et variae sententiae. *ibid.*
§. II. Praedestinatio gratuita asseritur contra sententiam Lessii, et Molinae. 314
§. III. Praedestinatio gratuita asseritur contra sententiam Congruistarum. 316
Art. IV. Solvuntur objectiones contra utramque conclusionem. . 319
§. I. Solvuntur objectiones ex Scriptura. 220
§. II. Solvuntur Objectiones ex Patribus 321
§. III. Solvuntur Objectiones a ratione 323
§. IV. Solvuntur Objectiones ab inconvenientibus 324
Art. V. De effectibus praedestinationis 328
Petes. Utrum permissio peccati in praedestinatis sit effectus praedestinationis ? 330
Art. VI. De certitudine praedestinationis . . . . . *ibid.*
Petes quantus est numerus praedestinatorum ? 333
Art. VII. *De reprobatione.* An sit, et quid sit Reprobatio ? . . *ibid.*
Art. VIII. De motivo reprobationis . 334
§. I. De motivo reprobationis positivae *ibid.*
§. II. De motivo reprobationis negativae. Impugnatur exclusio positiva a gloria titulo beneficii indebiti . 335
§. III. Asseritur motivum reprobationis negativae. 338
§. IV. Utrum peccatum originale sit motivum reprobationis hominum ? 340
Art. IX. De effectibus reprobationis . 342

TRACTATUS DE SS. TRINITATIS MYSTERIO

DISSERTATIO PROOEMIALIS *de veritate Mysterii SS. Trinitatis* . 343
Art. I. Recensentur praecipuae haereses adversus SS. Trinitatis Mysterium . . . . . *ibid.*
Sabellianismus . . . . . *ibid.*
Arianismus 344
Macedonianismus . . . . . *ibid.*
Socinianismus, et alii errores circa Mysterium SS. Trinitatis . . 345
Art. II. De veritate, et existentia mysterii SS. Trinitatis . . . 346
§. I. Distinctio, seu pluralitas Personarum adversus Sabellianos asseritur ex Scripturis . . . *ibid.*
§. II. Consubstantialitas Personarum adversus Arianos, et Macedonianos asseritur ex Scripturis. . 348
Consubstantialitas, seu divinitas Filii contra Arianos 349
Consubstantialitas Spiritus S. adversus Macedonianos 350
§ III. Pluralitas, et consubstantialitas Personarum simul probantur ex Scripturis 351
Art. III. Utrum SS. Trinitatis Mysterium possit lumine naturali cognosci ? 357
Petes 1. Utrum et quae hujus mysterii notio concessa sit Judaeis ? . 359
Petes 2. utrum vox *homoousion*, seu *consubstantialis* convenienter inserta sit symbolo Nicaeno . . *ibid.*
DISSERTATIO II. *De processionibus divinarum Personarum* . . . 360
Art. I. Utrum in divinis sint processiones ? 361
Art. II. Quot sunt in Deo processiones ? 362
Art. III. Unde processio Verbi habeat, quod sit generatio, et non processio Spiritus Sancti ? . . . 363
Petes. Quare cum Filius, et Spiritus S. a Patre procedant, emanationi Spiritus S. adaptetur processio potius quam Filio ? . . 366
Consectaria. . . . . *ibid.*
Art. IV. In quo formaliter consistant divinae processiones active sumptae ? 367
DISSERTATIO III. *De Relationibus divinis* 368
Art. I. An sint, et quot sint in Deo Relationes reales ? . . . *ibid.*
Petes quomodo Relationes divinae identificentur, et distinguantur ab essentia ? 370
Art. II. Utrum Relationes divinae habeant existentias relativas realiter inter se, et ab existentia essentiae distinctas ? 372

Art. III. Utrum Relationes divinae praeter perfectionem absolutam Essentiae afferant aliam relativam? *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De Personis divinis in communi, earum pluralitate, modo loquendi de illis, earumque notionibus* . . 374
Art. I. Quid sit Persona? An sit idem cum hypostasi, et subsistentia? an proprie sit in divinis, et quid significet? . . . . *ibid.*
Quaeritur 1. Quid sit persona? . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum Personae divinae possint dici tres substantiae, sicut dicuntur tres hypostases, seu tres personae? . . . . *ibid.*
Quaeritur 3. Utrum ratio personae proprie reperiatur in divinis? . 375
Quaeritur 4. Quid significet in divinis hoc nomen personae? . . *ibid.*
Art. II. Utrum Personae divinae constituantur relationibus? . . *ibid.*
Art. III. Utrum in Deo, secundum se considerato, et personis praeintellecto, sit aliqua subsistentia absoluta, et praeter illam sint insuper tres subsistentiae relativae? 377
Art. IV. De pertinentibus ad unitatem vel pluralitatem in divinis quoad modum loquendi 379
Art. V. De notionibus divinis . . 381
COROLLARIUM De proprietatibus, potentiis, et actibus notionalibus . 382
Petes 1. Quot sunt actus notionales? *ibid.*
Petes 2. Quot sunt nomina notionalia? *ibid.*
DISSERTATIO V. *De Personis divinis in particulari* . . . *ibid.*
Art. I. De Persona Patris . . *ibid.*
Quaeritur 1. Utrum Patri competat esse principium? . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum hoc nomen *Pater* sit proprium primae Personae divinae? 383
Queritur 3. Utrum esse *ingenitum* sit proprium Patri? . . . *ibid.*
Art. II. De Persona Filii . . *ibid.*
Queritur 1. Quae sint varia nomina, quibus insignitur secunda Trinitatis Persona? . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Ex quarum rerum cognitione Verbum per se procedat a Patre? . . . . . *ibid.*
Art. III. De Persona Spiritus Sancti . 384
§. I. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio? . . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum recte dicatur Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium? 386
Petes 2. Utrum Pater, et Filius sint unum principium Spiritus Sancti? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum haec particula *Filioque* jure sit addita Symbolo Nicaeno Constantinopolitano? . 387
§ II. De variis nominibus Spiritus Sancti. . . . . *ibid.*
Quaeritur 1. Utrum hoc nomen *Spiritus Sanctus* sit proprium tertiae Personae? . . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum *amor* sit proprium nomen Spiritus Sancti? . . 388
Quaeritur 3. Ex quarum rerum amore procedat Spiritus Sanctus? . *ibid.*
Quaeritur 4. Utrum Pater et Filius diligant se Spiritu Sancto? . . *ibid.*
Quaeritur 5. Utrum *donum* sit proprium nomen Spiritus Sancti? . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De comparatione Personarum ad essentiam, ad proprietates Personales, ad se invicem, et ad creaturas.* . . 389
Art. I. De Personarum comparatione ad essentiam, et ad relationes, et ad actus notionales. . . *ibid.*
Quaeritur 1. Utrum nomina essentialia, idest quae essentiam, seu essentiam spectantia, nude significant absque insinuatione Personarum, praedicentur singulariter de tribus Personis? . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum nomina essentialia convenienter approprientur Personis? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 3. Utrum in divinis relatio sit idem, quod Persona? . . 391
Quaeritur 4. Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus, seu relationibus secundum nostrum modum intelligendi? . *ibid.*
Quaeritur 5. Utrum actus notionales sint voluntarii? . . . *ibid.*
Art. II. De comparatione Personarum ad invicem? 392
Quaeritur 1. Utrum Personae divinae sint sibi coaequales? . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum in divinis Personis sit ordo Naturae? . . 393
Quaeritur 3. Utrum admittenda sit divinarum Personarum circumsessio? . . . . . *ibid.*

Art. III. De missione divinarum Personarum ? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 1. Utrum alicui Personae conveniat mitti ? . . . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum missio dicenda sit aeterna, an temporalis ? . . 394
Quaeritur 3. Utrum missio invisibilis divinarum Personarum sit solum secundum donum gratiae sanctificantis ? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 4. Utrum per missionem invisibilem, Personae divinae fiant substantialiter praesentes animae, ita ut si per impossibile non essent substantialiter praesentes per immensitatem, forent, nihilominus ratione doni gratiae sanctificantis ? 395

TRACTATUS DE ANGELIS

DISSERTATIO UNICA *complectens omnia, quae spectant praesentem Tractatum.* 396
Art. I. De existentia, quidditate et numero Angelorum. . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum sint Angeli ? . . *ibid.*
Petes 2. Quando creati sint Angeli ? 397
Petes 3. Ubi creati sint Angeli ? . *ibid.*
Petes 4. Quanta sit multitudo Angelorum ? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Ad quid sunt creati Angeli ? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Utrum Angeli componantur ex forma, et materia saltem spirituali ? . . . . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Angeli habeant corpora tenuia, et subtilia sibi naturaliter unita ? 398
Petes 8. Utrum Angeli aliquando sumant corpora ? . . . . *ibid.*
Petes 9. Utrum Angeli in assumptis corporibus exerceant vere opera vitae sensitivae ? . . . 399
Petes 10. Utrum sint plures Angeli solo numero distincti intra eamdem speciem ? . . . . . *ibid.*
Art. II. De loco, et motu locali Angelorum. 400
Petes 1. Utrum Angeli sint in loco ? . *ibid.*
Petes 2. Quomodo Angeli sint in loco ? *ibid.*
Petes 3. Per quid Angeli sint in loco ? *ibid.*
Petes 4. Utrum Angeli possint moveri localiter ? 401
Petes 5. Utrum motus Angeli proprie dictus, fiat in instanti ? . . *ibid.*
Art. III. De pertinentibus ad intellectum, et voluntatem Angelorum. 402
Petes 1. Utrum Angeli indigeant speciebus ad se, et alia a se cognoscendum ? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum species, quibus Angelus alia a se cognoscit, sint a rebus acceptae, an congenitae, et connaturales ? . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum species, quibus Angeli intelligunt, sint universales, et eo universaliores, quo Angeli sunt superiores ? . . . 403
Petes 4. Utrum Angeli cognoscant materialia, et singularia ? . . *ibid.*
Petes 5. Utrum Angeli lumine naturali cognoscant certo futura mere contingentia, ut sunt actus liberi hominis ? 404
Petes 6. Utrum Angeli cognoscant naturaliter cogitationes cordium ? . 405
Petes 7. Utrum actus phantasiae, et appetitus sensitivi sint etiam naturaliter ignoti Angelis ? . . 406
Petes 8. Utrum Angeli cognoscant naturaliter mysteria gratiae ? *ibid.*
Petes 9. Utrum Angelus sit proprie, et formaliter discursivus ? . . . . . *ibid.*
Petes 10. Utrum Angelus sit semper intelligens actu ? . . *ibid.*
Petes 11. Utrum in intellectu Angeli possit esse falsitas ? . *ibid.*
Petes 12. Utrum Angelus inferior comprehendat superiorem ? . . *ibid.*
Petes 13. Utrum Angelus se, et Deum necessario diligat quoad exercitium ? 407
Art. IV. De gratia, et gloria Angelorum 408
Petes 1. Utrum Angeli fuerint in sua creatione beati ? . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum Angelus indiguerit gratia actuali ad hoc, ut se converteret ad Deum, ut objectum supernaturalis beatitudinis . . *ibid.*

Petes 3. Utrum Angeli fuerint creati in gratia sanctificante? . . *ibid.*
Petes 4. Utrum Angeli consecuti sint gratiam, et gloriam secundum quantitatem suorum naturalium? 409
Petes 5. Utrum Angeli meruerint suam beatitudinem supernaturalem? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Quomodo Angeli meruerint suam beatitudinem supernaturalem? an per opera eam subsequentia, an per concomitantia, an per praecedentia? . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Angelus statim post unum actum perfecte meritorium beatitudinem habuerit? . . 410
Petes 8. Quot instantibus completa fuerit via Angelorum? . . *ibid.*
Petes 9. Quamdiu duraverit quodlibet ex his instantibus per correspondentiam ad nostrum tempus? 411
Art. V. De culpa Angelorum. . . *ibid.*
Petes 1. Quomodo Angeli peccaverint? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum? . . . 412
Petes 3. Circa quod objectum primo superbierit Angelus? . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum Angelus potuerit peccare in instanti suae creationis? 413
Petes 5. Utrum supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes? 414
Petes 6. Utrum tot Angeli peccaverint quot remanserunt? . . . *ibid.*
Art. VI. De poena Daemonum. . *ibid.*
Petes 1. Utrum Daemones sint obcaecati? . . . . . *ibid*
Petes 2. Utrum Daemones sint obstinati in malo? . . . . *ibid.*
Petes 3. Unde proveniat ista obstinatio Daemonum in malo? . . *ibid.*
Petes 4. Utrum sit dolor in Daemonibus? 416
Petes 5. Utrum ignis inferni sit materialis, et corporeus? . *ibid.*
Petes 6. Quomodo Daemones igne corporeo inferni crucientur? . . 417
Petes 7. Utrum Daemones praeter hanc alligationem nullum aliud acerbius supplicium patiantur ab igne? 418
Art. VII. De Locutione, et illuminatione Angelorum? . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum Angeli loquantur? . *ibid.*
Petes 2. Quomodo loquantur Angeli? *ibid.*
Petes 3. Utrum Angelus possit alteri loqui in quacumque distantia? . . . . . ? 420
Petes 4. Utrum Angeli superiores illuminent inferiores? . . . *ibid.*
Art. VIII. *De Hierarchia, Ordinibus, Missione, et Custodia Angelorum.* 421
Petes 1. Quot sint Hierarchiae Angelorum? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum Angeli mittantur in Ministerium? 422
Petes 3. Utrum omnes Angeli mittantur? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum homines ab Angelis custodiantur? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum plures homines ab uno Angelo, an singuli homines a singulis Angelis custodiantur? 423
Petes 6. Quae sint officia Angelorum Custodum erga nos? . . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Angeli Custodes quandoque suos clientes deserant? . 424
Petes 8. Utrum Angeli doleant de malis nostris? . . . . . *ibid.*
Petes 9 Utrum Daemones impugnent homines? . . . . . *ibid.*
Petes 10. Utrum sit cuique suus malus Angelus ad exercitium, sicut cuique est bonus ad custodiam? . *ibid.*

TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM

DISSERTATIO I. *De processione creaturarum a Deo.* . . . 425
Art. I. Utrum omne ens sit a Deo? . *ibid.*
Art. II. De modo emanationis rerum a Deo, qui dicitur creatio . . 427
Petes. Utrum creare sit proprium alicui Personae divinae? . . 428
Art. III. De Mundi unitate, perfectione, et origine . . . . *ibid.*

Petes 1. Quo anni tempore Mundus fuerit creatus? 429
Petes 2. Quare Aegyptii, et populi Orientales initium anni ducerent ab Autumno? 430
DISSERTATIO II. *De sex diebus creationis Mundi, et de rebus in unoquoque die creatis.* . . . *ibid.*
Art. I. Utrum sex dies creationis sint reales? . . . . *ibid.*
Art. II. De singulorum dierum operibus. 431
§. I. De Opere primae diei. . . *ibid.*
Quaeritur 1. Quid nomine Coeli, et Terrae intelligatur? . . *ibid.*
Petes 2. Quid intelligatur nomine Spiritus, qui ferebatur super aquas? 432
Petes 3. Quid intelligatur nomine lucis? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Quid intelligatur per hanc Dei vocem. *Fiat lux?* . *ibid.*
§. II. De Opere secundae diei. . *ibid.*
Quaeritur 1. Quid nomine Coeli, et Terrae intelligatur? . . *ibid.*
Petes 2. Quid intelligatur nomine Spiritus, qui ferebatur super aquas? 432
Petes 3. Quid intelligatur nomine lucis? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Quid intelligatur per hanc Dei vocem: *Fiat lux?* . *ibid.*
§. II. De opere secundae diei . *ibid.*
Petes. Quid intelligatur nomine firmamenti? . . . . *ibid.*
§. III. De opere tertiae diei . 433
Petes 1. In quem terrae locum potuerint congregari aquae, cum terra esset undique aquis cooperta? *ibid.*
Petes 2. Quomodo aquae congregatae sunt in unum locum, cum constet esse in multis? . . *ibid.*
Petes 3. Utrum herbae, et arbores fuerint tertia dia productae actu, et adultae, an tantum causaliter, et in semina? . . *ibid.*
Petes 4. Utrum terra eadem die tertia germinaverit spinas, et tribulos? . . . . *idid.*
Petes 5. An marmora, et mineralia in visceribus terrae latentia fuerint etiam producta tertia die? *ibid.*
§. IV. De opere quartae diei . *ibid.*
Petes. Utrum corpora coelestia sint animata? 434
§. V. De opere quintae diei . *ibid.*
Petes 1. Utrum aves productae sint ex aqua? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quomodo aquae produxerint pisces, et aves? . . *ibid.*
Petes 3. Quid intelligatur per cete grandia? . . . . *ibid.*
§. VI. De opere sextae diei . *ibid.*
Petes. Utrum omnium animalium terrestrium species sint hac sexta die productae? . . . *ibid.*
DISSERTATIO III. *De homine quantum ad animam.* . . . 436
Art. I. De essentia, et origine animae *ibid.*
Art. II. An, et qua ratione homo sit factus ad imaginem Dei? . . 438
Petes. Utrum in homine sit imago Dei etiam quantum ad Trinitatem Personarum? . . . . *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De conditione primi hominis quantum ad intellectum et voluntatem.* . . . 439
Art. I. Utrum primus homo in statu innocentiae viderit Deum, vel Angelos per essentiam? . . *ibid.*
Art. II. Quarum rerum cognitionem habuerit primus homo? . . *ibid.*
Petes 1. Utrum Adam fuerit omnium hominum sapientissimus? . . 440
Petes 2. Utrum homo in statu innocentiae potuerit errare, seu decipi? . . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum primus homo creatus fuerit in gratia sanctificante? . 441
Petes 1. Utrum primus homo justificatus fuerit more adultorum, mediante actu liberi arbitrii, scilicet consensu in acceptationem gratiae? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum in primo homine fuerint animi passiones? . . *ibid.*
Art. IV. De dominio, quod habuerit primus homo in statu innocentiae super alias creaturas. . . . 442
DISSERTATIO V. *De conditione primorum parentum quantum ad corpus.* 443
Art. I. De formatione corporis Adami. *ibid.*
Petes 1. Utrum corpus humanum sit immediate a Deo productum? . *ibid.*
Petes 2. Utrum corpus hominis habuerit convenientem dispositionem? *ibid.*
Petes 3. In quanta magnitudine fuerit productum corpus Adae? . 444
Art. I. De formatione corporis Evae . *ibid.*

Petes 1. Quo sensu intelligenda sit formatio Evae ex viro et ex costa Viri. *ibid.*
Petes 2. Quandonam formata fuerit Eva 445
Petes 3. Utrum conveniens fuerit mulierem in prima mundi institutione formare ex costa viri? . . . *ibid.*
Petes 4. Quare de dormientis, et non de vigilantis costa Deus voluerit formare Evam? . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum homo in statu innocentiae fuerit immortalis? . . 446
Quaeritur quaenam fuerit causa hujus immortalitatis? . . . *ibid.*
Art. IV. De conditione primorum parentum in statu innocentiae quantum ad conservationem speciei . 447
DISSERTATIO VI. *De conditione prolis generandae in statu innocentiae.* . . . . . *ibid.*
Art. I. De conditione prolis generandae quantum ad corpus . . *ibid.*
Petes 1. Quibus cibis usi fuissent homines in statu innocentiae? . 448
Petes 2. Utrum in statu innocentiae natae fuissent foeminae? . . *ibid.*
Art. II. De conditione prolis generandae in statu innocentiae quoad justitiam, et scientiam . . . 449
DISSERTATIO VII. *De loco hominis, qui est Paradisus* . . . 450
Art. I. Utrum paradisus sit locus corporeus, et ubi situs sit? . *ibid.*
Quare Deus sciens hominem peccaturum, et in paradiso non relinquendum, illum tamen creaverit? *ibid.*
Art. II. De ligno scientiae boni, et mali 452
Petes 1. Utrum lignum scientiae boni, et mali sit vera, et realis arbor? *ibid.*
Petes 2. Quae speciatim arbor fuit? *ibid.*
Petes 3. Unde haec arbor dicta est scientiae boni, et mali? . . . *ibid.*
Petes 4. Quomodo primi Parentes consuerunt folia ficus ad nuditatem tegendam? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Quos obligabat praeceptum de non comedendo fructu ligni scientiae boni, et mali? . . . 453
Petes 6. Utrum hoc praeceptum obligaret sub mortali? . . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Eva tentata fuerit a Diabolo per serpentem verum, et naturalem, quo Diabolus usus est ut instrumento ad formandas voces humanis similes? . . *ibid.*
Petes 8. Quare Deus permiserit tentari primos parentes, quos praescierat peccaturos? . . . 454
DISSERTATIO VIII. *De peccato primorum parentum, et ejus poena.* *ibid.*
Art. I. Quodnam fuerit, et quam grave peccatum primorum parentum? *ibid.*
Art. II. De poenis peccati, et de poenitentia primorum parentum . 456

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
3	11	ac	an
50	20	obtinentiae	obtinendae
56	44	non verbo	uno verbo
58	36	accurata	accuratae
59	13	est voce	est vere
ib.	23	quod	quoad
65	24	probabilis	probabilius
74	28	sit	sic
86	8	Arcae	Areae
93	32	orbs	orbis
100	30	augmentum	argumentum
101	1	irreformidabili	irreformabili
ib.	4	irreformidabile	irreformabile
103	44	Donasticas	Donatistas
ib.	47	poterint	poterit
114	38	explicant	explicat
125	4	fidele	fideles
150	42	a Ioanne XII.	a Joanne XXII.
157	37	Critica	Criticae
167	26	Metaphysica	Metaphysice
168	46	fermulam	formalem
171	42	et praebet	praebet
176	31	multae	multa
179	51	et non est ipse	et non est esse
184	36	medius	melius
197	23	efficit	efficiat
198	27	actu positivo	actu positive
199	51	est	ita est
200	33	effectum	affectum
203	42	non est autem	non est tamen
210	8	oculos	oculus
228	5	ea maxime	eo maxime
242	13	et scient	et sciemus
ib.	27	praedicationes libere	praedictiones liberas
257	25	Elyssipon	Ulyssipon.
267	23	nomine	nomina

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
280	18	diei	dici
295	13	ad quam	ad quem
296	7	ad quam	ad quem
302	44	et	at
319	5	praeviso	nisi praeviso
325	20	ab ipsa	ab ipso
330	38	loquens	loquente
ib.	43	cujus sèntentia	cujus sententiam
334	40	et accersierunt	accersierunt
350	9	ut cognoscat	ut cognoscant
ib.	40	sint	sit
356	13	incommunicabili	communicabili
358	2	quia	qui
ib	35	illum	illud
366	25	importent	importet
367	2	foecunditas: naturae	foecunditas naturae
368	10	positive	passive
370	24	quod ut	ut
377	44	naturae ut suppositae	naturae ut suppositata
400	44	impliciter	simpliciter
404	35	tunc solam	tunc solum
407	7	act. 8.	art. 8.
411	20	ad permanentia, utramque	ad permanentiam, utraque
412	52	hypostatricem	hypostaticam
414	11	fecit	fuit
420	44	eobjectum sit	objectum sic
427	16	et cum	ut cum
435	28	et omnem	et ad omnem
436	44	spiritualem	spiritualem,et corpoream
439	41	qua	quas
442	37	dictum rationis	respectu rationis
444	14	elevatam	elevatum
447	23	abstullissent	abstulisset
452	32	non possent	non possunt
454	39	nisi praecepisset	nisi praecessisset

Missos facimus, quos callidus lector facile ex sensu deprehendere potest

Nihil obstat
Fr. Gavinus Secchi-Murro Ord. Servor. M.
Censor Theolog.

Imprimatur
Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. Magister.

Imprimatur
A. Piatti Archiepisc. Trapezunt
Vicesgerens.

208.9
B 497
* 29084
BILLUART, CAROLI RENATI, O. P.
AUTHOR Summa Summae S. Thomae
Tome 1
TITLE De Locis Theologicis, de Deo Uno,
Trinitatis Mysterio, Angelis .....:
Prima pars
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
Vachon
29084